ARCHIVES D'ANJOU

RECUEIL

DE DOCUMENTS ET MÉMOIRES INÉDITS SUR CETTE PROVINCE

PUBLIÉ

sous les auspices du Conseil général de Maine-et Loire

PAR

PAUL MARCHEGAY

archiviste du département

TOME TROISIÈME


ANGERS

IMPRIMERIE DE COSNIER ET LACHÈSE

CHAUSSÉE SAINT-PIERRE, 13

1854





CARTULARIUM

MONASTERII BEATÆ MARIÆ

CARITATIS ANDEGAVENSIS.

CARTÆ COMITUM ANDEGAVENSIUM.

I. CARTA FULCONIS NERRÆ ET HILDEGARDIS, DE FUNDATIONE ECCLESIÆ ET DE DONIS EIDEM FACTIS.

Siquidem summe atque intemerate sponse Christi ecclesie coheredes filii dicuntur, condecet ut etiam nos filii vel filie, ejus menbra, ut eam, per dominum Ihesum spiritualiter renati, piissime pro posse relevemus. Verus namque approbatur ipsius filius qui ei et opere prodesse satagit, et in ceteris virtutibus omnimodo procreatricem suam, ad laudem domini, non segnis operator extollit. Nos igitur omnes qui communiter ad ortum erumpnose vite, alii gloriosius alii quidem miserabilius, progredimur, oportet unumquemque fideliter, vel per pecunie largitionem vel per corpoream abstinentiam, in dominum nostre carnis resolvi. Quocirca, ne steriles sive inutiles servi tandem resolvamur, ego Fulco, Andegavorum comes, atque Hildegardis conjunx mea necnun Goffredus noster filius, hanc beate Marie basilicam usque ad fundum erutam, a fundo paulo nobilius

cum tota prole sua. Item, ad varium ancillarum Dei servitium, contulimus servam nostram Rainois cum sobole sua, excepto Giraldo filio suo; item et alias ancillas Gerbergam et Fredeburgim. Dedimus quoque apud civitatem, subtus monasterium, tractum unum ad piscationem sagene dominice monasterii. Ad coquinam sanctimonialium, tradidimus servos Bernardum cum fratribus suis Burcardo et Odone.

Signum Fulconis comitis, S. Hildegardis comitisse, S. Goffridi Fulconis filii, S. Huberti Andegavorum episcopi, S. Burchardi thesaurarii, S. Gosleni decani, S. Primoldi archipresbiteri.

Ego vero Hildegardis, Andegavorum comitissa, dedi Deo et ecclesie B. Marie quasdam parvitatis mee possessiunculas, quas variis emptionibus a diversis venditoribus comparaveram, in usus ancillarum Dei, pro peccatis meis redimendis et pro anima carissimi mariti mei Fulconis comitis : apud Morennam scilicet, sedem episcopalem, molinum unum ad censum solvendum episcopo Andegavensi; item ad Briam Sarte, dimidium molinum; in flumine Meduane, in loco qui dicitur Carrarias, dimidium molinum; apud Prisciniacum, unum mansum terre; apud Travalliacum, unum mansum ad censum solvendum seniori de Gavardullio; apud Cauciacum, unum mansum; intra civitatem Andegavam, juxta ecclesiam Beate Marie, aream mansionum ad censum Burchardi thesaurarii; in loco qui dicitur Lupellus, X arpenta pratorum. Apud Trodreiam, de terra quartas duas dedit Rainerius, dominicus vassus, servum quoque suum nomine Adelardum cum tota familia sua, cum filia sua Lisoia quando obtulit illam Deo et S. Marie. Apud Forgias, de terra arabili dedit duas mansuras Guido thesaurarius, auctore seniore suo Sigebranno et filio ejus Guillelmo. In circuitu Andegave urbis, in diversis locis de illa ripa Meduane in qua monasterium situm est, dedi ego Hildegardis comitissa, in variis locis, plures arpennos vinearum. Haduissa dedit Deo et S. Marie quoddam molendinum sine calumpnia, quod a patre suo et a fratre nomine Gosleno datum illi fuerat, in perpetuum tenendum cum duobus arpennis terre, ad censum solvendum VIII denarios Basilie et Raginaldo absque costuma; se ipsa auctorizante, cum omnibus suis nepotibus, tali tenore ut excommunicentur ab omnipotenti Deo atque ejus genitrice Maria omnibusque sanctis ac christianis quicunque illud calumpniare voluerit aut aliquam consuetudinem immittere. Fromundus ejusque conjunx Josberga de-

derunt S. Marie, pro beneficio suo, tres quarterios vinee et dimidium arpennum terre, ad censum reddendum V denarios Alberico et Hugoni. Hic autem Hugo dedit filie sue Ros... vinagium hujus vinee et decimam pro vestitu, quando eam tradidit perpetue virginitati. *Rotulus I, Capitulum I; R.* 5, *C.* 52.

II. CARTA EJUSDEM FULCONIS, DE MINUTIS DONATIONIBUS.

In nomine Dei omnipotentis patris et filii et spiritus sancti. Ego Fulco, Andecavorum comes, notificari cupio sancte ecclesie fidelibus futurisque successoribus meis quoniam, ob amorem Dei et meorum redemptionem peccaminum nec non et parentum meorum, necessarium duxi monasterium sancte Dei genitricis Marie quod scilicet, meo amminiculante assensu atque favore, conjunx mea Hildegardis ad congregationem sanctimonialium puellarum extulerat, aliquibus facultatibus et possessiunculis in diversis locis, varii temporis donationibus, prout se offerebat opportunitas, augmentare. Ut igitur minutim et per intercapedines temporum factarum donationum summa et computatio notior fiat, scripture eas annotatione visum est titulare. Prope vicum qui dicitur Legionis, donavi ad ipsum monasterium B. Marie alodia duo, quorum unum nominatur Alodium Quintini super fluvium Uldonum, alterum vero Calvonum super Meduanam, cum dimidio molino in ipso flumine; apud villam Alnetum, non longe ab urbe Andecava, duos mansos terre; apud villam Fossas, vivarium optime piscationis et pratorum arpenta XXX, servum quoque meum Ermenaldum cum tota sobole sua; in curia quoque S. Saturnini, terram optimam; Monasteriolum simul cum colono Constantino et tota ejus familia; subtus ipsum monasterium, in Meduana, tractum unum ad piscationem sagene dominice monasterii. Ad coquinam ipsarum famularum Dei dedi servum meum Bernaldum cum fratribus suis Burchardo et Odone; ad varium autem ipsarum servicium Rainois ancillam contuli cum sobole sua, excepto solo Giraldo filio ejus, similiter et Girbergam et Fredeburgim. *R.* 4, *C.* 78.

III. CARTA HILDEGARDIS, DE DONO RERUM QUAS COMPARAVERAT.

Literalis annotacio ad hoc valere dinoscitur ut quod ea describitur, apud successura tempora, memorabilius teneatur et firmius observetur. Quapropter ego Hildegaldis, humilis comitissa, opportunum

existimavi et utile illas parvitatis mee possessiunculas quas, variis emptionibus, a diversis venditoribus, variabilis vicibus temporis, legitimis contractibus comparaveram et monasterio B. Marie in usus ancillarum Dei, pro peccatis meis redimendis, in elemosinam quoque carissimi senioris mei Fulconis comitis Andegavensis, contuleram, in unum conscribere, insuperque a diversis fidelibus delegatas facultates indicere : apud Morennam, sedem episcopalem, molinum unum ad censum solvendum episcopo Andegavensi; item ad Brien Sartæ molinum unum; in flumine Meduane, in loco qui dicitur Carrarias, molinum dimidium; apud Prisciacum mansum unum terre; apud Travailliacum mansum unum ad censum solvendum seniori de Garvaldulio; apud Canziacum mansum unum; intra civitatem Andegavam, juxta ecclesiam S. Marie, aream mansionum ad censum Buchardi thesaurarii; in loco qui Lupellus dicitur, pratorum arpennos X; in circuitu Andegave urbis, in diversis locis de illa ripa Meduane in qua monasterium situm est, vinearum arpennum; de parte civitatis similiter in variis locis arpennum. Apud Todreiam, de terra quartas duas dedit Rainerius dominicus vassus, servum quoque suum nomine Adalardum cum tota familia sua; cum filia sua Lisoia, quando obtulit illam Deo et S. Marie. Apud Forgias, de terra arabili mansuras duas dedit Guido thesaurarius, auctore seniore suo Siebranno et filio ejus Guillermo. *R.* 5, *C.* 58.

IV. CARTA EORUMDEM FULCONIS ET HILDEGARDIS, DE DONO ARCHARUM PONTIS MEDUANÆ.

Cum fragilitas generis humani pertimescit ultimum vite tempus subitanea transpositione venturum, prudentis est cum sollicitudine satagere ne omnino inveniatur imparatus et ne sine aliquo boni operis respectu migret de seculo; et quandiu in suo jure et potestate consistit, aliquatenus preparare sibi aditum salutis. Ideoque in Dei nomine ego Fulco, Andecavorum comes, et uxor mea Hildegardis filius quoque noster Goffridus, pro remedio animarum nostrarum et remissione peccatorum, ut mereamur consequi veniam ipsorum, cedimus a die presente cessumque in perpetuum esse volumus S. Marie ad cenobium quod nominatur Caritatis, ubi Deo favente monachilem puellarum regulam instituimus, aliquantulum de rebus nostris, ad sustentationem et possessionem earum ancilla-

rum Christi : hoc est de toto ponte Meduane, quod videlicet lapideo opere construximus, piscationes universas et areas molendinorum intra ipsas archas omnes, excepta una archa quam ibidem canonicis S. Martini concessimus. Ceterum reliquas omnes cum suis omnibus utilitatibus, que presenti tempòre ibidem manifeste sunt vel in posterum excogitande, memorate congregationi sanctimonialium Deo et beate semper virgini Marie in prescripto monasterio famulantium, concedimus et delegando tradimus : ita constituentes ut molendinorum illorum que ibidem erunt unum sit in perpetuum ad elemosinam stipemque pauperum addictum, alterum vero in usus canonicorum eorum; quatinus perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium idem eis augmentum et supplementum fiat et ipsas melius, pro absolutione et remedio animarum nostrarum vel parentum nostrorum, supernam majestatem jugiter exorare delectet. *R*. 5, *C*. 25.

V. CARTA GAUFRIDI MARTELLI, DE DONO CONSUETUDINUM BURGI S. MARIÆ ET CURTIS PETRÆ.

Cum unusquisque in hoc seculo consistit et intelligibilem pervenit ad etatem, tractare debet de futuro judicii die, ut cum sibi ex incerto humane conditionis debitus finis obtigerit, Deum sibi cujuspiam boni sperare possit retributorem. Igitur in nomine Dei omnipotentis ego Joffredus Andecavorum comes, notum fore volo sancte Dei ecclesie filiis maximeque universis futuris successoribus meis qualiter, adhortantibus et prudenter commonentibus dilectissimis michi matronis domna Hildegalde comitissa, genitrice mea, simulque conjuge mea Agnosze, complacuit michi Deo et S. Marie ad monasterium quod eadem mater mea, prope civitatem Andegavam in ripa Meduane fluminis extructum, ad cenobium puellarum perduxit, donationes universas quas ibidem bone memorie genitor meus Fulco illustrissimus comes, recenter rebus terrenis defunctus, sive alii quilibet fideles contulerant, confirmando constabilire et perpetualiter confirmare; sed ex parte mea insuper aliquid augmentare : quod quidem ita et feci. Perlectis igitur, in mea et nobilium virorum et fidelium meorum presentia, omnibus retroactarum donationum scripturis, omnes eas, sicuti donate et in scriptis annotate sunt, confirmo et annuo et in perpetuum eidem cenobio B. Marie assigno cum omni integritate sua et quidem in stipendia et usus necessarios predictarum ancilla-

rum Dei; quatinus illas devotius, pro redemptione anime supranominati patris mei Fulconis et reliquorum parentum meorum sed et nostrorum remissione peccatorum, Dei omnipotentiam exorare delectet. Sed (quia) minus perfectum est alienis benefactis favorem prebere, nisi procuret quisque etiam ipse benefacere, complacuit michi ex mea quoque parte his aliquid augmentare. Remitto igitur et in perpetuum remissas esse volo et constituo supradicto cenobio S. Marie et famulabus Christi ibidem degentibus, intuitu misericordie et spe retributionis eterne, ad quietem et rerum ipsarum immunitatem, consuetudines quasdam quas retro sepedictus genitor meus Fulco et predecessores ejus comites tenuisse comprobantur : hoc est in toto burgo ipsius monasterii bidannum universum et illam consuetudinem quam nominavit fenagium, bannum proprii vini dominarum congregationis vendendi et vicariam sicuti eam vivente patre meo tenuerunt; de Curte Petre, vicariam de minutis forfactis preter illam scilicet de qua libre III exiguntur, de fodriis duobus que ibi antea capiebantur unum, vaccagium universum, et bidannum totum nisi in submonitione expeditionis publice ad castrum faciendum vel prelium committendum. Ut autem confirmationis hujus sive concessionis remissionisque titulus validiorem, per successura tempora, obtineat rememorationis et conservationis vigorem, manu eum propria signo sancte crucis insignivi et fideles meos corroborare decrevi, rogavi. Signum Joffredi Andegavorum comitis †, S. Hildegardis illius matris, S. Agnetis comitisse conjugis ejus, S. Huberti Andecavorum episcopi, S. Buchardi tessaurarii, S. Leburgis abbatisse, S. Gausleni decani, S. Suhardi de Credone, S. Primoldi archipresbiteri et canonici S. Marie, S. Marcuini levite, S. Joffredi de Prulliaco, S. Bartholomei militis, S. Berrengerii militis, S. Rainerii dominici vassi, S. Rainaldi filii Ivonis, S. Adelardi filii ejus. Actum kalendis Octobris, intra ipsum monasterium S. Marie, in Dei nomine feliciter, amen. *R*. 5, *C*. 91.

VI. CARTA EJUSDEM, DE CONFIRMATIONE POSSESSIONUM MONASTERII.

Anno ab incarnatione domini nostri Ihesu Christi MXLV°, a dedicatione monasterii Beate Marie XVII°, ab obitu patris mei Fulconis illustrissimi comitis V°, ego Goffridus comes, animavertens quanvis peccatori et immerito a divina tamen propitiatione prosperos mihi

circa res meas multiplicari processus, ne omnino tantis beneficiis Dei mei, si apparerem ingratus, dijudicarer indignus, proposui ecclesiarum vel monasteriorum sub ditione mee potestatis positorum aliquam diligentiam et providentiam assumere, et servis sive ancillis Dei in ipsis degentibus, in quantum possum, quietem et tranquillitatem procurare; ut videlicet ipse ad Dei servitium, per negligentie mee peccata, nimis inutilis et tardus, saltem per hoc michi quempiam venie patefaciam aditum quod Deo assidue famulantibus impendo defensionis munimentum. Itaque inter cetera hujus executionis studia precipue de monasterio gloriose Dei genitricis Marie quod videlicet, in prospectu civitatis Andegave super ripam Meduane fluminis situm et ab antiquis temporibus Caritatem cognominatum, bone memorie Fulco pater meus et Deo devotissima genitrix mea donna Hildegardis comitissa ad monasticam puellarum congregationem provexisse dinoscuntur, ut sollicitudinem pretermittem, passus non sum. Sed quia ibi sanctimonialium congregatio degit, perpendens illius sexus invalitudinem ad res sue possessionis ab invasoribus defendendas, abhinc retroactas rerum donationes vel comparationes in unam summam diligenter colligi precepi; quatinus universa possessionis ejusdem loci summa, diversis temporibus a fidelibus viris vel tradita vel legitimis contractibus comparata et in diversis locorum positionibus constituta, per scripture dinumerationem taxetur et in presentia mea vel optimatum meorum celebri relectione decurratur, meaque auctoritate et nobilium virorum clericalis simul et laïcalis ordinis favore constabilita, firmum perhenniter obtineat et rememorationis integre et quiete conservationis vigorem. *R.* 1, *C.* 2.

VII. DE FRONDIBUS ET DE PASNAGIO CAPIENDIS IN SILVIS COMITIS.

Comes Fulco et Hildegardis comitissa dederunt monachabus S. Marie, ad sex asinos, frondes de Chacé et buglum querens plenum manicum securis de viridis, et pasellum et vimen et spinam ita ut possint hec trahere quocunque voluerint. Propter hanc consuetudinem habebit forestarius duas michas et unam galeam vini dominica die; hec omnium comitum tempore et forestariorum, Raginaldi de Brion videlicet et aliorum. *R.* 1, *C.* 56.

Primum Deo, subinde S. Marie Karitatis ejusque congregationi locum illum frequentanti, pro anime patris mei matrisque redemp-

tione atque mee (ego Gaufridus comes), hoc donum dedi habendum omni tempore : videlicet ducentorum porcorum victum ab omnibus debitis solutum in quibusque meis silvis, in Cuperatum sive in Vaudrera sive in Valea seu in Molneis aut in Chacé seu in omnibus meis aliis silvis.

Deinde vero post mortem ejus Gaufridus comes, nepos illius ac successor, illud donum itidem confirmavit, in virgulto ipsius curie, ut antecessor ejus dederat. Quicunque vero posthac benefactum hoc contradixerit aut calumpniatus fuerit seu falsus testis aderit, anathematizetur atque in impiorum consortio computetur. De hoc quidem dono firmiter (tenendo) hi testes sunt quorum nomina in hac continentur cartula, videlicet : Matheus de Montorie atque mater ejus, Tetbaldus de Jarcé, Joccelinus Rodonnart, Eblon de Chan Chevrier, Robertus de Chrochard, Gaufridus Crassus, Robertus prepositus, Ivon de la Galle, Fulchardus de Rupe Forti ac ejus filius Gaufridus, Garinus celerarius, Geraldus Calvulus, Stabilis vicarius, Fulcoinus vicarius. *R.* 1, *C.* 28.

VIII. CARTA GAUFRIDI BARBATI, DE RESTITUTIONE CLAUSI COMITISSÆ HILDEGARDIS.

In nomine domini nostri Ihesu Christi salvatoris mundi et veneratione gloriose genitricis ejus, ante et post partum semper virginis, Marie, ego Goffridus comes notum fore cupio fidelibus Dei et nostris quod domna Beliardis, abbatissa monasterii quod dicitur Caritatis, et cetere sanctimoniales ejusdem loci accesserunt ad me querelam facientes de quodam clauso vinearum, juxta ipsum monasterium sito, unde illis injuriosam violentiam fecerat predecessor meus et avunculus comes Gaufridus. Exibuerunt enim nobis veridicos testes et clericalis ordinis et laïce conditionis, asseverantes quod avia mea bone memorie Hildegardis comitissa vineas ipsas, legitime pridem comparatas atque diutius in dominicatu suo detentas, tandem Jerusalem proficiscens ubi et defuncta est, S. Marie donaverit sicut et alia multa bona ibi contulerat post fundationem illius monasterii. Sed dono inde facto, deprecata est domnam Bertradam, tunc abbatissam, reliquasque sorores ut clausum illum filie sue, matri mee, dimitterent Ermengardi jam tunc vidue, ut usufructuario habendum tantum in vita sua concederent et post obitum ejus rem suam recu-

perarent. Itaque mater mea aliquanto tempore predictas vineas per sanctimoniales B. Marie tenuit. Sed postmodum, cum animum fratris sui Gaufridi comitis, deserendo consilium illius, offendit, ille vineas ipsas sibi sumens et matri mee auferens, reclamantibus sanctimonialibus, nequaquam ut jus fuisset reddidit, sed suis concubinis potius quam conjugibus dedit. Illo vero defuncto, cum ego successissem in honore et Salmùrum castrum simulque et alia quedam atque has ipsas de quibus agimus vineas ab Adelaït Teotisca, que fuerat postrema avunculi mei uxor, gravi pecunia redemissem, audito clamore famularum Christi cognitoque jure S. Marie et sacri loci, per consilium bonorum hominum fideliumque meorum, injusticiam illam ad rectitudinem justicie redigere studui, et clausum illum vinearum totum et integrum Deo et B. Marie super sacrum altare ejus reddidi, ad firmitatem perpetuam elemosine avie mee domne Hildegardis et absolutionem culparum matris mee Ermengardis atque emendationem injusticie avunculi mei Goffredi comitis, et ut egomet ipse fiducialius atque certius particeps fieri merear orationum et beneficentie illius loci atque adjuvari, et in vita presenti et in futura, precibus sacratissimis et meritis gloriose Dei genitricis Marie. Redditionem vero istam faciens talem innexui conditionem ut sanctimoniales culturam clausi illius nullo modo non negligant; sed diligenter cultum in dominicatu suo, ad aminiculum victus sui, teneant, nulli inde aliquid dantes neque servienti cuiquam neque ulli prorsus vel laïcali vel clericali persone. Signum † Goffridi comitis Junioris qui redditionem nunc fecit Deo et S. Marie gloriose genitrici ejus. Testes isti affuerunt presentes : Gerorius dominicus vassus, Ivo de Gallia, Albericus filius Riberti, Stabilis vicarius, Garnerius camerarius, Isembertus siniscallus, Altardus Burgundio, Fulco capellanus, Constantius Ruffus, Raginaldus camerarius. *R*. 5, *C*. 26.

IX. CARTA HENRICI, REGIS ANGLIÆ, DE CONSUETUDINIBUS QUAS DIMISIT HUBERTUS DE CAMPANIA.

Henricus rex Anglie et dux Normannorum et Aquitanorum et comes Andegavorum, justiciariis et vicariis et ministris et omnibus hominibus et fidelibus suis, salutem. Sciatis quod Hubertus de Campania clamavit quietas sanctimoniales S. Marie de Caritate, coram me in curia mea apud Andegavum, de omnibus consuetudinibus quas

exigebat ab eis in furnis et molendinis, in vendis, in pedagiis, in viariis, in decimis, in viis terrarum et aquarum. Quare volo et firmiter precipio quod ille de omnibus illis consuetudinibus sint quiete, et hoc carta mea confirmo et prohibeo ne quis eas deinceps super hoc vexare presumat et ne quis eis injuriam aut contumeliam faciat; testibus : Gosleno Turonensi, Hugone de Cleers, Briento de Martigneio, Chalone preposito, Roberto de Sableio, Matheo de Baugeio; apud Baugeium. *R.* 6, *C.* 24.

PRIVILEGIA SUMMORUM PONTIFICUM.

X. DEDICATIO ALTARIS A CALIXTO II PAPA, ET INDULGENTIÆ AB EO CONCESSÆ.

Cum iret Jacob de terra Chaam (1) in Mesopotamiam Syriæ, ut Genesis refert, obdormivit in quodam loco et vidit in sompnis scalam stantem super terram celum cacumine tangentem, angelos quoque descendentes per eam et ascendentes. Surgens autem mane, ingenti admiratione loci sanctitate commendata, tulit lapidem quem capiti suo supposuerat et erexit eum in titulum, fundens oleum desuper. Unde in Novo Testamento mos inolevit pastoribus sancte ecclesie ut quod ab illo factum erat mystice ab istis impleretur operum exibitione. Igitur papa Calistus, pro rei publice utilitate, partes visitans occidentales, Andegavim iter appulit. Et ingressus ecclesiam sancte Dei genitricis Marie, altare dominicum, ab introitu januarum elongatum, ut majus esset spatium inter januas et altare, sancti spiritus unctione et apostolica benedictione, in honore ejusdem virginis consecravit, vigilia Nativitatis ipsius; capsa que in altari plena reliquiis reperta fuerat ibidem resigillata, in qua sancti Pancracii martiris et Gaciani Turonensis episcopi reliquie indubitanter fuere recundite; presentibus autempticis personis : Petro videlicet cardinali et altero Petro filio Petri de Petra Lata et Grissogono atque Petro ipsius pape nepote, Raginaldo Andegavensi episcopo, Galone Leonensi episcopo, Bricio Nannetensi episcopo, Ulgerio ar-

(1) Melius *Chanaan*.

chidiacono, Goffrido tessaurario, Rivallono Nannetensi archidiacono, Goffrido Vindocinensi abbate. Peracta dedicatione, ipse cantavit missam. Deinde monialibus multis collocutus exhortationibus, dedicationis sollempnitatem ipso die celebrem agi omnibus instituit. Tunc pontifices, jussu ipsius, ecclesiam dedicaverunt. Papa vero postea tubam que in cimiterio S. Laurentii est ascendit, ibique populo verbi divini pabulo refocillato, omnibus qui ad sacrosanctam dedicationem convenerant peccata sua confitentibus septimam penitentie partem condonavit. Insuper etiam ecclesiam hoc privilegio dotando ditavit in perpetuum ut quicunque ad eam, in annua dedicationis sollempnitate vel a prima dominica die Adventus Domini usque ad octabas Epyphanie, supplici convenient devotione eandem optineant veniam. Hoc autem factum est sub Lodovico rege Francorum, Fulcone Juniore Andegavensium comite, Raginaldo eorumdem episcopo, Tiburge abbatissa S. Marie Caritatis ecclesiam regente, anno ab incarnatione Domini MCXIX° concurrentibus II, epactis XVIII, indictione autem XIIIª *R.* 2, *C.* 11.

XI. PRIVILEGIUM LUCII II PAPÆ.

Lucius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Turonensi archiepiscopo, Andegavensi, Cenomannensi et Nannetensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilia loca cum ipsis personis divino famulatui mancipatis nullis debent gravaminibus concuti, nullis molestiis agitari : unde nos oportet pro ipsis attentam sollicitudinem gerere et, ne pravorum hominum agitentur molestiis, sedis apostolicé munimen confovere. Est locus, sicut accepimus, in Andegavensi episcopatu qui Caritas dicitur, in quo religiose mulieres convenerunt et se ipsas divino famulatui manciparunt. Que a pravis illius terre hominibus, prout nobis significatum est, gravas injurias et oppressiones sustinent, et in bonis earum multas et indebitas exactiones faciunt. Eapropter ipsarum quieti et tranquillitati, pro nostri officii debito, providere volentes, locum ipsum cum omnibus que in presentiarum juste et canonice possidet aut in futurum rationalibus modis, Deo propitio, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Vobis itaque, per apostolica scripta, mandamus ut si quis ex subditis vostris easdem sorores temere perturbare

vel quamlibet eis injuriam seu molestiam irrogare presumpserit, postquam earum querimoniam susceperitis, occasione et dilatione remota, canonicam de ipso justiciam faciatis easdemque sorores, pro beati Petri et nostra reverentia, juvare et manutenere curetis et in suis oportunitatibus opem eis et consilium tribuatis. Datum Laterani VIII° kalendas Octobris. *R*. 6, *C*. 52.

XII. PRIVILEGIUM EUGENII III.

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Turonensi archiepiscopo, Andegavensi, Cenomannensi et Nannetensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. Officii nostri debitum nos compellit ut venerabilibus locis debeamus paterno affectu prospicere et, ne pravorum hominum agitentur molestiis, apostolice sedis patrocinio communire. Religiose siquidem mulieres in loco qui Caritas dicitur et in Andegavensi episcopatu consistit divino famulatui mancipate, a pravis terre illius hominibus graves, sicut accepimus, oppressiones et injurias sustinent et per eos multis et indebitis exactionibus infestantur. Nos igitur earum paci et quieti providere volentes, predecessoris nostri felicis memorie pape Lucii prosecuti vestigia, locum ipsum cum omnibus que in presentiarum juste et canonice possidet aut in futurum rationabilibus modis, Deo propitio, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti pagina communimus. Vobis igitur per apostolica scripta mandamus etc. etc., *cœtera ut in Privil. Lucii. II.* Datum Altissiodori, XI° kalendas Augusti. *R*. 6, *C*. 58.

XIII. PRÆCEPTUM EJUSDEM, DE RESCINDENDIS MONIALIUM QUERELIS.

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Hulgerio Andegavensi, G... Cenomannensi et Nannetensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc universalis ecclesie curam, domino disponente, suscepimus et apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus ut venerabilia loca paterno foveamus affectu et a pravorum molestiis benignitate solita defensare curemus. Filie nostre religiose sanctimoniales B. Marie de Caritate, de multiplicibus et gravibus injuriis, adversus quosdam parrochianos vestros ad sedem apostolicam conqueruntur. Monachi si quidem d'Ebrone decimam de Polineio et monachi Sancti Nicholai parrochiam Sancti Jacobi et sa-

cerdos de Contaneio decimam Gastine et Nivardus de Rupe Forti silvam de Lateio, sicut asserunt, sibi sine judicio et per violentiam auferunt. Miles quoque D... nomine, humanitatis expers, contempto Dei timore, domos earumdem, sicut dicitur, in quadragesima sacrilega presumptione combussit. Quia igitur, officii nostri et caritatis debito, earum justicie que spretis mundi blandiciis divinis laudibus vacant nec deesse possumus nec debemus, per apostolica scripta vobis mandamus quatinus parrochianos vestros et alios de quibus querimoniam fecerint, prenominatis monialibus molestias inferentes, ab earumdem vexatione desistere moneatis; alioquin in eos canonicam sententiam proferatis. Preterea, sicut earumdem monialium querimonia indicat, in parrochia Aveneriarum, que ad jus ipsarum pertinere dinoscitur, G... Dumetus novam basilicam in detrimento alterius fundare presumit. Super hoc itaque prudentia vestra cognoscat, et quod secundum canones fuerit statuendum, auctore domino, statuatis. Datum Altissiodori, XI° idus (1) Augusti. *R.* 6, *C.* 50.

XIV. PRIVILEGIUM ADRIANI IV PAPÆ.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Turonensi archiepiscopo, Andegavensi, Cenomannensi et Nannetensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilia loca cum ipsis personis divino famulatui mancipatis nullis debent gravaminibus concuti, nullis molestiis agitari. Unde nos oportet pro ipsis attentam sollicitudinem gerere et, ne pravorum hominum agitentur molestiis, sedis apostolice munimine confovere. Religiosus autem locus, sicut accepimus, in Andegavensi episcopatu existit, qui Caritas dicitur, in quo religiose mulieres ad conditoris obsequium convenerunt et se ipsas divino famulatui manciparunt. Que a pravis illius terré hominibus, prout nobis significatum est, graves injurias et oppressiones sustinent, et in bonis earum multas et indebitas exactiones idem malefactores facere non verentur. Inde utique fuit quod nos ipsarum quieti et tranquillitati, pro nostri officii debito, providere volentes, eundem locum cum omnibus que in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum rationabilibus modis, Deo propitio, poterit adipisci sub beati Petri et nostra protectione suscepimus, et ipsum apostolice sedis privilegio duximus muniendum. Vobis itaque, etc.,

(1) Melius *kalendas*.

cætera ut in Privileg. Lucii II. Datum Rome apud Sanctum Petrum, kalendis Februarii. *R.* 6, *C.* 51.

ELECTIONES ABBATISSARUM.

XV. DE ELECTIONE LEOBURGÆ PRIMÆ ABBATISSÆ.

Scripture sacre tradidit auctoritas dominum nostrum, veram patris sapientiam, cum mundialem machinam sex dierum complesset, mirabili illi fabrice hominem, ad similitudinem sui nobilius creatum, prefecisse et presidem cunctis que fecerat statuisse: *crescite,* inquiens, *et multiplicamini* et *dominamini piscibus maris et volatilibus celi et universis animantibus terre.* Unde colligitur opificem illum talia obsequia a principio mox plasmandi hominis usibus et provide prospexisse et benigna efficatia preparasse quatinus, in erumpnosis seculi hujus laboribus quos per ignorantiam incurrit, subditorum famulatu sustentatus, multimodo juvamine juvaretur. Hujus rei Moyses et Aaron, Josue quoque multique preter hos populi rectores, in lege prestiterunt exemplum. In Novo si quidem Testamento presules, abbates et abbatisse a commissis sibi ovibus, pastorali diligentia, rabidorum morsus luporum prohibuere; donec intra septa dominice caule omnes possent sine periculo includere. Unde igitur, in Dei nomine, nos humillima beatissime virginis Marie congregatio, non ferentes diutius rectoris carere custodia, pari voto parique concordia, per assensum Fulconis comitis ejusque conjugis Hildegardis nec non et eorum filii Gaufridi, assentientibus quoque nobilibus clericis, laïcis ac utriusque sexus nobilibus personis, in abbatissam nobis eligimus Leoburgam humilitate, sobrietate, castitate et aliis virtutibus ad hoc officium idoneis, gratia Dei bene preditam. Hanc ergo omnes, a minimo usque ad maximum, sine alicujus contrarietate secundum regulam sancti Benedicti nobis patronam constitui et abbatissam consecrari concorditer imploramus, eo tenore ut ipsa jam dictam regulam pro posse teneat et nos, paterna ammonitione, ad sequendum invitet; quatinus ipsa precedendo, sic Deo rationabile obsequium in hoc seculo exibeamus ut in futuro, ipsa pro bona dispensatione nos pro virtute sancte obedientie remunerate, omnes

pariter dulcem illam domini audire mereamur invitationem : *venite benedicti patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. Ut autem in hac legitima electione omnes nos unanimiter pateat in posterum conspirasse, assensum cuncte prebuimus et nomina nostra inferius scripta indidimus. Signum Fulconis comitis, S. Gaufridi, S. Endegardis, S. Hersendis, S. Helisabeth, S. Bove, S. Berte, S. Dode, S. Heldeburgis, S. Helisabeth, S. Richildis, S. Eremburgis, S. Emme, S. Hymberge, S. Adeloie, S. Hildegardis, S. Lisoie, S. Hilde, S. Fredeburgis, S. Gumbladis, S. Engeberge, S. Hildeburgis, S. Aie, S. Organis, S. Erseindis, item Ersendis, S. Loice, S. Legardis, S. Batildis, S. Hugonis monachi qui hanc scripsit cartulam. *R*. 5, *C*. 53.

XVI. DE ELECTIONE RICHILDIS.

Certum est omnibus qui fundamenta catholice puritatis noverunt totius ecclesie stabilitatem in pace Christi consistere, et signum discipulatus ejus in vera dilectione. Namque sic ipsum dominum nostrum Ihesum Christum in Evangelio, dixisse legimus : *hoc est preceptum meum ut diligatis invicem*; et iterum : *in hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli si dilectionem habueritis ad invicem;* itemque : *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Liquet ergo neminem fore Christi discipulum nisi signo dilectionis ac vere pacis fuerit insignitus : hoc vero signaculum non adipiscitur nisi ab his in quibus fuit unitas voluntatum. Voluntatum autem diversitas presertim in multitudine aliter iniri non potest, nisi in his qui suum velle et nolle in unum propositi judicio constituunt; unde et supernus auctor pacis sancte, nullum ordinem in ecclesia sua sine prelatorum relinquens regimine, pro certo insinuat nulla alia ratione fragilitatem labilitatis humane ad unitatem spiritus posse redigi sive in pace conservari. Quare nos devote Deo sorores in cenobio beate Dei genitricis Marie apud Andegavim constitute, quia quidem vinculum pacis et signaculum christiane discipline cum dilectione, per unitatem cordis, possidere cupimus, ut ad salutem animarum nostrarum pertingere possimus, eligimus nobis in abbatissam, domini prosperante clementia, sororem quandam, morum probitate ornatam, nomine Richildim. Quam certe, vice Christi, matrem nobis preesse et patronam ordinari cupimus et postulamus ut, in diffinitione illius, sen-

tentiarum nostrarum et noxiorum scismatum varietas in concordia unanimitatis directa, diversa non sentiat, non moliatur contraria, non, a doctrina Christi et sancti ordinis devians, in contentionis et inobedientie precipitium corruat; sed potius, cum mansuetudine, jugum Christi leve et suave sustinens, ad salvationis eterne requiem pervenire contendat. Facta est autem electio ista annuente Fulcone comite, sub cujus ditione locus iste consistit. A quo etiam, dono rerum temporalium ad idem monasterium pertinentium suscepto, presentata est deinde domno Eusebio venerabili patri, Andecavensis urbis episcopo, ad benedictionis suscipiendum mysterium; ut, cui comes exterius tradiderat auctoritate dominium, episcopus quoque, debita benedictione consecrans ex more ecclesiastico, curam committeret animarum. Signum Fulconis † comitis, S. domni Eusebii † presulis. Theophania decana, Adela, Letgardis, Engela, Agnes, Oda, Maria, Organ, Rentia, Milesendis, Maria, Hersendis, Aremburgis, Haduidis, Belnildis, Leburgis, Jaquelina, Agnes, Umberga, Hildeardis, Lucia, Elisabeth, Hersendis, Adelaidis, Eusebia, Petronilla, Maria, Martha, Guiburgis, Hildeburgis, Anna, Theophania, Aremburgis. Actum Andegavis civitate, VIII° kalendas Julii, in vigilia sancti Johannis Baptiste, anno incarnationis dominice MLXXIII° regnante Philippo Francorum rege anno XIV°.

Donnolus notarius, ad vicem Raginaldi levite, rogatus scripsit in Dei nomine feliciter, amen. *R*. 3, *C*. 54.

XVII. DE ELECTIONE MABILIÆ.

Inter gloriosos sancte ecclesie patres qui nobis viam sanctitatis et innocentie ostenderunt, precipuis meritis beatus refulget Benedictus, qui vitam sancte religionis in cenobiis degentibus ita instituit ut multitudo hominum, sub ejus monasterio congregata, una lege regeretur. Quod profecto fieri nequit nisi, quemadmodum unum saperet, ad unum tenderet, multa menbra cujuslibet hominis una mente reguntur, ita quevis congregatio, religionis intuitu, adunata juxta illius sanctissimi patris Benedicti instituta unius persone consilio et industria disponatur. Quapropter nos sanctimoniales monasterii B. Marie quod dicitur Caritatis discessione abbatisse desolate, que non vitio sed morbo et senectute prepediente nos deseruit, in Dei nomine, concordi mente et una voluntate elegimus et prefici conventui

nostro humiliter deposcimus quandam de sororibus nomine Mabiliam, virginem Deo ab infantia consecratam, clara styrpe progenitam, bonis moribus ornatam, humilem, sobriam ceterisque virtutibus adeo insignitam ut eam ad hoc onus perferendum, omni dubitatione remota, credamus idoneam. In cujus electione ita omnis nostra congregatio assensum prebuit, ut nulla prorsus inter nos esset que non in ejus electione acclamaret. Ad hanc electionem affuerunt venerabiles et religiose persone, videlicet : Hamelinus B. Albini abbas et Petrus S. Sergii nec non Johànnes abbas S. Nicholai et Goffridus sancte matris ecclesie tesaurarius, qui vices tunc domini Ulgerii Trans Meduani agebat, et alie multe venerabiles persone supradicte matris ecclesie, cum favore principis nostri Fulconis egregii comitis, collaudantibus hanc electionem multis clericorum ac laicorum insignibus personis. Obedientiam ergo promittimus in domino eo tenore ut regulam S. Benedicti et ipsa indeclinabiliter pro posse suo, per adjutorium Dei, teneat et nos ammonitione materna invitet ad sequendum; quatinus, ipsa precedendo et nos sequendo, illa pro fideli dispensatione et nos pro devota obeditione remunerate, illam domini dulcem pariter audire mereamur invitationem : *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ut autem in hac electione nos legitime in posterum pateat consentisse, hanc cartam contræctavimus et, assensum prebentes, nomina nostra inferius scripta tradidimus. *R.* 5, *C.* 51.

DE ELEMOSINARIA (1).

XVIII. DONUM HORTORUM QUI SUNT CITRA ECCLESIAM S. NICHOLAI.

Ortos qui sunt citra ecclesiam S. Nicholai, prope Meduanam, comes Fulco et Hildehardis comitissa dederunt elemosine S. Marie Caritatis, ad cibos pauperum et ad pulmentum, in alodio solutos et quietos sicut aliam prebendam. Hoc donum factum est in tempore Teburgis abbatisse prime institute. *R.* 4, *C.* 67.

XIX. DONUM COSTUMARUM POSSESSIONIS ELEMOSINÆ.

Noscat tam futurorum quam presentium intelligentia quod Fulco,

(1) Vide infra *Cepiam et Forgias* spectantes ad Elemosinariam.

comes Andegavensis, et uxor ejus Hildegardis comitissa, pro animabus suis, elemosine S. Marie Caritatis, ad opus pauperum feminarum, dederunt : scilicet omnes costumas suas totius possessionis elemosine circa civitatem Andegavensem, preter III solidos de Forgis reddendos heredibus de Charle et de Carcol, et nichil amplius alio loco. *R.* 1, *C.* 70.

XX. DE ELEMOSINA S. BENEDICTI ÆDIFICANDA.

Tali convenientia dedit Humberga elemosinaria quandam aream sine censu fratribus Sancti Benedicti, ad edificandum in ea elemosinam, quod si fraternitas eorum deficeret elemosina illa remaneret S. Marie, ad opus elemosine quam Hildegardis comitissa edificavit. Quam convenientiam isti audierunt : Johannes de Furcis, Plodias Mellus, Lebertus de Super Ponte, Goffridus Juthagii, Robertus Haigron et omnes alii confratres ejusdem fraternitatis. *R.* 1, *C.* 29.

XXI. DE EMPTIONIBUS HIMBERGÆ ELEMOSINARIÆ.

Has emptiones fecit Imberga elemosinaria. Emit de Stephano IV arpenta terre, annuentibus nepotibus ejus Matheo et Hugolino, qui ob hoc habuerunt alter unam camisiam alter vero braccas. Duo etiam arpenta pratorum emit ab eodem Stephano L solidis, annuentibus eisdem ejus nepotibus. Harduinus vendidit III arp. terre LX solidis, concedente hoc Stephano. Gauterius Saxonus vendidit ei I arp. terre XX sol. Frogerius Curtans Tenchiam vendidit ei III arp. terre et dimidium LVI sol. Lambertus serviens vendidit ei IV arp. terre C sol. annuente Lescelino qui ob hoc habuit X sol. Primadus vendidit ei dimidium arp. prati XII sol. Iseldis et Vaslinus filius ejus vendiderunt ei IV arp. inter terram et prata, LIX sol. concedentibus filiis ejus Petro et Gauterio. Lambertus serviens iterum vendidit ei VII quarteria terre XX sol. Isemberga uxor Goffridi vendidit ei dimidium arp. terre X sol. Helgotus vendidit ei arp. terre et dimidium XXX sol., et I arp. dedit ei pro anima sua. Gauterius Suavis vendidit ei I arp. terre XXII sol. Maurinus vicarius vendidit ei I arp. terre et dimidium C sol. Goffridus de Lion vendidit ei dimidium arp. prati XXX solidis. *R.* 1, *C.* 23.

XXII. DE TERRA TRADITA AD VINEAS ÆDIFICANDAS.

Inter alia bona que multa et maxima, tempore Teburgis abbatisse,

fuerunt facta, consilio istius congregationis sancte et quorumdam peritissimorum hominum, scilicet Goffridi burgensis et Marcherii Almauguini filii et aliorum plurimorum, hoc maximum bonum fuit factum : scilicet Terra Elemosinarie, consilio ipsius elemosinarie Anne, ad vineas edificandas fuit tradita. Videns autem congregatio sancta supradictique homines et ipsa elemosinaria Anna magnam laboriositatem terre et omnia necessaria, videlicet boves, bubulcos et cetera, invenerunt lucrum satis parvissimum propter nimium dispendium. Tum, ex alia parte, magnum proficuum imminere viderunt si terra ad vineas edificandas traderetur. Itaque terra ad vineas edificandas hominibus est tradita : tali conditione ut si quis illorum vineam vendere vellet, non posset vendere nec dare alicui ecclesie nisi solummodo huic sancte ecclesie. Adhuc etiam restat ut si aliquis illorum vindemiam adducere velit, adducat; sin autem necessario habeat illuc dolium in torculari S. Marie et ibi rectum torcularium. Postremo et ut reddant rectam decimam, prout solitum est in ista villa, arpentum ad tria sextaria siliginis vinarii et ad IV denarios census : Herveus Losdung, Evenus filius Triho, Fulbertus Conerius, Galterius de Savoneriis, VI arpenta. Goffridus de Chartes III karteria. Raginaldus Oberga I arp. Haimericus de Doé I arp. Engosbertus II arp. Guibertus I quarterium : Goffridus burgensis, Girardus Chapaluz IV arp. Girardus I arp. Hait III quart. Marcherius, Menus IV arp. David Chapel II arp. Andreas I arp. Michael II arp. et I quart. Guibertus I arp. et pallisper plus. Barnerius semi arp. Martinus Bomerius III quarteria. *R.* 4, *C.* 62.

XXIII. DE VINEA ET TERRAGIIS CONCESSIS A GOFFRIDO BELLO.

Hec convenientia manet inter moniales et Goffridum Bellum et uxorem ejus accepta in capitulo. Moniales eis domum in qua habitabant calumpniabant. Sed, ut sibi domum illam quietam concederent habere in vita eorum, clamavit Gaufridus et uxor sua domum illam solutam et quietam S. Marie, ad opus elemosine, post excessum eorum, et quandam vineam, quam habebant apud Castaniacum, et terram que est juxta vineam : quod moniales fecerunt, et illi concesserunt que diximus, accepto beneficio suo cum monialibus. Hoc audierunt isti : Girardus prefectus, Marquerius, Galterius canonicus, Johannes decanus, Goffridus burgensis, Gauterius Rufus, Thebertus prefectus, Fossardus, Theburgis abbatissa cum capitulo. *R.* 4, *C.* 28.

XXIV. DE EMPTIONE TERRÆ VENATORUM.

Quoniam ea que litteris commendantur firmius in memoria retinentur, notum fieri tam presentibus quam futuris presenti pagina volumus quod Milesendis de Salmuro, monialis S. Marie Caritatis et elemosinaria, cum prius quandam terram, que dicitur Terra Venatorum, in vadimonio super XL solidos haberet, postea emit eam LXX solidos a Drogone Venatore qui tunc temporis terram illam possidebat. Hec autem emptio facta est Andegavis, in camera Theburgis abbatisse, ipsa presente et vidente; presente etiam et vidente Johanne de Blazonio, de cujus feodo terra erat, qui pro concessione sua X solidos habuit et Teobaudus filius ejus V. Concesserunt enim ambo terram illam super altare B. Marie, retentis sibi tantum XVIII denariis annui census. Huic rei interfuerunt testes : Burgundia de Castro Gunterii monialis et Isilia celleraria, Mauricius decanus, Garinus presbiter de Azeio, Soldus presbiter, Marquerius Amalguini, Robertus de Joviniaco, Letardus, Lambertus molendinarius, Ranaudus de Baugeio et plures alii. Cum domno Johanne erat Tebaudus filius ejus et Philippus et Florentinus de Blazonio. *R*. 4, *C*. 69.

DE SECRESTARIA.

XXV. CONSUETUDINES SECRESTARIE.

He sunt secretarie consuetudines :

Diaconus et subdiaconus, XI solidos suscipiunt feria Andegavina; domna abbatissa, V sol. ad piperum emendum; conventui, X sol.; secrestarie, XIII sol. per annum; decane, VIII sol. VI denarios per annum. *R*. 5, *C*. 2.

XXVI. DE PRATIS CLARÆ SORORIS ABBATISSÆ TETBURGIS.

Clara, soror abbatisse Tietburgis, dum obiret precepit viro suo Tietbaudo, filio Eudonis, ut daret tres arpentos et medium pratorum S. Marie eo pacto ut altari concederentur et nulli unquam darentur; et si alicui darentur, mox parentes calumpniam mitterent et manu propria retinerent. Hujus rei sunt testes : Andreas capellanus ejus.

Radulfus filius ejus, Raginaldus vicarius, Imberga cellaria, Orildis et alii sive alie. Ipsa etiam jacet in galilea. *R*. 5, *C*. 80.

XXVII. DE VINEIS VENDITIS SECRESTARIÆ.

Notificamus tam presentibus quam futuris quod Goffridus de Cartis Radulfo segrestario tres quarterios vinee solutos et quietos vendidit, ipso Radulfo reddente VI denarios pro censu. Vendiderunt etiam nati ejus, filius unicus et filia unica, et contra omnes plegii fuerunt. De vinea supradicta Goffridus VII libras habuit, Petrus filius ejus XII denarios pro concessu, et Richildis filia ejus XII denarios pro concessu. Hanc ventionem concesserunt filius et filia et omnes parentes ejus, scilicet : Audesendis, soror ejus, XVIII denarios habuit pro concessu, et filius ejus XII denarios pro concessu, Raginaldus Roimerius XII denarios pro concessu, et ipse plegius fuit. Blandus de Danaziaco et uxor ejus II solidos habuerunt pro concessu et plegii fuerunt. Et ad ultimum vineam, que est juxta torcular ejus, in vadimonio Goffridus concessit. Istius supradicte vinee bibragium Radulfus in domo ipsius Gaufridi reddidit, ubi interfuerunt qui inde testes sunt : Herbertus presbiter, Herbertus de Montenaio, Garinus ejus filius et Radulfus ejus filius, Andreas secrestarius, Barbotus vicarius, Mauricius frater ejus, Burgevinus, Martinus de Berneziaco, Buselinus de Sancto Lamberto, Johannes Ruilans, Guito carpentarius et Petrus ejus filius et alii complures; regnante Fulcone juniore Andecavorum comite et Raginaldo episcopo. Fuit ipse Raginaldus Andegavensis episcopus in illo anno ad archiepiscopatum Remis sublimatus. Anno a passione domini MCXXIX°, indictione III^{a}, concurrentibus XIV, epacta II^{a}, ciclus lune, luna XIV^{a}, X° kalendas Januarii hec ventio facta fuit. *R*. 5, *C*. 54.

XXVIII. DE VINEA DATA AD SERVIENDUM LAMPADI.

Majores nostri, generis humani considerantes astutiam, ut factorum sive dictorum diutius fama viveret, scriptis sive sigillis commendabant. Nos autem, hujus perspicacissime consuetudinis insequentes vestigia, omnibus tam presentibus quam futuris manifestamus Gaufridum de Loeth atque Soriciam uxorem ejus arpentum vinee, ad serviendum cuidam lampadi ante imaginem S. Marie de Caritate, legavisse. Post mortem autem Gaufridi et Soricie, Paganus maritus filie Gaufridi et Hermengardis filia Soricie, pro supradicta vinea inter

se discordantes, sententiam Ugerii episcopi super hoc postulaverunt. Quos Ugerius episcopus in curiam abbatisse, scilicet Theophanie, transmisit; in curia cujus querela diffinita est. Et vidente Hermengarde et filio suo absque contradictione Pagano Neroni vinea in pace remansit : tali pacto videlicet ut quicquid de vinea ageretur, domus sua de super pontem, (in) locum vinee lampadi subserviendo, in perpetuum adimpleret. Hoc autem abbatissa testatur, scilicet Theophania, et Theophania soror ejus et Oitia secretaria et Hugo decanus et Radulfus secretarius et Rainerius subsecretarius et Garoth qui, tunc temporis pretor existens, loco comitis huic preerat civitati, et Joslenus de Turonis et Pipinus de Turonis et Tolopinus de Super Pontem et Bochardus de Super Pontem. *R.* 6, *C.* 30.

XXIX. DE LUMINE MONIALIUM INFIRMARUM.

Quoniam omnia sola memoria retinere non possumus, plurima scripto commendamus. Placet ergo notum facere successoribus meis quod Amelina abbatissa et ipse conventus ecclesie S. Marie Caritatis concesserunt sacristerie habendum quoddam arpentum vinee quod est juxta vivarium; pro quo sacrista Agnes et Radulfus sacrista dederunt conventui X et IX modios vini rubei. Et hoc factum fuit in capitulo, istis audientibus : Amelina abbatissa et toto conventu, Durando canonico, Mainardo, Radulfo sacrista, Mainerio dapifero, Turpino vicario et pluribus aliis; a passione Domini (anno) MCXLV°, indictione XI^a, epacta VI^a, concurrentibus I, circulo VII°.

Postea contigit quod moniales infirme conquerebantur quod nocte ante se lumen non habebant. Hoc audiens Radulfus sacrista ad domnamTheophaniam, tunc temporis sacristam, et consilio ejus et monitu, arpentum vinee et dimidium quod habebat, ad oleum habendum et emendum infirmis monialibus concessit. Conventus autem cum hoc audisset, (rogavit) abbatissam Amelinam ut hoc concederet. Ipsa vero peticionem ejus audiens concessit et donum in capitulo, coram monialibus que aderant, confirmavit. *R.* 6, *C.* 41.

XXX. DE LUMINE ALTARIS ECCLESIÆ S. TRINITATIS.

Quoniam mortalium memoriam vetustatis caligine, velut auram labilem, evanescere sepe videmus, nos sanctimoniales abbatie B. Marie Andegavensis presentibus et futuris liquidum fieri curavimus

quatinus cum Egidius Frammandi ecclesie S. Trinitatis altare paucis et parvulis illuminatum candelis assidue videret, zelo domus domini cor ejus corrodente, largiori et decentiori lumine ipsum altare serenare desiderans, erga nos et Talebotum sacristam impetravit ut dimidie libre cereus super rastrum altaris ardens ponatur; qui singulis diebus matutinis et ceteris horis omnibusque missis, nunquam tamen super altare ponendus, suo jubare deserviat. In quadragesima vero et in diebus quibus novem lectiones leguntur, duo cerei prefate quantitatis accensi rastro superponantur predicto modo, divino servientes officio : excepto hoc quod post primam ejusdem ecclesiæ missam alter cereorum extingatur, ad vesperas et ad complectorium ejusdem diei cum altero iterum accensurus. Ut autem hec institutio in perpetuum fideliter firmiterque teneatur, jam dictus Egidius, pro anima sua et pro animabus uxoris sue Clementie filiique sui Foberti, patris sui quoque et matris sue, de propriis censibus suis X et VII solidos et VI denarios per annum ad Bordellos, venditiones quoque ejusdem feodi de quo censu redduntur sacristarie nostre, ad cereum componendum, dedit et concessit; filiis suis et aliis heredibus hoc concedentibus, scilicet : Herveo, Guidone et Emma filia sua, Johanne Burchardo et omnibus aliis. Hoc factum fuit in capitulo S. Marie assensu tocius capituli. Huic rei interfuerunt : Emma B. Marie de Caritate abbatissa, Adenordis decana, Amelina sacristana, Mathea elemosinaria, Ada cameraria, Hersendis de Sabolio, Emma neptis abbatisse, Margarita de Castro Gunterii, Hodierna de Torreil; et canonici ejusdem ecclesie : magister Ruellanus, Guido de Sancto Laurentio, Herbertus de Sancta Cruce, Talebotus sacrista, Dionisius, Johannes Grani, Johannes Buchardi, Trossel, Simon de Argenteio, Gaufridus Bibens Solem et aliis pluribus. Preterea nos et Talebotus sacrista noster instituimus ut cum dominicum corpus ad infirmos defertur, idonea dimidii pedis candela a sacrista, si necesse fuerit, semel in die prestita referatur. *R*. 6, *C*. 49.

XXXI. CONTROVERSIA INTER SACRISTAM ET DUOS CAPELLANOS.

Universis sancte Dei ecclesie filiis pateat controversiam fuisse inter sanctimoniales B. Marie Andegavensis et sacristam ejusdem ecclesie, qui unum sunt, et duos capellanos predicte ecclesie, Enchenoldum scilicet et Zachariam, super missa pro defunctis celebrata, id est *requiem eternam*, et oblatione que in die Pasche ad corpus domini

offertur : que predicti duo capellani sua esse dicebant, sanctimoniales vero et sacrista hec ad jus suum pertinere affirmabant; super quibus pluribus in locis multotiens altercatum est nec diffinitum. Tandem vero cum ad noticiam Henrici regis Anglie et ducis Normannorum et Aquitanorum, comitis vero Andegavorum et Nannetensium, hec altercatio pervenisset, quia ecclesia B. Marie Andegavensis de jure suo erat et elemosina, utramque partem ante suam presentiam apud Cainonum castrum, domno Joscio Turonensi, Matheo Andegavensi, Laurentio Pictavensi, Johanne Petragoracensi episcopo presentibus et Gosleno dapifero et multis baronibus, jussit presentari. Quibus coram suis et rationibus hinc et inde auditis, habito cum Turonensi archiepiscopo et prenominatis episcopis et baronibus et Gosleno dapifero consilio, hanc inter sanctimoniales et sacristam et duos capellanos Engenoldum et Zachariam statuit concordiam : ut sepenominati duo capellani Engenoldus et Zacharias oblationem, ad *requiem eternam* propriis duobus capellanis oblatam, vita comite haberent; omnes vero cetere oblationes ad jus ecclesie S. Marie et sanctimonialium redigerentur. Quod cum utrimque concessum fuisset, statuit idem rex Henricus et jussit in perpetuum teneri quod cum duo capellani Engenaldus et Zacharias, qui tunc superstites erant, et quatuor canonici Mainardus, Guillermus, Radulfus et Guido viam universe carnis intrarent, abbatissa S. Marie et sanctimoniales licenciam haberent ordinandi ecclesiam suam et servitores mittendi in ea quot vellent et ad quantum redditum eidem abbatisse et sanctimonialibus placeret, ad honorem tamen ecclesie et utilitatem. His ita (factis), tres canonici Mainardus, Guillermus et Radulfus qui presentes aderant, et duo capellani Engenoldus et Zacharias fidelitatem ecclesie B. Marie et sanctimonialium, jussu ejusdem regis Henrici, super sacrosanctum evangelium juraverunt ante corpus et altare Beati Maximi, salvo in omnibus jure ecclesie B. Marie et sanctimonialium. Precepit etiam rex Henricus ut quartus canonicus qui aberat, Guido scilicet, hanc eandem fidelitatem juraret. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLX°, regnante Henrico rege in Anglia, duce Normannorum et Aquitanorum, comite vero Andegavensium et Nannetensium, qui hanc cartam attestatione sigilli sui precepit muniri et quorum nomina subscripbuntur adhiberi : Joscius Turonensis archiepiscopus, Matheus Andegavensis episcopus, Laurentius Pictavensis episcopus, Johannes Petragoracensis electus, Tuonus Turonensis ar-

chidiaconus, Stephanus Andegavensis archidiaconus, Goslenus dapifer, Simon de Castellione et magister Meschinus et alii plures. *R*. 5, *C*. 56.

DE SERVIS ET COLLIBERTIS.

XXXII. CARTA HILDEGARDIS COMITISSÆ DE ANCILLA ET FRUCTU EJUS.

In nomine patris et filii et spiritus sancti, sancte individueque trinitatis. Ego Hildeardis comitissa notum fore cupio omnibus successoribus nostris, tam presentibus quam futuris, quod Marrannus Novias Transis habebat quandam ancillam nomine Leverum et fructibus suis Rainaldus, Dominica, Girbergam; quam ab illo Marranno et filiis ejus Ganelone et Cleopa emi, unum caballum C solidis appreciatum : tali ratione ut quamdiu vixero eam sub nomine ancille teneam; post autem meum obitum eam loco S. Marie qui vocatur Caritas dimittam, ibique omnibus sue vite diebus serviat. Quo de facto sunt testes, si necesse fuerit jurantes et dimicantes : Rannulfus de Paludello, Ugo Mansellus, Ugo botellarius, Airardus prepositus, Albertus Bicotus, Rainaldus Drogonis filius, Fretardus. Si quis vero fuerit qui hoc quassare voluerit, in primis iram Dei omnipotentis, (et) S. Marie incurrat et quod repetiverit non vendicet; sed, judiciali potestate victus, C libras auri persolvat. Hec emptio acta est apud Locas castrum, VI° idus Decembris, regnante Henrigo Francorum rege. *R*. 5, *C*. 45.

XXXIII. DE XIII SERVIS DATIS AB EADEM.

Venerabilis comitissa Hildegardis, quando viam Jerosolimitane peregrinationis aggressa est ubi, et secundum desiderium cordis sui defuncta, prope loca dominice sepulture humata jacet, donavit S. Marie servos suos quorum hec sunt nomina. Goslenum per manum dexteram ad altare obtulit et per ipsum omnes servos ubicunque essent sui juris : Girbuidum, Isembardum, Frogerium, Obergam, Seualdum, Rohodum, Simonem, Constantium Rufum, Obrannum fratrem ejus, Richildim, Milisendim, Dodam. *R*. 5, *C*. 50.

XXXIV. DE CONSTANTIO RUFO, DE GOSBERGA UXORE EJUS ET DE GALTERIO IPSIUS NEPOTE.

Ne sit ignotum pluribus loci hujus habitatoribus de quo Constantius

Rufus res suas tenuit et Gauterius post illum, nepos ejus, vel quod tenuit vel quomodo tenuit, in cartula ista ut in sequentibus haberetur declaratum est.

Constantius igitur Rufus, unus ex conservis domini Castri Celsi, emptus est a comitissa Hyldeardi quem ipsa dedit S. Marie. Huic injunctum est a sanctimonialibus servicium custodiendi cellarium quod juxta Sancti Ebrulfi ecclesiam habetur et vineas que sunt ultra Meduanam quantum temporis vellent; et comitissa Hildeardis dedit illi cellarium quoddam ad Portam Canzaticam et juxta murum, ubi proprium vinum conservaret, tali pacto ut post ejus decessum illud S. Marie dimitteret.

Erat ergo quedam vidua, Ermentrudis nomine, que apud Canzaticam Portam unum furnillum et unam domum et citra semi arpentum vinee continuata, unum juxta aliud, habebat. Huic erat unica filia quam maritavit Huberto Silvagitico cum dimidio suarum facultatum supradictarum. Elapso vero parvo tempore, iratus Hubertus ille cum uxore illa, lapidis ictu enecavit illam. Hoc factum ejus mater ejus condolens, adiit comitissam Hildeardem et relato cum lacrimis funere filie sue, quomodo scilicet maritus illius illam morti dederat, rogavit illam ut sibi vindictam de Huberto faceret : tali pacto ut omnes res filie sue defuncte ad presens suasque proprias post decessum suum S. Marie condonaret; scilicet supradictum furnillum et domum et vineam de quibus dederat ipsa dimidium in conjugio; et ut, postquam ex hoc mundo migraret, sanctimoniales eam sepulture darent; quod totum factum est.

Sanctimoniales vero hanc lessam dederunt Constantio Rufo in vita sua, ut res earum melius atque melius custodiret. Dederuntque illi in custodia res camerarias : terram videlicet de Espalto et terram de Femart et prata et pascua de eodem Femart, que erant communia S. Marie et Domenchii de Aquaria, et terram de Alneto. Hec omnia, res camerarias, custodiebat Constantius earumque esplecturam procuratrici camere reddebat.

Tunc duxit ipse uxorem, sed ex ea non habuit heredes; et terram sibi capiens de Espalto et de Femart, expulit inde colonos carrucamque propriam in eandem terram misit et coluit eam sicuti illi coluerant, ad medium scilicet. Postea, insatiabili concupiscentia ductus, venit ad dominas et, verum mendatio opprimens, dixit quia terra illa nichil sibi nec illis ad medium proficiebat et quesivit eam ad terra-

gium quantum temporis vellent; factumque est ita. *R*. 2, *C*. 20-25; *R*. 4, *C*. 99.

Uxor Huberti de Irato, filia Guidonis thesaurarii, cum moreretur, pro remedio anime sue, S. Marie II arpenta vinearum condonavit que ad Bellum Montem habentur, ad Castegnarios, et sunt de vinagio quitta. Constantius videns quia prope se erant et ita quitta, quesivit illa sanctinialibus in vita sua et impetravit. Et data caritate, dederunt ei II arpenta pratorum que sunt juxta Canzaticam Rupem, ad Tractum Sagene, juxta II arpenta que ad cellarium pertinent.

Igitur illo senio aggravato, munus quod petiverat Agnes, que tunc cellararia erat, dedit : hoc est ut promitteret nepotem suum Gauterium servire dominas neptemque suam Hydealdim daret Rohodo cellerario; et hac de causa dedit Constantius Agneti vulpinas pelles. Quod vidit Rainaldus de Brachesac.

Huic Constantio, cum filii et filie deessent et jam pene decrepito, placuit de se facere monachum et de uxore sua nonam : propositumque suum ad effectum ducere volens, consilio et nutu dominarum, erat enim ut prediximus ex conservis earum, normam sancti Benedicti sub patrocinio Beati Albini aggressus est; et hoc fecit de mobili censu. Uxor autem ejus sub munimine beate Dei genitricis Marie eidem regule adhesit, et hoc de mobili censu. Habuit ergo S. Maria totum quod Constantius a dominabus habuerat vel tenuerat.

Factusque ita monachus, mandavit per Rainaldum Grammaticum abbatisse Beliardi et suo conventui salutem in Christo et orationes, de hoc videlicet quod sibi monachilem habitum accipere permiserant. Insuper res illas, quas de illis tenuerat, clamavit sibi solidas et quietas ab omni columpnia, quanquam sibi nichil de his omnibus pertinebat. Deprecatus est etiam illas per Rainaldum Grammaticum ut, sicut ille fuerat utilis servus earum et fidelis procurator rerum supradictarum, aliquid saltem de rebus S. Marie nepoti suo Gauterio impertirent in vita sua; post mortem vero ejus haberet S. Maria, et ita ut nec heres ejus quicquam juris in illis donis clamaret. Talia mandavit Constantius abbatisse Beliardi ceterisque sub se existentibus, audientibus istis : Goffrido Rotundello, Fulcone vetario, Tetberto preposito, Glaivo pistore, Rohodo cellerario, Stabili vicario, Rainaldo de Brachesac. Ex illo autem tempore fuit Gauterius Rufus penes hunc locum in servitio dominarum donec dederunt illi in manus quod ante habuerat de illis avunculus ejus Constantius. Tunc ipse, nolens ali-

quam S. Marie ancillarum sibi in conjugio copulare, elegit uxorem ex libero genere de qua nati sunt sibi duo filii et filia una. Huic dedit abbatissa Richeldis res camerarias in custodia; postea terragium de illa terra que ad cameram pertinet, quod nunquam avunculus ejus habuerat : et de terragio illo deseisivit cameram, sed in vita sua. Dedit etiam illi abbatissa Richeldis, dum trans Ligerim iret ad Sanctum Lambertum, quantum terre duo boves per duo tempora anni possent exercere; hoc enim quesiverat ille in vita sua. Omnia ergo que data sunt illi, sive ab abbatissa Beliardi sive Richeldi, data sunt ei in vita sua et sic ut nec heres ejus quicquid juris in illis habebat, sed post ejus decessum, sicut ipse solidum et quietum habet, quicquid ab illis tenet ita solidum et quietum ab omni calumpnia sanctimonialibus reddat. Hec omnia vel vidit vel audivit Remburgis, mater Rainaldi de Brachesac, et alii qui supra inscripti sunt; hoc audivit Rainaldus de Brachesac. *R.* 2, *C.* 24, 25; *R.* 4, *C.* 100.

Quando factus est monachus Constantius Rufus, per licentiam domne abbatisse Beliardis et reliquarum sororum de congregatione B. Marie, et uxor ejus Gosberga, vidualis professionis, velamen sumpsit in monasterio isto, precatus est idem Constantius domnam abbatissam et alias dominas hujus loci ut nepoti suo Galterio, quem ipse nutrierat et ex alieno famulicio in familiam hujus loci, per emptionem legitimam, transmutaverat, aliquid concederent in vita sua de rebus illis quas ipse ab illis, in vita sua habendas, susceperat. Quod ille fecerunt per communem sui capituli consensum. Dederunt ergo ei, usufructuario habendum in vita sua, furnile et mansionem et vineam ante portam civitatis que dicitur Aquaria et terrulam quandam in Anguleta ad terragium solvendum, colendam sicut eam Constantius fecerat. De his rebus conventio est ut teneat Galterius in vita sua, quamdiu loco isti fideliter servierit, et post mortem ejus in dominium sanctimonialium revertantur integre; nec filius nec filia ejus aut heres ullus eadem requirat per ullum debitum nisi dominabus, per suam mercedem et voluntatem, sponte placuerit. Pro hoc beneficio nepoti suo impetrando et pro aliqua elemosina sua et uxori sue, conventionem fecit Constantius de duobus arpentis vinee, qui erant de comparatione sua, ut eos teneat Galterius nepos suus similiter in vita sua. *R.* 5, *C.* 40.

XXXV. CARTA GAUFRIDI MARTELLI DE LIBERTATE ROBERTI PRÆPOSITI.

Quicunque debitum sibi relaxat, pro Dei amore, servitium, id sibi ab omnipotente Deo in eterna quiete retribuendum confidat. Ego igitur in Dei nomine comes Gaufridus una cum uxore mea Agnete, peccatorum meorum remissionem promereri et eorum strictos nexus, bona Dei pietate, solvi exoptans, quendam mei juris collibertum nomine Robertum, Frogerii filium, quem de beneficio Sancti Salvatoris teneo cujus capella super murum civitatis Andegave antiquitus sita est, ab omni jugo servitutis absolvo, plurimorum meorum fidelium deprecatione et amore devictus suoque liberali servitio ante michi exibito; et liberum eum facio a lege conditionis ab hoc die in evum, cum filiis et filiabus jam generatis et deinceps ex illo generandis, ac si ab ingenuis parentibus fuisset progenitus. Eligat sibi dominum quem melius voluerit; libera voce eat vias quadrati orbis nemine reclamante; habere suum libere possideat et quidquid de eo voluerit sibi facere liceat. Si vero ullus ex meis heredibus aut aliqua submissa persona hanc libertatis cartulam de supranominati Roberti a servili conditione liberatione, ob mee anime redemptionem factam, infringere temptaverit, quod absit, aut calumpniatus fuerit, populari convictus juditio, auri libras persolvat LVIII et quod repetierit nullo valeat evindicare modo. Et ut hec cartula firmior haberetur, manibus propriis subter firmavimus. Hujus rei testes sunt qui affuerunt et viderunt : Guillermus comes Pictavis et Gaufridus frater ejus, Guillermus de Rocha, Hadimarus Mala Capsa et Gilebertus Lobetus, Hilduinus prepositus, Adelardus de Castello Gunterii, Alchembaldus filius Ulgerii, Hugo Normannus, Geraldus de Vulvanto, Algerius de Doado, Petrus de Tremolia, Fulgerius de Vindocino. Actum publice in ecclesia S. Albini, regnante rege Hainrico, archiepiscopo Turonis Alnulfo, in transacta ante quadragesima (1), defuncto Huberto pontifice Andegavensi, cum redissent comes et comitissa de Apulia. Scripsit hec Martinus tunc capellanus, postea Trigarensis episcopus. Signum † validissimi comitis Goffridi, S. Agnetis nobilis comitisse. *R*. 3, *C*. 79; *R*. 3, *C*. 13.

(1) Var. *Natale.*

XXXVI. DE COLLIBERTIS VENDITIS A PAULINO.

Eterne memorie commendamus Polidelinum S. Marie vendidisse duos fratres et unam eorum sororem cum tota ipsorum familia, quorum venditorum nomina hec sunt : Giraldus, Primaldus, Baltrudis. Hanc ventionem concessit ipse Polidelinus sanctimonialibus in capitulo earum. Insuper fecit inde donum cum cutello super altare, istis videntibus et audientibus : Algerio canonico, Rotberto canonico, Guiberto presbitero, Stabili vicario, Stephano famulo, Goscelino de Spiniaco et pluribus aliis. *R*. 1, *C*. 75; *R*. 5, *C*. 26, 66.

Paulinus vendidit colibertos S. Marie. Quam venditionem calumpniati sunt fratres sui longo tempore post. Iterum eosdem collibertos emerunt a Paulino sanctimoniales, concedentibus fratribus ejus Bernone, Alberico et Gaufrido; testibus his : Bernardo filio Guineburgis, Mainardo sacerdote Creriaci, Matheo Plaxeici, Gaufrido filio Atardi, Stabulo vicario, Thetberto; canonicis S. Marie : Angerio, Roberto Adelelmo, Christiano de Spiniaco; Rainaldo cellerario, Fulcoio.

Teudo tannificus, emit dimidium arpennum vinee de Adenorde matre Paulini, et concesserunt Paulinus et fratres ejus his testibus supra nomitatis. *R*. 1, *C*. 50.

XXXVII. DE COLLIBERTIS DATIS A TETBAUDO DE GERCIACO.

Tetbaudus dominicus vassus, qui dicitur de Gerciaco, et uxor ejus Adenor filiusque eorum Goffridus dederunt S. Marie duos collibertos qui erant sui juris, Gualterium et Hildegardum, habendos in perpetuum et fructum eorum totum; testibus his quorum hec sunt nomina : Odone de Rogiaco, Stephano de Noialo, Radulfo, Guidone filio Durandi Barbati, Guillelmo Rufo, Johanne de Talevasa, Stabulo vicario, Simone fabro, Girardo Calvello. *R*. 1, *C*. 45.

XXXVIII. JUDICIUM DE COLLIBERTIS QUOS CALUMNIABAT FULCO NORMANNUS.

In nomine domini Dei et salvatoris Ihesu Christi. Conservante cartula ista veritatem facti quod hic conscriptum est, notum sit omnibus ad quorum cognitionem res ista pertinebit (quod) quidam miles Fulco cognomento Normannus, filius Rogerii de Monte Rebelli, clamavit versus Gaufridum Juniorem comitem quosdam collibertos

quos ille in manu sua dominicos habebat et predecessores ejus habuerant. Dicebat vero idem Fulco Normannus avum suum Rogerium Vetulum eorumdem collibertorum patres, hoc est Frogerium et Actardum duos scilicet fratres, ex dono Fulconis Antiqui comitis tenuisse et ideo sobolem eorum sibi jure pertinere; patrem quoque suum Rogerium frequenter eos a Gaufrido comite, Fulconis filio, requisisse, sed illum ei inde rectitudinem vetuisse. Fecit comes de hoc judicamentum fieri, quod tenuerunt homines isti : Theobaldus de Jarzeio, Burchardus de Blodo, Normannus de Charta, Robertus prepositus Andegavis, Ulricus prepositus de Brachesac, Garinus cellerarius. His judicantibus et presente Fulcone Normanno et cum eo hominibus suis, Goffrido Fulcardi filio de Losduno atque Bernone de Andegavis, achramivit Girberga, predicti Frogerii quondam uxor sed tunc vidua senex, judicium Dei portare quod Fulco comes et Hildegardis, amica Deo et omnibus bonis comitissa, duos fratres, Frogerium maritum suum et Actardum fratrem ejus et sobolem eorum, de Rogerio Sene, avo Fulconis Normanni, emissent; quia idem Rogerius eos Odoni cuidam militi de Blazono vendiderat. Judicium portavit predicta Girberga vidua in civitate Andegavis in ecclesia S. Mauricii, recipientibus illud hominibus istis Fulconis vice sua : Goffrido filio Fulchardi, Berengerio capellano, Bernone vicario. De parte vero comitis affuerunt : Eudo de Blazono qui et sacramentum eschirivit, Rainerius de Turre, Garinus cellerarius, Giraldus Chavellus, Gallenus spaltarius. Sed et alii multi spectatores viderunt et clericalis ordinis et laïce condicionis. Tercia vero die, representata mulier et publice exquisita, salva et Dei judicio liberata manifeste et sine contradictione inventa est. Itaque liberata est de manu Fulconis et in dominio comitis retenta tota duorum fratrum Frogerii et Actardi soboles et successio progeniei eorum, et in generatione et generationem usque in eternum. Rainaldus, indignus levita, rogatus scripsit. Actum in civitate Andecava, anno a passione domini MLXIII°, indictione I[a], sub comite Goffrido III° et domno Eusebio episcopo; regnante Philippo Francorum rege puerulo anno II°. *R.* 3, *C.* 60.

XXXIX. PARTITIO COLLIBERTORUM INTER MONIALES ET CANONICOS S. MAURICII.

Participatione facta inter canonicos S. Mauricii et sanctimoniales S. Marie de filiis et filiabus Gosberti et Emme, provenerunt ad par

tem S. Marie Hyldegardis et Alsendis, presentibus testibus quorum hec sunt nomina : Albericus de Monte Aureo, Ivo de Gallica, Robertus decanus S. Petri, Stabilis vicarius S. Marie, Giraldus Calvellus, Constantius Rufus. *R.* 1, *C.* 11.

XL. DONUM SEX COLLIBERTORUM.

Emma, derelicta vidua Guidonis tessaurarii, et filius ejus Albericus dederunt S. Marie sex collibertos : Jocelinum, Otgerium, Stephanum, Lambertum, dimidiam Hildegardem et Osannam. *R.* 1, *C.* 18.

XLI. DE MATRIMONIO CUJUSDAM FEMINÆ MONIALIUM.

Conventio omnibus catholicis, quam S. Marie Caritatis abbatissa omnisque cetus habuit cum Garino Dublello, sit nota. Tali quoque tenore illi aream que Simonis olim fuit, ad edificandum domum sibi sine censu, supradicta cohors dedit ut, ab illo die usque ad unum annum, unam ex S. Marie feminabus acciperet; et si infra annum illum mortuus esset priusquam feminam caperet, materie medietas cum tota area S. Marie absoluta remaneret, alteram vero cui vellet daret : et exinde V denariorum solidos sanctimonialibus dedit. De hac quidem conventione, ut stabilis indissolubilisque maneret, Garinus Dublellus quatuor S. Marie congregationi fidejussores dedit, nomina quorum in hoc equore continentur : Giraldus mercator videlicet et Gaufridus Adelelmi filius et Petrus Herdredi filius et Stephanus nautor S. Marie famulus. Nec non si nullo modo comperiretur sese quicquam habere cum Simone suique pecuniam secum attrahere, omnis domus cum omnibus rebus intus cumulatis ilico S. Marie fuisset; et propter hoc prefatam domum in vadio dedit. Hi sunt testes : Giraldus Calvellus, Stabilis vicarius supradictique fidejussores. *R.* 3, *C.* 59.

DE PARROCHIA ET BURGO.

XLII. DE STABILITATE ECCLESIÆ SANCTI JACOBI.

Inter alia que memoratu speravimus esse digna, stabilitatem ecclesie B. Jacobi litterarum memorie commendare curavimus. Beati itaque Jacobi ecclesie, Dei providentia, in parrochia S. Marie edifi-

cate dum Hyldeburgis, prefate virginis venerabilis abbatissa, capellanum vellet imponere, S. Trinitatis quatuor capellani, scilicet Johannes, Babinus, Raginaldus de Cepia et Raginaldus Medicus, vehementer contradixerunt ei hoc : affirmantes alienum capellanum ecclesie in parrochia ipsorum constitute non debere servire, sed penes eos totius parrochie servitium redigi debere. Predicta vero abbatissa hoc audiens, ipsis quatuor capellanis concessit ut, alii aliis succedentes per annum vel per menses vel per septimanas, jam dicte ecclesie diligentes deservirent. Et ut devotius hoc facerent et omnem offerturam fideliter custodirent, constituit ut de communi offertura monialium et canonicorum, unaquaque edomada VII denarios reciperent. Quod ipsi capellani concorditer susceperunt et aliquandiu ecclesie sepememorate, sicut dictum est, servierunt. Deinde Babino nolente hoc pactum tenere, S. Jacobi parrochiani ad supradictam abbatissam, super defectu capellanorum, conquerentes venerunt. Tunc eadem abbatissa capellanos, ut rerum necessitas postulabat, convocavit et quare pactum quod concesserant reliquissent exquisivit. Aliis autem quid responderent hesitantibus, Raginaldus Medicus se eidem ecclesie singulariter serviturum promisit; sed si parrochia S. Jacobi a parrochia S. Trinitatis separaretur et si, in presentia domni Ulgerii episcopi et Richardi archidiaconi et Goffridi decani, quid egregie ipse serviens haberet confirmaretur. Tunc sepius nominata abbatissa coram prenominato episcopo et archidiacono, decano, canonicis et capellanis, ipsius episcopi et aliorum prudentium virorum consilio, ex sua parte quatuor capellanis, ut hoc pactum diligenter concederent, modium siliginis singulis annis ex promptuario constituit reddere; et presentialiter donavit eis arpentum vinee. Canonici vero, prefati episcopi et aliorum virorum consilio, Raginaldo Medico S. Jacobi ecclesie servituro mediam partem confessionum quadragesime et baptismorum dimidiam partem et II denarios de offertura nuptiarum concesserunt, et parrochiam B. Jacobi a parrochia S. Trinitatis conditus diviserunt. Hoc subscripti testes viderunt et audierunt : Hildeburgis abbatissa, Verzelina sacristana, Eremburgis priorissa, Petronilla, Hodierna, Rainerius canonicus, Hylarius, Adam, Bernardus, Radulfus sacrista, Mainus prefectus, Barbotus vicarius, Marquerius filius Amauguini, Robertus de Juviniaco dapifer, David Chapel, Raaldus et plures alii. *R*. 2, *C*. 42.

XLIII. CARTA ULGERII EPISCOPI, DE CONCORDIA INTER CANONICOS S. PETRI ET MONIALES PRO EADEM ECCLESIA.

Ulgerius Andecavensis ecclesie indictus episcopus, famulantium Deo humillimus, Audeburgi venerabili abbatisse B. Marie Andegavensis que de Caritate nuncupatur, sine fine. Rectores ecclesiarum summe humiles esse et justis omnium Deo deservientium peticionibus, et earum maxime personarum que jugo religionis se mancipaverunt, concedere decet. Eapropter laudabilis soror Aldeburgis abbatissa, honesta siquidem religionis exemplum et conservatrix, postulanti tibi justa annuentes, pactum compositionis quod inter canonicos S. Petri Andegavensis et abbatissam Teburgim, cui tu tercia successisti, habitum de hoc parrochiæ quod modo dicti canonici trans Meduanam de jure sue ecclesie habuisse dinoscuntur, sicut factum est concedimus et confirmamus et istius nostre pagine auctoritate communimus.

Forma autem concordie, sicut subscripta notatur, erat : ecclesia B. Marie, cujus modo meminimus, habuerat ab initio fundationis sue et adhuc habebat ab ipsis canonicis S. Petri omnes oblationes et terciam partem sepulture et decime illius juris quod illi astruebant se habere in parrochia Trans Meduana, in qua consistunt ecclesia S. Jacobi et monasterium S. Nicholai; pro quibus omnibus, in singulis annis, censum V solidorum et C candelas eisdem canonicis persolvebat.

Sane elapso nonnullo tempore, venerabili Rainaudo Andegavensi ecclesie presidente, cum ipso annuente pretaxata Teburgis abbatissa ecclesiam S. Jacobi ibi incepisset edificare, sepedicti canonici calumpniati sunt illam ecclesiam. Verum mox dictam, sancto spiritu (inspirante), predicti canonici calumpniam illam penitus finierunt et censum V solidorum et C candelarum et insuper quicquid juris in ea parrochia habere vel habuisse se dicebant, ecclesie S. Marie sanctimonialibus ibi Deo famulantibus et famulaturis, prorsus dimiserunt; retento tantummodo censu annuo IV librarum Andegavensis monete quas solvet conventus S. Marie capitulo S. Petri in singulis octabis Nativitatis B. Marie. Actum est hoc Andegavis, in ecclesia B. Petri apostoli, presentibus et concedentibus canonicis : Eudone, Michaele, Garino, Rainaudo Burgevini, Guillermo decano, Girardro Hildrei,

Odone de Cleis, Roberto de Monte Laudato, Pagano Guittone, Britello filio Maini, Porpenseio, Abone qui eorum abbas dicebatur et uxore ejus Agnete et eorum filiis Petro, Gaufrido ejusdem ecclesie canonico, cui ambo potestatem et dominationem quam habebant in ipsa ecclesia B. Petri concesserant. Huic rei testes affuerunt predicti canonici, Abbo ejusque uxor et eorum filii, Nicholaus quoque miles eorum, Petrus Carum Tempus, Giphardus draperius, Barbotus de Deleto, Fulco filius Oberti, Gaufridus Vindocinensis abbas, totius rei prolocutor ac mediator, et cum eo quidam monachus ejus Raginaldus Surdus; ex parte S. Marie Caritatis : Theburgis abbatissa, Eusebia celleraria, Virzelina sacricustode, Eremburgis monetaria; canonici ejusdem ecclesie : Rainerius, Hylarius, Adam; capellani quoque : Goffridus cartule compositor, Rainaudus Tiberti, Babinus, Johannes; de laïcis quoque : Manodus Bacheloth, Marquerius Amauguini, Guito, Garinus Losdun, Hanelodus, Tebaudus, Radulfisat, Barbotus vicarius, David de Castro Brientii, Engebaudus villanus, Paganus Carum Tempus, Guido Carpentarius, Guido de Elemosina, Stephanus cellerarius, Petrus de Olerum, Babinus, Richardus, Frogerius Seuatdi, Giraldus de Brachesac, Richerius et alii complures.

Crastina autem die supradicti canonici, ad concordiam predictam confirmandam, in capitulum S. Marie convenerunt; quo in loco concordia predicta ab utraque parte, tam canonicorum quam sanctimonialium, concessa est, testibus supradictis presentibus et aliis quam pluribus. *R*. 3, *C*. 30.

XLIV. CARTA GAUFRIDI VINDOCINENSIS ABBATIS, DE EADEM CONCORDIA.

Goffridus Vindocinensis monastarii abbas et humilis servus, omnibus christianis sue matris ecclesie pacem et quietem toto corde diligere et ejus immortalem sponsum, Christum videlicet, videre pariter et habere. Universis qui modo sunt et qui usque ad finem seculi venturi sunt hominibus quod vidimus et audivimus, concordiam scilicet inter sanctimoniales B. Marie que de Caritate dicitur et B. Petri canonicos factam et unde et quomodo fuerit factam, presentibus litteris notificamus. Canonici itaque ultra Meduanam quandam habebant parrochie partem in qua abbatia S. Nicholai et burgus ejus continentur et multa alia, et ejusdem partis parrochie oblationes universas et sepulture et decime terciam partem sanctimoniales predicte

a canonicis tenebant, eis inde per annos singulos reddentes censum V scilicet solidos et candelas C. In ipsa etiam de qua loquimur parrochie parte, concessione Raginaldi venerabilis vite Andegavensis episcopi, a sanctimonialibus ecclesia que dicitur B. Jacobi jam ceperat edificari, de qua tamen inter ipsas et canonicos orta erat discordia. Postea vero, disponente Deo omnium bonorum creatore et pacis et quietis servorum suarum et ancillarum dulcissimo amatore, canonici S. Petri quam faciebant de ecclesia S. Jacobi calumpniam et censum quem prius sanctimoniales eis reddebant et quicquid preterea in illa parrochia ipsi possidebant, ecclesie B. Marie et ancillis ejus, ibi nunc et usque in finem seculi Deo servientibus, cum pace et dilectione dimiserunt : nichil in omnibus, in burgo monachorum S. Nicholai sive in cellario eorum vel in alio quolibet predicte parrochie loco, sibi vel successoribus suis retinentes preter quandam dignitatem, missarum scilicet celebrationem, quam in festivitate B. Petri, sicut ipsi dicebant, abbas et monachi S. Nicholai ecclesie sue exhibere consueverant. Nec propter supradictam parrochie partem in ecclesia B. Marie aliquam consuetudinem vel cujus libet rei subjectionem canonici B. Petri deinceps optinebunt, preter annuum censum, IV scilicet libras denariorum Andegavensium, quas octavo die festivitatis de Nativitate Marie virginis habebunt.

Dictum est etiam et a canonicis B. Petri concessum quod, sicut eis sanctimoniales quietum facerent censum, ita et ipsi quietum illis facerent censum.

Actum est Andegavis in ecclesia B. Petri apostoli,... *Cœtera ut in carta præcedenti. R.* 2, *C.* 10.

XLV. PLACITUM INTER CANONICOS S. MAURICII ET MONIALES, DE FINIBUS PARROCHIÆ.

Cum inter nos et canonicos S. Mauricii, presentibus episcopis Andegavensi, Cenomannensi, Redonensi, de finibus parrochie nostre (causa) ageretur, quia comes aberat, qui et protector et advocatus est hujus ecclesie et per quem dies cause statuta fuerat, consilium nobis fuit inducias agendi postulare quoadusque ille veniret. Cum autem inducias instanter postularemus, judices ceperunt nos hortari ad concordiam : ita tamen ut si concordia fieri non posset, ad eundem statum in quo erat utraque pars rediret. Mane facto, judices de concordia tractaverunt, sed res effectu caruit. Et quia utraque pars

in suo statu ramanserat, ad inducias, sicut in prima die ita in secunda, nitebamur. Contradicentibus vero canonicis, de peticione nostra fieri judicium postulavimus; sed canonici de dandis induciis judicium recipere noluerunt. Cum igitur illi de induciis judicium renuissent, judices rem dimiserunt indiscussam et utramque partem jusserunt recedere. Discessimus itaque; sed ante discessum nostrum coram judicibus parate fuimus et per prolocutores nostros obtulimus facere quicquid nobis curia adjudicaret. *R.* 2, *C.* 16; *R.* 1, *C.* 16.

XLVI. DE ECCLESIA SANCTI LAZARI.

Quoniam ea que agimus cito transeunt et a memoria recedunt seu volubilitate temporum seu negligentia scripturarum, ideo illa que memoriter retinere volumus noticie litterarum tradere curavimus. Igitur tam presentibus quam futuris tradere curavimus, significare volumus, quod burgenses Andegavenses, confratres, fecerunt quamdam ecclesiam, ad opus leprosorum, in honore Sancti Lazari infra parrochiam S. Marie, sine assensu et consilio abbatisse et sanctimonialium sub jure et sub dominio quarum illa ecclesia canonice debebat esse. Postea vero homines laïci voluerunt ibi ponere sacerdotem et habere ecclesie beneficia et oblationem. Quod abbatissa et sanctimoniales et canonici Rainerius et Hylarius calumpniaverunt, et ecclesiam illam diu sine officio esse fecerunt. Tandem diffinita calumpnia, cognito jure S. Marie Caritatis in presentia domni Raginaldi episcopi, burgenses confratres venerunt in capitulum S. Marie : et ibi, in presentia Theburgis abbatisse et coram omni conventu, concesserunt Deo et S. Marie ecclesiam illam solidam et quietam et presbiterium et oblationem et quicquid utilitatis in posterum proveniret. Promiserunt etiam et tenaciter constituerunt quod sacerdoti, qui per manum abbatisse poneretur et serviret pauperibus, darent per singulos annos modium vini vel vineas convenientes, et modium frumenti de beneficio suo. Unde sunt isti testes : Stephanus cantor et archidiaconus, Gaufridus de Engria, Marquerius filius Almauguini, Rainerius canonicus, Hylarius canonicus, Giraldus canonicus, Eudo sacristarius, Guito de Ponte, Hanelotus, Meno Bacheloth, Lebertus, Johannes Pes Tortus, Bernardus Angerius, Barbotus vicarius, Robertus de Juigniaco, Herbertus de Montenaio et alii plures. *R.* 2, *C.* 81.

XLVII. JUDICIUM EUSEBII EPISCOPI ET FULCONIS COMITIS, DE SEPULTURA PARROCHIANORUM S. MARIÆ.

Posteritatis nostre memorie commendare volumus rem memoria quidem dignam et in armariolis succedentium ecclesie filiorum vel filiarum firmiter recondendam. Scimus itaque scriptumque habemus quod Fulco, nobilis comes, et uxor ejus Hildegardis ecclesiam B. Marie a fundamento construxerunt et rebus suis largiter dotaverunt et parrochiam in quantum potuerunt, emptis undequaque virorum multorum feodis, augmentaverunt. Quam parrochiam, scilicet a Posterna Boleti usque ad Frigidum Fontem et a Spinatio usque ad Grizilliacum versus Prunerios, tempore multo quiete et absolute tenuimus usque ad tempus Eusebii episcopi. Sed vivente Eusebio episcopo et Fulcone, fratre Barbati, Andegavorum habenas tenente, orta est contentio inter nos et ecclesiam B. Nicholai super corpusculo cujusdam defuncti juvenis, qui Piscis vocabatur, filius Rogerii et Lamberge. Juvenis ergo ille, cum aliis coequevis suis, inceperat fraternitatem in honore S. Nicholai; eratque fraternitas illa, recenter inventa, in maximo honore. Quo defuncto, placuit amicis et confratribus ut corpus ad S. Nicholaum deferretur ibique tumularetur. Cumque, pre timore hujus ecclesie cujus parrochianus erat, navigio furtive ad predictum S. Nicholaum mortuum cadaver tollerent, notificatum est sanctimonialibus et S. Marie hominibus. Qui abeuntes corpusque ad portum invenientes, cum processione parrochianum suum, nullo contradicente, ad morem suum ad matrem suam ecclesiam, ut dignum erat, reportaverunt ibique honorifice intra murorum septa sepelierunt. Unde clamore facto et termino placiti constituto, ventum est in judicium ante Eusebium episcopum et Fulconem comitem, ubi multa tam clericorum quam laïcorum nobilium turba convenerat. Sanctimoniales igitur clamaverunt juvenem mortuum ad parrochianum suum, et parrochiam suam usque ad Portam Boleti; dicentes se habere sufficientes testes, quos ibi nominaverunt et presentaverunt : Giraldum Calvellum, Andefredum Aimerici Divitis fratrem, Fulcoinum Godueth, Stabilem vicarium, qui de familia comitisse Hyldeardis fuerat et cum ea Jerosolimam ierat. Hi dedicationi S. Marie Caritatis, sub episcopo Huberto facte, interfuerant et parrochiam, nemine reclamante, determinatam sicut premisimus, ab eodem episcopo concessam atque ostensam fuisse viderant, presente

Fulcone nobilissimo comite et uxore ejus Hyldegarde et precaventibus contentionem in posterum oriri. Videntes autem Eusebius episcopus et comes Fulco et Marbodus archidiaconus et Gaufridus thesaurarius et Gaufridus cantor et Robertus Burgundio et Raginaldus de Castro Gunterii aliique quam plures, tam clerici quam laïci qui huic placito intererant, tam legitimos testes ad hoc probandum paratos nullumque ex adversa parte contra eos insurgere, predecessorumque suorum institutis nolentes contraire, diffinierunt judicium ad verum dictum et ostensionem istorum qui audierant et viderant testium. Qui, ex jussione Eusebii episcopi cum suis et ex precepto comitis Fulconis cum suis baronibus, descendentes de civitate, venerunt ad Portam Bulleti, ibique sedit unus eorum. Alter vero per vicum qui est a dextra parte propinquior urbi descendit juxta domum Gillardi Calvelli ad Portum Lignorum; alter vero, a sinistra, ad Portum Annone : ostendentes divisiones et metas nostre parrochie ab antiquis institutas et deinceps sine concussione permansuras. Itaque, ad posteritatis tranquillitatem, distincta fuit parrochia, undique sedata omnium controversia, coram Eusebio episcopo et comite Fulcone cum suis baronibus, Gaufrido thesaurario, Gaufrido cantore, Marbodo archidiacono, Garnerio, Rainaldo archidiacono, Gaufrido, Martino reliquoque capitulo; Durando Cor Sancto, Eudone Blanchardo, Rainaldo Espasterio, Hugone de S. Laudo multisque aliis clericis. De laïcis autem affuerunt hi : Bernerius et Giraudus filii Andefredi, Garnerius cellerarius, Fulbertus monetarius, Rainaldus Burgevinus, Frogerius pontenarius, Dagobinus, Engelardus, Giraldus Pilatus, Vitalis tornator, Thebertus prepositus, Raginaldus Fossardus, Gauterius Rufus, Rainaldus villanus, Robertus de Castello Brientii, Teobaudus Allobros, Hyldinus Ferronus, Hubertus Piterata, Mainerius frater ejus, Rainaldus de Orginniaco, Fulcoius frater ejus, Gaius pistor, Rohodus cellerarius, Christianus de Spinatio, Adelelmus canonicus, Augerius, Robertus, Imberga celleraria, Imberga filia Dei, Delia sacristana, Richildis ejusdem ecclesie abbatissa et promiscui sexus multitudo permaxima que ad hoc, quasi spectaculum, undequaque convenerant. *R.* 2, *C.* 75; *R.* 5, *C.* 11, 45.

XLVIII. DE GAGIO QUOD DEDERUNT MONACHI S. NICHOLAI DE EADEM SEPULTURA.

Quanquam de multis injuriis sit nobis causa cum monachis S. Ni-

cholai, capellanus tamen supra omnia huic ecclesie est dampno; et cum, judicio archiepiscopi Turonensis, expelli debeat, semper ad utriusque discordiam ecclesie, et cantare et parrochiam subtrahere non desistit baptizando, sepeliendo, oblationem recipiendo. De filio autem Richardi cementarii, quem sepeliit, non habuerunt quid opponerent; sed judicio archiepiscopi Turonensis et episcopi nostri Gaufridi et thessaurii Rainaldi jussi sunt effodere corpusculum et reddere cum gagio suo canonicis S. Petri et abbatisse Richildi. Cumque dirigeret abbatissa famulos qui afferrent cadaver jam diu fetidum, rogavit predictus archiepiscopus et episcopus noster et abbates plurimi, videlicet S. Florentii (Salmurensis) Sanctique Sergii et S. Petri Burgoliensis Sanctique Petri Fossensis et S. Trinitatis (Vindocinensis) ne fieret tanta crudelitas. Nec potuit resistere tot et tantis intercessoribus, sed dedit indulgentiam monachis de effodiendo corpusculo : ea tamen conditione ut eorum capellanus in ecclesia S. Nicholai et nostri populo clamarent non per judicium sed per remissionem remansisse corpusculum. *R.* 1, *C.* 60.

XLIX. JUDICIUM RAINAUDI EPISCOPI CONTRA EOSDEM MONACHOS, DE CIMITERIO.

Post discessum Urbani pape et ecclesie S. Nicholai consecrationem ab eodem papa factam, sanctimonialibus S. Marie, super cimiterio contra canonica instituta in campo S. Nicholai facto aliisque quam pluribus injuriis a capellano et monachis S. Nicholai sibi incessabililiter illatis conquerentibus, eisdem monachis ab injuriis non cessantibus, domnus Rainaudus Andegavensis episcopus, auditis utriusque partis objectionibus et responsionibus, pacem, accepto communi consilio, inter eos firmare constituit. Advocatis itaque et consultis nobilibus personis S. Mauritii, presentibus sanctimonialibus et monachis discussisque canonicali judicio controversiis, judicavit et irrefragabiliter confirmavit quod ecclesia S. Nicholai nullum habebat parrochianum; nec sacerdos eorum aliquid, causa parrochie, recipere debebat beneficium nisi homines proprios propriis officiis deditos qui infra muros ejusdem cenobii morarentur. Huic judicio interfuerunt : Garnerius archidiaconus, Radulfus capellanus, Goffridus de Engreia archipresbiter, Aimericus de Ramo Forti, Guibertus, Rainerius, Hylarius, Goffridus de Castris, Andreas burgensis, Salomon tinturarius, Eusebia, Johanna, Fabiana et alii multi. *R.* 2, *C.* 58.

L. ITEM JUDICIUM CONTRA EOSDEM MONACHOS.

Tempore Raginaldi venerabilis episcopi Andegavensium, monachi S. Nicholai, prava cupiditate stimulati, de trans Brionellon quandam mulierem mortuam, nomine Junargam, summa violentia rapuerunt atque, male et irregulariter, intra sepulturam monachorum intruserunt. Quod postquam sanctimoniales et canonici B. Marie audierunt, in presentia domni Raginaldi episcopi calumpniati sunt. Monachi vero ab episcopo ad causam vocati, cum eis, pro injusta causa quam habebant, sufficiens ratio nullatenus suppeditaret, judicatum est a domno Raginaldo et ab aliis judicibus ibidem assistentibus, ut corpus de fossa extraherent et in domum unde illud abstulerant reveherent. Quod factum est ita, jussu et assensu domni Lamberti abbatis. Postea vero, judicio domni Raginaldi episcopi et totius curie, sepultum est corpus illud in cimiterio S. Marie ad S. Laurentium. Huic judicio affuerunt isti : Guillermus decanus et archidiaconus, Guillermus Musca archidiaconus, Goffridus thesaurarius, Stephanus precentor et archidiaconus; de parte Theburgis abbatisse : Rainerius, Hylarius canonici S. Marie; de sanctimonialibus : Eusebia, Virzelina, Johanna, Fabiana; de laïcis : Bernardus Angerii, Engelbaudus villanus, Robertus de Joviniaco et alii complures. *R*. 2, *C*. 59; *R*. 5, *C*. 49.

LI. DE CORPORE CUJUSDAM ALBANI ABLATO AB EISDEM MONACHIS.

Ut posteris nostris notificetur, huic cartule inserere voluimus quod cum moniales S. Marie multotiens conquererentur de monachis S. Nicholai, qui furtim et quasi per latrocinium conarentur auferre eis suam parrochiam, videlicet homines albanos de burgo S. Nicholai, contigit ut quidam albanus jaceret mortuus in ecclesia S. Nicholai ante crucifixum. Quod rescientes homines S. Marie, corpus abstulerunt; et in cimiterio S. Marie intumulatus est. Hoc fecit Rauuldus et Barbot villicus. *R*. 2, *C*. 76.

LII. JUDICIUM RAGINALDI EPISCOPI, DE SEPULTURA EJUSDEM ALBANI.

Cum ecclesia S. Marie Caritatis diu conquereretur super abbate et monachis S. Nicholai : videlicet de parrochiali beneficio, quod ipsi injuste presumebant et de sepultura mortuorum tam divitum quam pauperum quos ipsi, latenter et quadam violentia et etiam contra

canonica instituta, recipiebant et tumulabant; contigit ut quidam pauper et albanus mortuus est, et ipsi pallium et crucem suam argenteam ad corpus posuerunt et fossam ei preparaverunt. Quod canonici et sanctimoniales rescientes, corpus, quasi parrochiani sui, calumpniaverunt et inde domno Raginaldo pontifici clamorem fecerunt. Et judicavit episcopus et curia ejus quod neque monachi neque sacerdos eorum nullum parrochiale officium alicui facere poterant, nisi hominibus propriis qui infra muros morabantur. Hac lege et hoc justo judicio de ecclesia S. Nicholai Rainerius canonicus et Herveus Gorio capellanus, corpus abstulerunt et in cimiterio S. Marie sepelierunt. Supradicto judicio interfuerunt : Guillermus de Salmuro decanus et archidiaconus tunc temporis, Guillermus Musca archidiaconus, Stephanus cantor et archidiaconus, Goffridus thesaurarius, Richardus, Goffridus de Engria archipresbiter, Obertus, Radulfus episcopi capellanus, Hubertus archipresbiter de Valle Guidonis; de monachis S. Nicholai : Robertus de Azeio, Guido de Daona; ex parte S. Marie : Rainerius canonicus, Mauritius de Cepia, Eudo sacrista, Bernardus Angerii prefectus, Garnerius Gastel.

Item cum Lambertus abbas et monachi in Theophania prohiberent parrochianos S. Marie de burgo S. Nicholai ne venirent ad novam ecclesiam S. Jacobi, quam fecerant sanctimoniales, et parrochiani oblationem fecissent super altare S. Nicholai, quia sacerdos nullum audebat recipere, judicio domni Raginaldi episcopi abbas et monachi reddiderunt oblationem et habuit Eusebia celleraria et Verzelina sacristana et canonici, videlicet Girardus, Rainerius, Hylarius, Adam. Unde sunt testes isti : Guillermus decanus, Stephanus cantor, Bernardus Angerius. *R.* 2, *C.* 41, 79.

LIII. JUDICIUM EJUSDEM CONTRA EOSDEM MONACHOS, DE OBLATIONIBUS ET SEPULTURA.

Cum a sanctis patribus sit constitutum et sinodali judicio prohibitum ne sacerdos recipiat parrochianos alterius ecclesie, contigit ut Johannes, sacerdos S. Nicholai, S. Marie Caritatis parrochianos reciperet et beneficia eorum, videlicet baptisteria, confessiones, sepulturas : unde multociens misimus eum ad rationem; sed ipse totum denegabat. Tandem vero contigit quod ego Renerius et Hylarius, qui tunc eramus noviter canonici effecti, jussu domni Ragi-

naldi episcopi et Garnerii archidiaconi, iremus ad S. Nicholaum et ibi diceremus in ecclesia populo precepta ipsius episcopi, et quosdam adulteros ab introitu separavimus. Cum autem ibi essemus, venerunt mulieres de burgo S. Nicholai, parrochiane S. Marie, cum pane et candela ad altare, quod recipit Johannes sacerdos. Nos vero quesivimus ab eo ut redderet nobis oblationem illam et ipse reddidit panem et candelam; et alium panem retinuit, quia dicebat quod mulier illa (quæ dederat), neque locum neque focum habebat in parrochia nostra. Unde clamorem archidiacono fecimus et, justo judicio coactus, reddidit nobis panem et candelam cum vadimonio suo. Infra vero octo dies postquam hec acta sunt, mortuus est quidam juvenis in Veteri Folia qui non habebat ibi locum, nepos cujusdam monachi S. Nicholai nomine Arraudi, quem reclamabant monachi. Unde ventum est coram Raginaldo Andegavensi episcopo; et auditis causis utrorumque, judicavit et confirmavit quod ecclesia S. Nicholai nullum parrochianum habebat, neque aliquem mortuum vel aliquid beneficium causa parrochie recipere debebat nisi proprios famulos suos : itaque corpus quod calumpniabant tradidimus sepulture. Cujus rei sunt testes isti qui judicio interfuerunt : Garnerius archidiaconus, Goffridus archipresbiter, Radulfus capellanus, Salomon tinturarius et alii quam plures. *R.* 1, *C.* 81.

LIV. DE RESTITUTIONE OBLATIONIS.

Tempore Teburgis abbatisse, acceperant monachi S. Nicholai, contra vetitum Raginaldi episcopi, oblationem de parrochianis S. Marie, de burgo scilicet S. Nicholai, in festivitate Omnium Sanctorum. Que a sanctimonialibus et a canonicis ejusdem ecclesie est in curia clamata; et judicio curie eis est per jus reddita, istis testibus : Guillermo decano et archidiacono, Gaufrido thesaurario, Stephano precentore et archidiacono, Gaufrido de Engria archipresbitero, Oberto archipresbitero; de monialibus : Eusebia celleraria, Virzelina; de canonicis : Rainerius, Hylarius; de laïcis : Bernardo Angerii prefecto, Barboto vicario, Roberto de Juigniaco et tota curia. *R.* 2, *C.* 71, 94.

LV. INTERDICTIO ECCLESIARUM S. NICHOLAI PROPTER NEQUITIAM MONACHORUM.

Quoniam ab humanis mentibus multa labi solent, utilitati.....

Ulgerius Dei gratia Andegavensis episcopus et Ra...... archipresbiter, omnibus presbiteris ad quos littere iste pervenerint, salutem. His litteris vobis notificare volumus quod nos, justicie obsequentes, omnes S. Nicholai ecclesias, monachorum protervitate et nequitia exigente, sub interdicto ponimus. Ipsi enim, contempto curie beati Mauricii judicio et contra scriptum quod sanctimoniales (habent) a tempore Raginaldi episcopi, de suarum inter se et monachos divisione parrochiarum, ipsius episcopi sigillo munitum et tocius capituli decreto confirmatum, parrochianum S. Marie inhumare presumpserunt. Unde vobis mandamus et per summam obedientiam precipimus quatinus hostia vestrarum ecclesiarum claudatis nec amplius, nisi secreto, donec nobis et sanctimonialibus satisfaciant, cantare audeatis. Valete. *R.* 3, *C.* 81.

LVI. JUDICIUM ULGERII EPISCOPI, DE PARROCHIA QUÆ EST TRANS BRIONELLUM.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi. Ulgerius episcopus Andegavensis, in perpetuum. Qui ad regimina ecclesiarum, Deo auctore, admittuntur, studio et labore debent subditis sibi personis, et maxime ecclesiis, sua jura defendere et ut ablata restituantur summopere eniti; precipue autem ne, vicio pigricie sue aut negligentie sue mora, monasteriorum congregationes, que orationibus vacare debent, dilata justicia sibi invicem adversantes, litigiose contendant. Iccirco querelam, inter Johannem abbatem S. Nicholai et Adeburgim abbatissam B. Marie Andegavensis que dicitur de Caritate, diu habitam super parrochia que est trans Brionellum, que equidem in temporibus nostris formidolosa et periculosa erat, multis ad nos ab ipsa abbatissa factis prius clamoribus, in curiam S. Mauricii ante nos vocavimus et, presentibus magnis et sapientibus viris, tractavimus. Astruebat prefata abbatissa parrochiam illam, usque ad parrochiam de Prugners continuatam, triginta annis sine legitima reclamatione, ecclesiam cui ipsa presidebat possedisse et adhuc possidere : habendo de illa sepulturas et confessiones et oblationes et si qua sunt alia jura parrochialia. Preterea faciebat legi in medium litteras domni Rainaudi Remensis archiepiscopi, qui fuerat Andegavensis presul, sigillo ipsius munitas, secundum quarum sententiam monasterio S. Nicholai nulla, preter septa muri sui, adjacebat parrochia. Addebat insuper abbatissam Tiburgim, cui tercia ipsa successerat, apud

ipsum domnum Rainaldum, in tempore Lamberti tunc S. Nicholai abbatis, super invasione et injuriis quibus monachi S. Nicholai violaverant pretaxatam parrochiam sepius clamasse; et tandem renovata querela, occasione corporis cujusdam defuncte mulieris Junargant nomine quam, absportatam de ipsa parrochia, monachi apud S. Nicholaum in cymiterio sepelierant, in jus utramque partem venisse et ipsum Rainaldum episcopum judicasse de cymiterio illo predictum corpus debere extrahi et ad domum unde ablatum fuerat referri et inde in cymiterio S. Laurentii debere sepeliri. Sane producebat eadem abbatissa Aldeburgis testes legitimos multos, sacerdotes scilicet et laïcos, paratos jurare se audivisse ipsum Rainaudum episcopum judicantem corpus de quo locuti sumus de cimiterio S. Nicholai debere extrahi et ad domum unde ablatum fuerat referri et in cimiterio S. Laurentii sepeliri. Ad hec prefatus Johannes, abbas S. Nicholai, respondebat parrochiam illam S. Nicholai jure fore : quia comes Fulco dederat ecclesie S. Nicholai forestam Cascie, que nulli erat obnoxia parrochie, et monachos S. Nicholai ecclesiam de Vulcosiaco in ea edificasse et cimiterium benedici fecisse et partem hominum in locis illius foreste habitantium, ut essent parrochiani ecclesie illius, destinasse, partem vero, ut essent parrochiani S. Nicholai, retinuisse; defuncte illius corpus de qua jam diximus non fuisse extractum de tumulo suo judicio nec relatum ad domum, nec in cymiterio judicio sepultum. Ad hoc etiam probandum offerebat testes duos monachos et duos laïcos. Auditis rationibus utriusque partis, quia abbatissa et investita erat corpore defuncte illius, ut diximus, et quia affirmabat et quia per triginta annos sine reclamatione legitima tenuerat, testibus illius probationem adjudicavimus; et cum probatio facta fuisset, ipsi et ecclesie sue supradicte parrochie possessionem adjudicavimus. Hoc judicium protulimus ego Ulgerius Andegavorum episcopus et Johannes venerabilis episcopus de S. Brioco et Petrus abbas S. Sergii et Gaufridus decanus et ipsius parrochie archipresbiter et Tebaudus tessaurarius et Buamundus et Normannus et Richardus archidiaconi et Grafio precentor et Radulfus de Burs capellanus, Obertus, Willelmus Brichum, Guibertus, Petrus de Malo Levrario et Michael et Rainaudus Burgevini et Joffridus de Chechia canonici S. Petri, videntibus et audientibus istis : ipso abbate Johanne, Mauricio priore, Rainaudo de Tyrum, Roberto de Azeio, Rainaudo de Saltrim, Radulfo de Gré, Pagano Aleri, Gilleberto An-

glico, Salomone Carca Fol; ex parte abbatisse : Ansgerio precentore S. Petri de Curia, Johanne Corripias, Ernulfo precentore S. Maurilii, Gaufrido Fulqueredi, Joscelino Rohonnart, Gaufrido Gainart; ipsa abbatissa Ildeburgi, Juliana de Fulgeré, Auburgi celleraria, Orgollosa sanctimonialibus. Itaque juraverunt testes abbatisse, tacto textu sancto evangeliorum, Hylarius et Babinus et Helias et Johannes sacerdotes, Boselinus et Barbotus vicarius et Fromundus Burdini laïci, in hunc modum : « Ego vidi et audivi Rainaudum, Andegavensem episcopum, judicantem corpus defuncte Junargant debere extrahi de cimiterio S. Nicholai et ad domum unde absportatum fuerat debere referri et in cimiterio S. Laurentii debere sepeliri. Sic Deus me adjuvet et hec sacrosancta evangelia. » Hoc viderunt et audierunt quorum nomina subscripta sunt : Gaufridus decanus, Teobaudus thesaurarius, Richardus archidiaconus, abbas Robertus Omnium Sanctorum et Obertus et Guibertus, Guillermus notarius, Jonas canonici S. Mauricii; Aldeburgis abbatissa S. Marie, Juliana decana, Auburgis celleraria, Griscia, Orgollosa, sanctimoniales ; Rainaldus Medicus, Rainaldus de Chechia, Burguerius sacerdos, Tetbaudus diaconus, Petrus subdiaconus; de famulis abbatisse : Raaldus villicus, Robertus dapifer, Garinus de Braimo, Ascelinus, et Johannes cellerarii, Ernaudus cocus, Gaufridus Vendelede, Philippus de Espinat, Ranulfus Muschet, Mainerius sacristarius, Pipinus de Turonis prepositus, Guito de Super Pontem et filius ejus Engelardus, Garinus Losdun, Adelelmus Losdun, Hanelotus Fergant, Bogo de Brachesach, Hugo cambitor, Rainaudus Perdriel, David Chapel, Richardus Pelliparius, Joslenus de Turonis, Grano, Gaufridus de Cartis, Bernardus Ansgerii, Stephanus Brito, Gauterius de Poencé, Daniel nepos Johannis, Thebaudus nepos Helie, Julianus filius Evani de Folia, Stephanus filius Andree, Bucherius filius Barboti villici, Petrus Marquerii, Gaufridus Martini, Albinus Fulqueii, Petrus filius Stephani Britonis. Actum Andegavis in capitulo S. Mauricii in presentia nostra, anno ab incarnatione domini MCXXXII°, episcopatus vero nostri anno VIII°, XVIII° kalendas Februarii, indictione X^{a}; regnante in Francia Ludovico et filio ejus Ludovico coronato, in Andegavia comite Gaufrido filio Fulconis Jerosolimitani regis. Et ut hoc majorem consequeretur firmitatem, signum crucis propria manu impressimus et sigillo nostro cartam istam muniri fecimus. Signum Ulgerii episcopi †. *R.* 2, *C.* 77; *R.* 6, *C.* 55.

LVII. DE RESTITUTIONE SEPULTURÆ AB ABBATE S. NICHOLAI.

Nostrorum multa antecessorum gesta, prava hominum suggestione ac supervenienti oblivione, que sine litterarum testimonio sunt disposita multociens a rei veritate subversa atque penitus adnullata esse videmus. Harum igitur litterarum testimonio tradere curavimus quod monachi S. Nicholai unam parrochianam nostram, uxorem scilicet Girardi carpentarii, super calumpniam et prohibitionem Richardi archidiaconi, in eorum cimiterio injuste sepelierunt. De hac autem injuria atque violentia domna Hyldeburgis abbatissa Johanni abbati S. Nicholai conquesta est, justiciam inde sibi obnixam requirens. Johannes vero abbas, nolens (de) hujuscemodi re cum abbatissa placitare, recognoscens quod monachi male egerant, sepulturam, videlicet IV denarios, in manu Hyldeburgis abbatisse reddidit sub istorum virorum testimonio : Rainerii canonici, Bernaldi canonici, Adam similiter canonici, Pipini prepositi, Mainonis Bacheloth qui Johanni abbati illos IV denarios tradidit, Fulconis filii Otberti, Barboti villici, Girardi de Leone, Boselini siniscalli et aliorum complurium. De sanctimonialibus affuerunt : Verzelina sacristana, Burgundia elemosinaria, Amelina de Choleto. Fuit etiam quidam monachus S. Nicholai qui cum abbate venerat, Teobaudus nomine Tanetus. *R.* 2, *C.* 75, 91.

LVIII. DE DISCEPTATIONE CUJUSDAM HUMATIONIS INTER MONACHOS S. SERGII ET MONIALES.

Anno dominice incarnationis MCX°, quidam parrochianus S. Marie Caritatis, Bernerius nomine cognomento Mantellus, in kalendis Novembris nocte festo Omnium Sanctorum, cum pergeret ad ecclesiam, obtentus ab inimicis quos acquisierat nocendo, vulneratus est ad mortem. Domum delatus a suis, fecit se confessum et dimisit elemosinam suam jussitque ut sepeliretur in cimiterio S. Laurentii, ubi debebat et ubi mater ejus quam tunc frequentius memorabat sepulta jacebat. Post hoc cum jam appropinquante morte mens ejus, cerebrum et linga turbarentur, quod plane patuit assistentibus, venit ad eum abbas S. Sergii qui tunc erat, et fecit eum confessum persuasitque ei ut juberet tumulari se apud S. Sergium; non quia liceat parrochianis illis passim sepeliri ubi voluerint, sed erat quantula-

profecta est abbatissa ad sua agenda, ubi fere tribus mensibus demorata est. Illa absente, jussit domnus presul reddi pallium S. Sergii quod ablatum fuerat cum corpore, etsi videbatur monialibus non debere eas cogi ut pallium redderent nisi et ipse judicium et rectum a monachis, pro corpore super calumpnia sepulto, susciperent. Tamen ne quid obesset inchoate paci, quasi aliquid injurie patientes, reddiderunt. Igitur cum jam putarent se pacem et quietem magno, ut estimabant, comparatam optinere, quippe quia nec corpus furto nocturno effosum et ablatum reddebatur nec judicium fiebat de actoribus seditionis qui se ipsas suosque famulos inhoneste ceciderant et velamina capitum earum diruperant, preterea non sinebantur actores et comministros furti legaliter exquirere. Tunc orta est eis vexatio tanto gravior quanto vilior. Domnus enim presul, ignotum a quibus stimulatus, cum etiam promisisset monialibus, ad plenam reconciliationem, se venturum ad earum capitulum et bona et paterna verba locuturum, assistentibus legatis earum, decana videlicet atque cellaria, ut audirent ab eo, renuntiature ceteris, quota hora diei crastine suscepture essent illum; tunc subito, quasi nesciens, scitatus est utrum reddidissent villosum quo defuncti corpus fuerat opertum. Ille responderunt se nec reddidisse neque reddituras fore, quia juris erat earum omnium corporum que sepeliunt villosos habere : corpus illud furto non judicio sibi ablatum fuisse. Juravit domnus presul, quamdiu non redderetur, se nunquam ingressurum in ecclesiam S. Marie nec se valiturum eis vel earum rebus in bonum. Renuntiato ceteris monialibus, remandaverunt domno presuli se minime reddituras, quocunque res verteret, absente abbatissa. Non reputabant moniales precium villosi sed, ut femine habitantes inter viros fortes et sapientes clericos, monachos, inter quos et aliqui sunt minus spirituales, qui magno merito et laudi volunt ascribere terminos suos dilatare sub nomine sanctorum quibus serviunt, timebant ne, sub occasione reddendi villosum, machinaretur eis in posterum aliquid mali ab adversariis suis. Domnus vero presul testabatur, invocans verbo tenus sanctis Dei, quod utique verum erat se nullum malum moliri in hoc; si omnes sui clerici vel monachi suaderent ut aliquid insidiose faceret se nunquam assensum esse prebiturum · vellet tamen fieret quod jusserat. Postquam, reversa abbatissa, renuntiatum est ei a monialibus, sepe mota sepe agitata questione hac inter se, ubi etiam satis temptatum est an aliter posset placari domnus presul et nichil effectum,

tandem abbatissa et cum ea paucissime erexerunt se contra obstinatas in priori sententia. (Et) quia nimis erat contra regulam christianitatis patrem spiritualem tam diu habere offensum et iratum, benedictione pontificali et absolutione aliisque bonis inde expectandis carere, ceteris nolentibus, reddiderunt domno presuli villosum XV° kalendas Maii. *R*. 5, *C*. 97.

DE FURNO ET PANE BURGI S. MARIÆ.

LIX. DE FURNO TRANSMEDUANENSI.

Constructa ecclesia, S. Marie Caritatis, fecit comitissa Hildegardis furnum unum et statuit pistores qui in eo facerent panem ad vendendum; ne umquam Trans Meduanenses pistores in toto burgo S. Marie panem venderent nisi in feriis nominatis. Transactis autem feriis, si quis Trans Meduanensis pistor panem vendens inveniretur, ablato pane, fugaretur. *R*. 5, *C*. 74.

LX. UT NEMO AUDEAT VENDERE PANEM IN HOC BURGO.

Cum ecclesia S. Marie Caritatis a priscis temporibus habeat jura constituta in burgo suo, scilicet ne aliquis homo possit vendere panem suum ita quod capiat ibi estallum, nisi portando in capa sua vel aliquo modo ad collum suum, contigit ut quidam venditores panis caperent ibi locum ad vendendum panem suum sine jussu et absque voluntate sanctimonialium et vicarii earum. Quod videns Barbotus Teberti, tunc villicus, abtulit panem et projecit. Unde illi fecerunt clamorem Guillermo de Molendinis, tunc prefecto comitis; et cum Guillermus accusaret Barbotum et vellet inde causari de invasione quasi de forifacto, Theburgis abbatissa et sanctimoniales ierunt in curiam ante Fulconem Juvenem comitem. Et quesivit comes jura et institutiones que erant in burgo S. Marie a Pagano Fulberti et a Giraldo villico et ab aliis qui bene noverant. Dixerunt et firmaverunt viri supradicti quod nullus homo posset ibi vendere panem absque voluntate dominarum vel famuli earum. Hoc concessit comes et comitissa et curia. Huic rei interfuerunt : abbatissa et Ama comitissa Tholosana sanctimonialis et Theophania monialis soror Orrici de Bello Pratello, Ulgerius archidiaconus, Albericus cantor, Mainerius

et Guibertus S. Laudi canonici, Rainerius et Hylarius S. Marie canonici, Archaloius, Haimericus Rabastet, Symon Ennisant, Petrus Roiardus, Goffridus de Ramo Forti, Garinus Losdum, Guito, Marquerius, Meno, Hanelotus, Æmo nutricius, Lebertus, Robertus de Juigniaco, Engelbaudus villanus. *R.* 2, *C.* 85.

LXI. DE PISTORIBUS FURNI PETRINI.

Scripto notificari decrevimus quod Amelina de Choleth, divina inspirante benignitate S. Marie Caritatis laude predicabilis abbatissa, toto ejusdem ecclesie annuente conventu, omnibus qui sunt in furno petrino pistoribus, quoad viverent ipsi vel eorum uxores, amplius suum unicuique locum in furno illo sine aliorum commutatione pistorum concessit, eosque XVI pares, nec plures, dum viverent in furni paragio esse disposuit. Quod paragium etiam heredibus eorum, si darent quantum et alii dare vellent, optinere permisit. Quo facto et concesso, IV libras et conventui in caritate dederunt. Illorum quibus hoc concessum est cum suis uxoribus hec nomina sunt : Borgonius et Leigardis ejus uxor, Petrus et Villana, Garinus Albus rusticus et Ascelina, Richendis Ruamachua, Rannulfus, Robertus et Guiburgis, Rosellus, Guillermus Ruamachua et Laurentia, Rainaudus, Crespel, Johannes Aut Pier et Leigardis, Hugo de Retnes et Osanna, Girberga, Goffridus de Upeltra et Maria, Gaufridus, Guibertus, Aubericus, et Aaleaidis. Hujus rei testes sunt : ipsa abbatissa et Theophania decana et Choa celleraria et Agnetis sacrista et Turpinus et Mainerius et alii quam plures. *R.* 3, *C.* 86.

LXII. CONVENIENTIA INTER MONIALES ET HAIMERICUM DE AVER, DE FURNO NOVÆ FOLIÆ.

Quoniam ab humanis mentibus multa sepe per incuriam labi solent, utilitati nostre posteritatis consulentes, huic scedule scriptum commendamus qualiter actum est de quadam convenientia inter domnum Haimericum de Aver et ecclesiam B. Marie Caritatis, de furno in Folia Nova faciendo. Convenit enim inter eos ut sanctimoniales in burgo illo furnum facerent et domum furni cum suis appenditiis de suo proprio, ita ut redderent furnum de Nativitate S. Johannis prima ventura in annum ex toto ad coquendum paratum cum his pertinentiis que ad furnum pertinent; ex quo in futurum

mittet domnus Haimericus de his que necessaria erunt ad opus furni terciam partem et terciam expleture partem recipiet. Quod si sanctimoniales alterum furnum facere voluerint, faciant sub eodem pacto; nec cuilibet alteri in vico illo furnum facere liceat nisi domno Haimerico vel sanctimonialibus cum prefata convenientia. Habitantes vero in vicaria sua ad molendina dominarum, precatu suo, molere faciat si voluerint. Furnerium vero ponere sanctimonialium erit, qui tamen utrisque fidem de expletura faciet. Vicaria vero de hominibus in domo vel in appenditiis ejus habitantibus ita erit communis ut uterque mediam partem accipiat nichilque possit alter dimittere sine consensu alterius. Forisfactum vero de extraneis hominibus factum in domo furni vel ejus appenditiis similiter communicetur. Pro hac igitur concessione habuit domnus Haimericus album palefredum et C solidos, et Joslenus frater Æmii nutricii scutum, et Rainaldus de Campellis alterum scutum. Est autem in convenientia ut faciat hoc concedere uxori sue et filiis suis et domno Goffrido de Treviis. Huic rei affuerunt, ex parte Haimerici : Robertus canonicus S. Mauricii, Goffridus de Fano consanguineus et miles Haimerici, Joslenus et Rainaldus suprascripti, Adelelmus de Super Pontem, Odo Forrarius, Stephanus Laidez, Æmius nutricius; ex parte vero dominarum : abbatissa Theburgis, Martha decana, Eusebia celleraria, Verzelina sacristana, Burgundia de Castro Gunterii, Milesindis elemosinaria multeque ex monialibus; ex clericis : Hylarius canonicus, Rainerius canonicus, Adam canonicus, Garinus vicarius, Bernaldus Ansgerii prepositus, Robertus de Jovinniaco, Engelbaudus villanus, Guitto, Hanelodus, Meno, Garinus Losdunus multique alii. Hoc factum est anno domini MCXVI°. *R.* 5, *C.* 81.

DE REBUS SITIS APUD ANDEGAVUM.

LXIII. DE MOLENDINIS ET PISCATIONE PONTIS MEDUANÆ.

Illustris comes Fulco et conjunx ejus Deo devota Hildegardis comitissa, sancte pietatis respectu ac spe retributionis eterne, contulerunt monasterio S. Marie, in subsidium ancillarum Dei inibi famulantium, de ponte Meduane, quod lapideo opere multisque sumptibus inter

ipsum monasterium et civitatem construxerunt, piscationes universas et areas molendinorum intra ipsas archas omnes, absque una quam ibi solam canonicis S. Martini concesserant, et reliquas omnes utilitates que tunc temporis ibidem manifeste erant vel in posterum excogitande. *R.* 1, *C.* 6.

Post donationem hanc, sub ipso ponte Meduane, per adhortationem virorum providentium utrumque et retinaculum aque defitientis molendinos in estivo tempore et piscationem, fecerunt sanctimoniales combra. Que consilio Hilduini prepositi, Gaufridus comes, sperans inde non modicum exire proventum, sua potentia sanctimonialibus Deo sancteque virgini virginum Marie servientibus abstulit. Sed Gaufridus, succedens honori Goffridi comitis avunculi sui malensque res sancte matris ecclesie augeri quam minui, audito clamore, combra que super memoravimus B. Marie et sanctimonialibus ibi degentibus reddidit. Testes hujus redditionis fuerunt : Eusebius episcopus, Raginaldus archidiaconus, Gaufridus archidiaconus, Bernardus capellanus episcopi, Fulco capellanus comitis, Rigaudus prepositus, Isembardus senescallus, Sulpitius filius Ulgerii, Stabilis vicarius, Constantius Rufus. *R.* 1, *C.* 7.

LXIV. DE CLAUSO VINEARUM QUEM DEDIT COMITISSA HILDEGARDIS.

Venerabilis et dilecta Deo comitissa Hildegardis, cum devotione multa et pia sollicitudine extruens monasterium sacratissime virginis et genitricis Dei Marie, inter ceteras necessarias ancillis Christi provisiones etiam vinearum copiam illis, quanta potuit oportunitate, providit. Comparavit enim legitimo contractu a multis ac variis possessoribus duos clausos vinearum proximos ipso monasterio, juxta aggerem publicum qui nominatur Legionensis hinc et inde sitos; et unum quidem, mox ut emptione adquisivit, sacrosancte virgini et famulantibus ei partem sanctimonialibus, partem clericis earum, secundum rationabilitatem a Deo sibi datam, distribuit. Alium sane, in vita sua, sibi retinere ad usus suos, qui tamen ad ipsum cenobium maxime retorquebantur, voluit : ita destinans et vovens ut ille quoque vinee, post mortem ejus, B. Marie, absque contradictione, forent.

Itaque postmodum amisso viro suo illustri comite Fulcone, cum, post annos septem in bona conversatione transactos, laudabilis vidui tatis sanctitatem etiam Jerosolimitane peregrinationis labore consummare, sicut et fecit, desideraret, in profectione sua donationem illius

clausi aliarumque quarumdam rerum quarum usum eo usque sibi retinuerat, super altare B. Marie imposuit. Quo dono facto, ibidem deprecata est domnam Bertradam, secundam tunc in eodem loco abbatissam, reliquasque sorores ut vineas illas filie sue Ermengardi, jam tunc vidue, usufructuario habendas, tantum in vita sua concederent: ita ut post mortem ejus rem suam libere recuperarent. Postulationem hanc abbatissa et sorores, sicuti nec fas erat, non negaverunt; sed Ermengardi comitisse clausum illum, sicut poposcerat mater, dederunt. Itaque tenuit ex dono earum aliquanto tempore, quousque animum fratris sui Goffridi comitis, consilium ejus deserens et inhonesto immo illicito se matrimonio incestans, offendit. Tunc enim frater, vineas illi auferens sibique retinens, nequaquam, clamantibus sanctimonialibus, ut jus fuerat reddidit; sed suis eas concubinis, potius quam uxoribus, dedit : Agneti primo, deinde Grecie, postea Adele comitis filie Odonis, item denuo Grecie, postremo Adelaidi Theutonice.

Illi vero defuncto cum successisset ei in honore nepos ejus ex supradicta Hermengarde, dictus et ipse Goffridus, Salmurum castrum simul et alia quedam, quasi dotis nomine illi donata, inter que etiam has ipsas de quibus agimus vineas, ab Adelaide Theotisca, que fuerat ultima avunculi sui uxor, gravi pecunia redemit. Deinde, audito clamore famularum Christi et percognito jure B. Marie sacrique loci, per consilium bonorum virorum suorumque fidelium, injusticiam illam ad rectitudinem justicie redigere studuit; et clausum illum vinearum totum et integrum Deo et sacrosancte Marie ancillisque ejus, super sanctum altare reddidit, ad firmitatem perpetuam elemosine domine et venerabilis matrone Hildegardis comitisse que etiam ipsum educaverat materna et avita teneritudine, ob absolutionem quoque culparum matris sue Ermengardis atque emendationem injusticie avunculi sui comitis Goffridi, nec non et promereri hoc aliquantisper cupiens : ut ipse quoque participare posset orationum et beneficientie illius loci atque adjuvari, et in presenti vita et in futura, meritis sacratissimis gloriose Dei genitricis Marie. Redditionem vero illam faciens, talem innexuit conditionem ut sanctimoniales culturam clausi illius nullo modo negligerent; sed diligenter cultum, omni tempore in dominicatu suo, ad amminiculum victus sui, tenerent, nulli in die aliquid dantes, neque servienti cuiquam neque ulli prorsus vel laïcali vel clericali persone. Viderunt hoc et audierunt isti qui sub-

notati sunt testes : Rainaldus archidiaconus, Fulco capellanus, Algerius presbiter, Robertus presbiter, Primaldus archipresbiter, Lambertus prepositus S. Martini, Guizo medicus, Radulfus vicecomes, Joscelinus Normannus, Eudo de Blazono, Ivo de Jallia, Ogerius filius Mauricii, Rogerius Malus Filiaster, Paulinus filius prepositi G..., Robertus prepositus, Tetbaudus de Noileto, Stabilis vicarius, Frogerius Aurifex, Garinus cellerarius, Giraldus Calvellus, Constantinus Rufus. *R.* 3, *C.* 55.

LXV. DE LIBERTATE DOMUS QUÆ EST IN CAPITE PONTIS MEDUANÆ.

Tetburgis abbatissa fecit clamorem comiti Fulconi de Radulfo preposito, qui Toareth cognominatus est, qui computaverat X solidos super hospitem domus proprie S. Marie que est in capite pontis Meduane, nulli exactioni antea abnoxia. Cumque intimatum fuisset comiti domum illam antea liberam fuisse ab omni consuetudine, jussit dimitti X solidos et in eternum domum illam permanere liberrimam; testibus his : Petro Rubescallo, Radulfo Toareth, Tetberto preposito, Bernaldo canonico, Fulcoio cellerario, Rainaldo Fossardo, Gaufrido de Spinatio, Anselmo. *R.* 5, *C.* 98.

LXVI. DE DOMO QUAM CALUMNIABATUR BERALDUS AGENENSIS.

De domo illa quam Haimericus dedit, pro uxore filiaque sua, S. Marie, quam calumpniabatur quidam Agenensis, Beraldus nomine, judicavit comes Fulco ut, legis aperte probatione, clamoris sui manu propria (justitiam) ostenderet. Sed cum ad sartaginem ventum esset et manus sigilli custodia solveretur, talis inventa est ut nullo modo ad judicium ferendum illis qui aderant idonea videretur. Ipse vero Beraldus, viso proprie manus impedimento, dixit aperta voce ut remaneret; audientibus illud : Giraldo preposito, Marbodo, Hugone de S. Laudo, Goffrido Daniele, Raginaldo de Brachesac, Gauterio Rufo. *R.* 4, *C.* 92.

LXVII. DE DOMO AD PORTUM SAUNERIUM, DATA A GAUTERIO GUIDONIS.

Modernis et posteris cognitum fiat Gauterium filium Guidonis sanctimonialibus S. Marie de Caritate, cum Agnete filia sua in congregatione Christi ancillarum monialem habitum recipiente, quamdam domum ad Portum Saunerium dedisse; que domus in feodo Sancti

Maurilii sita est : quapropter sanctimoniales, in feria Andegavina, ecclesie B. Maurilii V solidos de censu reddunt. Quam domum Gauterius Restif omnibus diebus vite sue tenuit. *R*. 2, *C*. 56.

LXVIII. DE SALORGIIS ET DOMO ET TERRA QUAS DEDIT IDEM GAUTERIUS.

Quando filia Gauterii Gui facta est sanctimonialis, dedit pater suus Deo et S. Marie Caritatis cum ea quandam domum cum salorgiis super littus Meduane ad Portum Salnerium, que reddit per singulos annos XL (solidos) ad minus S. Marie pro conductu domorum, et terram quandam juxta domum positam de qua possunt habere sanctimoniales per unumquemque annum, pro utilitate terre (...), ad mineas. De qua terra Johannes Pianonus habebat XII denarios de censu quos dedit Deo et S. Marie; et vendas illius terre concessit cum concessione supradicti doni, quia domus supradicta et terra erant de censiva ejus : unde accepit beneficium in capitulo S. Marie pro anima sua et pro uxore sua et pro anima Garsilii sui filii. Hoc donum et (hanc) concessionem vidit Teburgis abbatissa et totus conventus, Rainerius canonicus, Gauterius presbiter de Castelleio, Garinus Losduni, Hugo Pacefere, Barbotus villicus, Robertus de Juigniaco et alii plures. Postea vero Raginaldus Cauforet accepit illam terram supradictam a sanctimonialibus : ita quod, per singulos annos, redderet inde XIX solidos de censiva et, post decessum suum et uxoris suæ et filii sui, terra illa vel domus que ibi fieret, cum omni utilitate sua et profectu, soluta et quieta remaneret Deo et S. Marie Caritatis; tali lege quod essent in beneficio totius capituli. Quod audierunt isti et alii. *R*. 2, *C*. 86.

LXIX. DE DOMO ET BREVIARIO DATIS A ROBERTO CANONICO.

Modernis atque posteris nostris notificamus quod Bernardus cano nicus noster, filius Roberti hujus quoque loci canonici, cum arduum et periculosum iter Jerosolimorum arriperet, in capitulo dominarum permisit canonico qui locum suum tenuerit partem edificii sui, omne quod suum erat, ab altiori domo infra ab anteriori via ad fosum linea distringente; res prebende sue atenuasse se recognoscens et be neficiis ecclesie, uno prebende detrimento, res suas augmentasse suaque edificia et fecisse et emisse. Quod frater ejus Guillermus concessit. Audierunt hoc et viderunt : abbatissa Theburgis, Imberga celleraria,

Eusebia, Orieldis cetereque sorores; clerici : Garnerius Cornutus, Giraldus canonicus, Goffridus Burzesius, Andreas nepos ejus, Marquerius Almauguini, Arturus pelletarius multique alii. Ego vero Hylarius, ipso jubente atque precante, donum istud, ne aut vacillaret aut omnino aboleretur, brevi stillo prescripsi. Dedit tunc ecclesie S. Trinitatis breviarium unum ad serviendum ecclesie. *R*. 6, *C*. 5.

LXX. DE EADEM DOMO DATA, AD SERVITIUM EQUITATUS, BERNARDO DE BULLIACO.

Cadmus rex Thebarum sapientissimus, ut peribet Ysodorus, previdens litteras mundo fore multis modis necessarias et perutiles, primus invenit eas apud Grecos. Quapropter, quia illarum adnotatio rerum gestarum est memoriale, scribere proposuimus quod Bernardus de Bulliaco petivit ab abbatissa Teburgi donum domus Bernardi canonici S. Marie sibi et Silvestro filio suo. Cujus peticionis effectum ipse tandem, suo amicorumque interventu, optinuit : abbatisse et monialibus tale reddendo servitium ut ipse, equorum suorum vectatione, atque ejus heres hujus domus possessor pergant cum eis ubicunque iter tutum habuerint ad omnes causas illarum ventilandas. Ubi autem timor eos abire non permiserit, equos proprios monialibus accommodent tali tenore quod si equi illi mortem in itinere illo vel aliquam menbrorum debilitatem incurrerint, nulla eis reddatur vel ab eis exigatur restitutio; post discessum Silvestri domus illa in jus monialium redigatur. Hujus rei testes fuerunt : Eudo sacrista, Gauterius de Sancta Cruce, Gaufridus hujus ecclesie capellanus, Lambertus de S. Laurentio. De laïcis vero : Mainus Bachelot, Guito, Raaldus, Barbotus vicarius, Engelbaudus villanus, Garnerius Gastellus, Albericus nepos Guitonis; ex parte Bernardi : ipse vicarius de Plesseitio, Garinus de Marentio, Garinus peletarius. *R*. 2, *C*. 26, 57; *R*. 5, *C*. 1.

LXXI. DE EADEM DOMO DATA SILVESTRO FILIO BERNARDI.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod Tiburgis, abbatissa ecclesie S. Marie Caritatis, Bernardo de Boilleio et Silvestro ejus filio domum Bernardi, ejusdem ecclesie canonici, ad vitam eorum concessit : eo pacto ut abbatissam et ejus moniales honeste reciperent et insuper, si abbatisse necessarium esset, ipsi cum ea libenter equitarent. Si quidem autem illi infirmi essent vel aliquam excusationem haberent, mitterent duos equos ad ei serviendum; et si forte,

qualicunque infirmitate, illi interim in servitio interirent, non eis quicquam responderet.

Post hoc autem, Amelina de Choleth, S. Marie Caritatis ecclesie abbatissa, et ejusdem ecclesie conventus eo pacto supradicto Silvestro Bernardi de Boilleio filio, et ejus heredibus predictam domum concesserunt tali conditione : quod si aliquis vellet eam ipsi et ejus heredibus calumpniare vel inquietare, quatinus ipsa atque conventus illam ab omni calumpniatore defenderent; si vero abbatissa eum ammoneret de suo servitio et ipse ei servire nollet, quod ipsa domum suam saisiret, et si ipse infra annum et unum diem non eam requireret illa non amplius ei responderet. Hec cartula scripta fuit illo die quo ipse abbatisse C solidos dedit et conventui pisces ad comedendum, istis presentibus ex abbatisse parte : Theophania decana, Agnete sacrista, Choa celleraria et omni conventu; Raol sacrista, Durando canonico, Turpino vicario, Mainerio senescheado, Rainerio sacrista, Huodas cellerario, Ranuldo coquo, Bruent panetario, Godefrido; ex Silvestri parte : Pipino Andegavis urbis pretore, Guiguem Bibente Solem, Garino Loisdun, Grano, Adam de Poncé, Thoma vicario de Segreio, Rangero de Vitreio, Gaufrido presbitero de Diré, Gaufrido sacerdote de Sancta Gemma. Hoc scriptum fuit Gaufrido comite et ejus uxore imperatrice, Ulgerio episcopo viventibus. *R.* 3, *C.* 85.

LXXII. CONCORDIA INTER MONIALES ET HUBERTUM CLERICUM.

De calumpnia quam Hubertus clericus, Radulfi presbiteri filius, erga abbatissam (Richildim) atque moniales habebat, talis in capitulo, sub plurimorum quorum nomina inferius annotantur testimonio, fuit facta concordia. Prebendam canonicatus quam, per conventionem a patre suo cum sanctimonialibus factam, reclamabat, ex toto dimisit et agripennum vinee dimidiumque prelum cum dimidia domo et orto ad eam pertinenti nec nun et dimidium arpennum terre, quem pater ejus moriens monasterio reliquerat, jure hereditario omni calumpnia deposita concessit. Quapropter abbatissa, toto annuente conventu, XL solidos dedit illi et, de omnibus rebus que prefata conventione in monasterii dominium venire debebant, vendendi vel donandi vel quicquid voluerit faciendi licentiam attribuit; testibus clericis S. Marie Caritatis : Adelelmo scilicet, Galterio, Johanne, Godefrido, Giraldo diacono, Rainardo, Goffrido Caïphas. *R.* 1, *C.* 70.

LXXIII. DE DOMO HILDEBURGIS, DATA AD CENSUM GOLIO FABRO.

Modernorum scientie et posterorum memorie notum facimus nos domum Hildeburgis, sororis Hylarii canonici quondam nostri, Golio fabro, pro XIV solidis censive in singulis annis, dedisse ita ut quamdiu vixerit illam teneat et habeat, eo autem mortuo revertatur domus ad nos; testantibus istis : Radulfo sacrista, Turpino vicario, Mainerio dapifero, Odone cellerario. *R*. 2, *C*. 17; *R*. 5, *C*. 54.

LXXIV. DE OLCHIA ET DE DOMO IN VICO LEONENSI, DATIS AD CENSUM BARBOTO VILLICO.

Litterarum monimentis traditum posteris nostris committimus sanctimoniales S. Marie Caritatis Barboto, nepoti Thetberti, olchiam de terra avunculi sui, que est sub domo cantoris, medietatemque cujusdam domus in vico Leonensi, que fuit Cecilie, tali conditione dedisse ut eam in vita sua teneret; post decessum vero suum libere absque omni calumpnia ad ecclesiam rediret. Pro hac autem, dimissis omnibus querelis si quas adversus eas habebat, ipse in manu sua ligiam fidelitatem sanctimonialibus S. Marie super altare dominicum juravit contra omnes homines et quod terram eorum, pro posse suo, omnesque res earum fideliter retineret ac defenderet et adjuvaret; vidente : magistro Guiberto, Raginaldo Fossardo, Maione preposito, abbatissa Teburge, Eusebia celleraria. *R*. 1, *C*. 95.

LXXV. DE DOMO ERNULFI, DATA AD CENSUM EMGEBERTO ET FILIIS SUIS.

Omnibus hominibus notum fieri volumus quod Emgebertus retinuit, in vita sua et in vita filiorum suorum, domum petrinam, que fuit Ernulfi, ab abbatissa Hildeburgi et a sanctimonialibus : ita quod in presenti daret eis XL solidos, et per singulos annos XXX solidos in festivitate S. Marie Candelarum. Hoc vidit : Verzelina secrestana, Eusebia, Milesendis cellaria, Odelina cameraria, Marquerius Amauguini nunc prefectus, Barbotus villicus, Goffridus Amaurici, Ascelinus, Harduinus. Hoc etiam vidit : Goffridus filius Enjeberti, Droco filiaster ejus, David de Castro Brientii, Burgevinus, Hugo Peloart, Theobaudus frater ejus, Acutus filius Fulcoi, Gollenus Turonis, Gifardus, Hubertus Lazeron. *R*. 3, *C*. 70.

LXXVI. DE THALAMO JUXTA FURNUM SITO.

Pateat omnibus, non solum presentis sed etiam etatis future, lectoribus, quod Amelina, S. Marie Caritatis abbatissa, moribus (et) vita laudabilis, dedit, cum consilio conventus ejusdem ecclesie, Rainaldo Crespello et ejus heredibus vel cuicunque Rainaldus dare vel vendere voluerit, salva consuetudine supradicte ecclesie, thalamum quendam qui est juxta furnum, ad censum V solidorum et taleia. Unde Rainaldus, ex benivolentia, dedit conventui S. Marie XX solidos, istis videntibus et concedentibus : ipsa abbatissa et Choa cellaria et Mainerio et Turpino et Odone celerario et aliis quampluribus. In Natale Domini II solidos et dimidium, et S. Johannis II solidos et dimidium. *R. IV, C.* 85.

LXXVII. DE MYSTERIO, AD PORTAM ANDEGAVINAM SITO.

Girbergis cambiatrix dedit Deo et S. Marie Caritatis unum mysterium ad Portam Andegavinam; et illud donum, concessum in capitulo et positum super altare, concessit Bodardus filius ejus et Halopeius gener ejus et Osanna filia ejus et plegiaverunt. Hoc viderunt sanctimoniales : Martha decana, Verzelina, Agnes Credonis et alie; Rainerius canonicus, Gauterius sacristanus, Marquerius Amauguini, Barbotus villicus, Robertus de Juigniaco, Droardus pelletarius, David de Castro Brientii, Burgevinus et alii plures. *R.* 2, *C.* 100.

DE REBUS SITIS JUXTA ANDEGAVUM.

LXXVIII. DE TERRA IN ANGULATA, DATA GOFFRIDO MARTELLO COMITI AD PLANTANDUM VINEAM BURDEGALENSEM.

Magne memorie Goffredus Martellus petiit a S. Marie sanctimonialibus dari sibi terram in Angulata, ad plantandum vineam Burdegalensem. Concesserunt illud sanctimoniales. Consul vero, pro recompensatione accepti beneficii, dedit sanctimonialibus terram de loco qui dicitur de Ponte, ad S. Laurentium pertingentem, quietam absque omni consuetudine excepta parte sua de XL solidis. Sanctimoniales

iterum propter hoc dederunt unam mulam et X libras. Hoc viderunt : Constantius Ruffus, Frogerius pontonarius, Stabilis vicarius. *R.* 5, *C.* 68.

LXXIX. DE TERRA IN ANGULATA DATA AD VINEAS ÆDIFICANDAS.

Teburgis abbatissa, annuente capitulo, in Anglata terram de saltu comitis ad vineas edificandas prebuit hominibus; tali conditione videlicet ut, si quis illorum vineam vel terram vellet vendere alicui ecclesie, non posset vendere nec etiam dare ad exitum in beneficio elemosine nisi solummodo huic sancte ecclesie; arpentum ad VI solidos vinarii et ad IV denarios census ad festivitatem sancti Egidii : Galterius Rufus, XLII solidos et VIII denarios; Hugo de Arigneio, XII sol. et VIII den.; Pichardus Tres Tornez, IX sol. et VI den.; Bernerius de S. Florentio, XII sol. et VIII den.; Evenus filius Triho et David Chapel, XXV sol. et dimidium et XVIII den. *R.* 4, *C.* 64.

LXXX. DE VINEIS, MANSIONE ET TORCULARI APUD RECULANDAM.

Anno a nativitate domini nostri Ihesu Christi secundum carnem MLVIII°, quando profectus est comes in Normanniam cum exercitu cum rege Francie Henrico super comitem Guillelmum, fecerunt donationem Theudo et uxor ejus Anna pariter super altare S. Marie IV arpentorum vinee que est apud Reculandam simul cum mansione una et torculari et tonnis et cuppis et omnibus rebus que ibi invente fuerint post mortes amborum eorum, exceptis duabus. *R.* 1, *C.* 40.

LXXXI. DE CENSILE AD PONTUM LUPELLI ET DE VINEIS.

Giltrudis matrona, suscipiens secundum velamen, tradidit S. Marie censile suum quod habebat ad Pontum Lupelli, ad censum solvendum S. Albino. Item in alio loco, juxta civitatem, duos arpennos vinearum. *R.* 1, *C.* 18.

LXXXII. DE TERRA AD MILERUNS.

Raginaldus de Brionel et Adelardus filius ejus dederunt terram unam ad Mileruns, pro redemptione animarum suarum et pro uxore sua, et super altare donum miserunt et in manu abbatisse Tetburgis tradiderunt. Testes hujus rei fuerunt : Gauterius Cornutus, Bernardus canonicus, Fulcoinus noster famulus, Raginaldus Fossart, Garinus Puer, Engebart, Gauterius coccus, Gauterius Puer. *R.* 5, *C.* 83.

LXXXIII. DE PRATIS IN LUEL ET DE DECIMA CAPRARIÆ.

Ne temporum prolixitate atque locutionum enormitate subplodatur, utpote litteratorie professionis fere expertes, enucleare conamur quatinus Aalardus de Briunnel abbatie S. Marie Caritatis II arpenta et seme pratorum in Luel dedit, itemque decimam sue terre de Capraria. *R*. 5, *C*. 57.

LXXXIV. DE DECIMA BUSIACI.

Quoniam quecunque scripta sunt recentiori semper retinentur memoria, non scripta autem cicius oblivioni traduntur, iccirco libuit adnotare Adzelardum de Brionello uxoremque ejus Flandineam, anno ab incarnatione domini MCXIX°, crastina die post inclusum Pascha, in capitulum S. Marie Caritatis venisse; quo in loco moniales orationum omniumque ecclesie beneficiorum participatione eos susceperunt. Ipsi vero deinceps, hujus beneficii non ingrati, decimam Busiaci quam possidebant ecclesie contulerunt, donumque ejus super altare in manu abbatisse miserunt, positum cum ramo cosdre. Huic rei testes affuerunt: Eudo sacrista, Mainus Bachelot tunc temporis prepositus, Robertus de Joviniaco, Barbotus vicarius, Garnerius Gatellus, Johannes filius Maini, Silvester filius Rainaldi Fossardi, Pipinus famulus episcopi. *R*. 2, *C*. 8.

LXXXV. CONCORDIA PRO VINEIS DE CASTANEIS.

Quoniam legitima litterarum compositio legitimi pacti et veritatis custos est, notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod Gosceus camerarius emit de sanctimonialidus S. Marie vineas de Castaneis, ad faciendum de eis voluntatem suam. Post vero longum tempus, infirmitate adveniente, ad confessionem suam dedit eas Teobaudo nepoti suo ad faciendam suam voluntatem. Eo autem mortuo, ipse sanctimoniales non concesserunt eas Teobaudo. Quamobrem Grena soror Goscei et ipse Teobaudus concordiam fecerunt cum eis, et pro concessione dederunt eis C solidos et equm. Hoc totum factum est in capitulo earum, Emmelina de Choleto existente abbatissa. Hoc viderunt et audierunt : Turpinus pretor earum, Mainerius dapifer earum, Gorrandus filius Leberti et Sanson nepos ejus, Johannes sa-

cerdos S. Trinitatis de Aquaria, Goffredus Andefreius, Gauterius de Rafo, Paganus de Maeico, Ernulfus de Bordeleiis, Johannes Frechet, Jubellus corduanarius, Ivo pelliparius. *R.* 4, *C.* 80.

LXXXVI. DE TERRA AD BARRAM S. NICHOLAI, DATA AD DOMOS ÆDIFICANDAS.

Tradidit item Anna modicum terre vacue, que ad Barram erat S. Nicholai, ad domos edificandas : tali convenientia ut qui in eisdem domibus manserint in vineas exitum non faciant et unaqueque domus in octabis Nativitatis B. Marie censum XII denarios persolvat. Ex hac terra acceperunt : Giraudus clausarius, Bernaldus Tortus, Hamo pellitarius, Durandus Ortolanus, Joffridus Moretonus, Herbertus Cornutus, Guibertus Parvus, Giraldus clausarius. Ex alia parte vie, dedit Anna bordellum Tebaudo ad XII denarios de censu. Giraldus clausarius reddit XII denarios de domo et terra que retro est. In fine ejusdem ortus dedit unam plancham hominibus de Riparia ad IV solidos de censu, de quibus respondet Girorius. Girorio vero dedit cameram que juxta suam erat domum ad VI denarios de censu.

Anquetinus Cornerius moriens dimisit elemosine dimidiam domunculam quam Anna vendidit et dedit Guiberto suo servienti ad II denarios de censu. *R.* 4, *C.* 66.

LXXXVII. JUDICIUM DE BENAGIO INJUSTE ACCEPTO AB HOMINIBUS S. MARIÆ.

Quoniam antecessores nostri memorias hominum cum ipsis interire conspexerunt, res gestas, ut memoria diuturniore servarentur, scribere disposuerunt. Presentium igitur et futurorum memorie notum facimus benagiores comitis adversus homines S. Marie, extra Barram et in Clauso Comitisse manentes, diutissime de benagio contendisse. Dicebant enim benagiores illos illic manentes debere benagium; illi vero e contra, quia injustum erat, abnegabant. Benagiores siquidem comminantes eis, ni sponte vellent, vi et rapina redderent; homines itaque S. Marie nove consuetudini se subici nolentes, audita comminatione, abbatissam postulaverunt. Inito inde consilio, curiam comitis abbatissa vocavit. In qua cum abbatissa et benagiores adversus eam convenissent, audito utriusque cause tractatu, comes causam in vero dicto antiquorum et proborum virorum poni commen-

davit. Deinde vocavit ipse comes in verum dictum Pipinum de Turono, Gaufridum de Cleeriis vicarium, Turpinum de Super Pontem, Garinum de Turono, Nicholaum Luscum, qui per X et VII annos benagii famulus fuerat. Isti prefati surgentes, audiente et vidente curia, homines S. Marie extra Barram et in Clauso Hildealdis comitisse manentes nullum benagium, nullum vinagium debere asseruerunt. His ita gestis precepit comes Letardo cambitori, qui tunc temporis famulus erat benagii, reddere abbatisse denarios quos ab hominibus suis injuste acceperat. Precepit etiam abbatisse ut hoc verum dictum sub scripti munimento poneretur, pollicens se illi scriptum illud sigillo suo corroborare. Huic operi interfuerunt : Goffridus, Absalon Roinart, Pipinus de Turonis, Turpinus de Super Ponte, Garinus de Turonis, Thophania abbatissa, Theophania soror abbatisse, Petronilla Moretum, Mathea, Radulfus canonicus et Rainerius sacrista et plures alii ✝. Hoc factum est anno quo Goffredus strenuissimus comes Andegavensis, vi et machina, Monsteriolum cepit et Giraudum Bellaii et coadjutores suos apud Andegavim duxit in captionem. In illo die quo hec facta sunt, venit comes Gaufridus in ecclesiam S. Trinitatis agere gratias burgensibus suis de collato beneficio et honore. *R*. 6, *C*. 54.

LXXXVIII. DE QUITATIONE VINEARUM PELUCHARDI.

Cum habuissent longam contentionem et diu agitatam inter sanctimoniales ecclesie Caritatis et Gervasium Normandum de vineis Peluchardi, que (de) feodo suo erant, contigit illum, in anno illo quo cum sorore Raginaldi de Uvo uxoratus est, pro anima patris sui et matris sue necnun parentum suorum, abbatisse B. Marie predictas vineas concessit habere et in perpetuum tenere; ita (ut) sanctimoniales singulo anno II solidos de censu sibi reddant. Hac de causa illi XL solidos de caritate dederunt. Et isti testes affuerunt : ipse Gervasius, Isembertus siniscallus, Laurentius vicarius, Aubertus Moner; de dominabus : Orsandis abbatissa, Oiscia sacrista, Theophania decana, Hersendis uxor Roberti de Sablé et plures alie. *R*. 2, *C*. 71.

DE AVRILLEIO.

LXXXIX. DE BURGO S. EGIDII DE AVRILLEIO.

Notum sit universis, tam presentibus quam futuris, comitem Fulconem juniorem nobis dedisse, in loco quo ecclesia S. Egidii sita est, duos arpennos terre. Postquam vero Jerusalem adiit, filius ejus Goffridus rogavit domnam Hildeburgim abbatissam ut filiam Goffridi Rasli in habitu monachali, pro ejus amore, susciperet. Quod abbatissa ei libenter concessit, eo pacto quod concederet illi facere burgum ad S. Egidium in duobus arpennis quos pater ejus nobis dederat. Quam peticionem ipse libenti animo concessit et omnes etiam (costumas), preter hostem, condonavit, revestivitque eam cum cultello quem illa tradidit Guillermo de Molendinis, tunc preposito, qui fregit illum et reddidit domne abbatisse. Hujus rei testes sunt: Gauvenus de Camilliaco, Gaufridus de Doé, Hamericus frater ejus, Robertus Papans Bovem, Adam de Rupe Forti, Paganus Chamaillart, Hugo de Pocé, Silvester de Bollé, Garinus frater ejus; ex parte nostra : Radulfus sacrista, Babinus capellanus, Paganus de S. Egidio, domna abbatissa Hyldeburgis, Verzelina, Isilia, Amelina de Choleto, Garinus Losdun, Barbotus villicus, Boselinus dapifer, Ascelinus Rufus, Gaufridus Amaurici et Harluinus Bersegun, Ernaudus. Hoc factum est ab incarnatione domini MCXXIX annis. *R.* 5, *C.* 8.

DE BRACHESACCO.

XC. DE HOMINIBUS S. MARIE DE BRACHESAC MISSIS IN BIENNIUM.

Eterne posterorum memorie litterarum apicibus voluimus designare, ne aliqua erroris caligine forte fortuna interveniente tradatur ignorantie, quod Petrus Rubelcallus, tyrannide sua atque contra jus antecessorum suorum, misit homines de alodio sancte Dei genitricis Marie de Brachesac in bienno suo, videlicet in fossis suis faciendis;

eosque, ab omni laicali potestate liberos et tantummodo S. Marie et ei servientibus subditos, quadam presumptione suo voluit subjugare dominio. De qua presumptione a Theburgi, S. Marie Caritatis tunc temporis abbatissa, provocatus, tante injurie culpam suam recognoscens, in manu predicte abbatisse cum duobus denariis gagiavit et ne amplius tale quid presumeret comfirmavit. Hoc plegiavit Eblo de Converseio. De hoc quidem sunt testes hi quorum nomina hic continentur, scilicet : Normannus Florentini, Chalo filius Gauquelini, Chalo Fatot de Doaio, Gaudinus de Grolleio. Ex parte abbatisse fuit : Raginaldus Fossardus et Raginaldus frater ejus, Effredus de Rocha, Fromundus. Illud autem firmatum est in domo S. Marie que est apud Brachesac. *R.* 6, *C.* 47.

XCI. DE AVOERIA DATA A RAINALDO DE BRACHESAC.

Ad memoriam posterorum tradimus Rainaldum de Brachesac morientem dimisisse avoeriam suam S. Marie, in quodam ligno scriptam; ex hoc quod abbatissa vel moniales non dederunt Isemberto Bardulio quasdam vineas et quandam domum ad habendum nisi in vita sua, ita ut peracto vite sue circulo domus et vinee remanerent S. Marie solute et quite. *R.* 5, *C.* 64.

XCII. CARTA GAUFRIDI COMITIS, DE CONCAMBIO BRACHESACCI.

Quoniam ea que scripto commendantur aut vix aut nunquam oblivioni traduntur, ne aliqua vetustate fuscantur, huic carte diligenter commendare curavimus quod non memoria dignum esse cognovimus et quod posteris et sequacibus nostris manifestari et revelari voluimus. Solent enim scripto commendata senectuti non cedere, oblivioni non subjacere; sed suo testimonio stabilia permanere. Notum sit igitur tam futuris quam presentibus quod ego Gaufridus Andegavensis comes, Fulconis bone memorie regis Jerusalem filius, in castro quodam quod est ultra Ligerim, nomine Brachesaccum, stannum facere disponens, quamdam terram (juxta) predictum castrum cum vineis et loco molendini et censiva dispositioni mee necessaria, ab abbatissa B. Marie de Caritate et conventu, de cujus jure erat, precando obtinui. At ne elemosina antecessorum meorum in aliquo minueretur et predicta ecclesia per me juris sui detrimentum pateretur, quartum piscem quem habebam in

exclusa quadam Bucce Meduane, que communis est ecclesie B. Marie et ecclesie S. Laudi, in concambio terre et vinearum et ceterorum ecclesie B. Marie dare disposui. Hoc autem quoniam sine consensu et voluntate conventus B. Laudi fieri non potuit, eo quod inter predictarum ecclesiarum conventus tanta et tam rata fraternitatis et antique societatis institutio erat quod in predicta ecclusa alter sine altero augmentari vel crescere nequibat et hoc uterque conventus confitebatur et recognoscebat; consilio et voluntati eorum satisfacere volens prout ratio poscebat, concessi et volui atque precepi ut uterque conventus predicti concambii particeps efficeretur et illud ab utroque equali societate possideretur. Pro hac ergo participatione conventus S. Laudi, in recompensatione earum rerum quas habuerat comes de ecclesia B. Marie, dedit in perpetuum et concessit ecclesie B. Marie quasdam vineas habendas cum orto in territorio quodam quod dicitur Capulville et preterea XX solidos census qui reddentur conventui B. Marie ab ipso conventu S. Laudi singulis annis in festo sancti Albini, sicut ex assensu et voluntate utriusque conventus constitutum fuit. Facta autem est hec (carta) Andegavis in presentia mea, XVI° kalendas Martii, anno ab incarnatione domini MCXL°; istis videntibus et audientibus : Adelardo de Castro Gunterii, Olivero filio Samuelis, Pipino preposito, Loerlo Ferlo; isti cum multis aliis erant cum comite. De canonicis affuerunt isti : Normannus decanus, Fulcoius capellanus, Galvanus, Garinus de Chalun, Goffridus Mannerii, Thomas capellanus, Teobaudus de Lavalle, Isembertus, magister Giraldus de Daulciis, Hugo Rufus; ex parte monialium : Mainardus canonicus, Adam canonicus, Durandus canonicus, Radulfus canonicus, Turpinus vicarius, Mainerius dapifer, Odo cellarius, Vendeleis pistor, Valaiaus coccus, Petronilla decana, Advenia elemosinaria, Osanna cellaria, Agnes sacrista, Vigolendis, Oiscia. *R.* 6, *C.* 56.

DE BRAIMO.

XCIII. DE REBUS ET COSTUMIS DATIS APUD BRAIMUM.

Notum sit omnibus quod sanctimoniales ecclesie S. Marie Caritatis habuerunt, cum Ascelina Cata, boscum de Bremo ita solidum et

quietum, scilicet : medietatem ex omnibus illis que in bosco sunt, videlicet ex apibus (et) pasnagio, decimam volucrum, forisfactum : in illo autem est bera quedam, ex qua sanctimoniales et dominus de Bello Prael habent I denarium de canonicis Cohornei, de censiva, ad festum sancti Albini; de cosdumis burgi, de porcis et omnibus aliis, medietatem sanctimonialibus; de furto autem terciam partem; de bello similiter et de judicio et gagio; in burgo autem monachorum, simili modo, medietatem; in feodo autem domini de Bello Prael simili modo in cenagio medietatem; ex omnibus autem domibus de Andart, I denarium ad Nativitatem Domini; de terra autem Flureii, pasnagium inter sanctimoniales et dominum de Bello Prael. Omnia ista dedit Gerorius Antiquus de Bello Prael et Rainerius de Fulgereio, audientibus et videntibus istis : Isobio episcopo, Roberto Burgundio, Raginaldo Malo Leprario, Gaufrido de Meduana; omnes isti fuerunt cum sanctimonialibus. Cum Gerorio autem fuerunt : Hugo de Monte Johannis, Hernulfus, Raginaudus dapifer, Clemens de Bremo. Ex istis omnibus fuerunt clientes sanctimonialium : Haimericus Lenis, Goffridus pellitarius, Rainaudus Grossim, Arembert cocus, Rainaudus Fossart, Alarius, Bernardus Esclencher, Raadus, Garinus de Bremo, Goffridus Amauri, Raginaudus Davelin.

Porro prefate sanctimoniales habent in Bremo VII sextaria avene de costuma et VII denarios et VII altilia et VII panes. Isti enim reddunt : filius Johannis de Campo, Aalais Vulpecula, Crestien filius Menardi, Boitel, Cristoflo, Chauvel Pinconnel, Enjobertus carpentarius. Quorum filius Johannis sanctimonialibus, ad fenum faciendum, singulis annis, III homines; Aalais III homines, Boitel III homines, Cristoflo III homines, Chauvel III homines, Enjobertus III homines in Nativitate sancti Johannis; Aalais I denarium de fumagio, Chauvel I denarium, Enjobertus I denarium ut Aalais.

Domus Chavel in feuo S. Marie sita est, hac ditione quod ipse Chauvel nequit eam vendere nec dare, nisi heredibus suis, neque alias transferre. Sic et de domo Aalais. *R.* 3, *C.* 16 *et* 62.

XCIV. CONCORDIA DE VICARIA BRAIMI.

Multa de contentione Braimi, de vicaria, inter Girorium et hujus ecclesie sanctimoniales, ventum est ab utrisque ad judicium coram domno Gaufrido, Andegavorum pontifice, eoque interveniente et jubente hujus querele talis est inventa concordia. Si forfactum fecerint

homines sanctimonialium, vicarius earum distringat forfacientes et perdonet totum, usque ad XXX solidos de magnis forfactis et de parvis medietatem, sine vicario Girorii. Deinceps autem nichil perdonabit nisi assensu vicarii ejusdem Girorii. Eamdem legem servabit vicarius Girorii vicario sanctimonialium de hominibus domini sui, tam in parvis quam in magnis forfactis. Si monitio fuerit exercitus, quisque vicarius monebit suos subjectos et forfactum de exercitu non erit commune, sed Girorii erit de suis hominibus et S. Marie de suis. De silva communi quam ibidem habent, tantum accipient homines S. Marie quantum et homines Girorii, et homines Girorii quantum homines S. Marie; et insuper omni anno afferent sanctimoniales quatuor quarronatas de mortuo bosco. His testibus : Roberto de Fracta Valle, Marbodo archidiacono, Gaufrido cantore, Hugone canonico; ex hominibus Girorii : Normanno, Clementio filioque suo Amalguino, Radevino; ex parte sanctimonialium : Adelelmo canonico, Roberto canonico, Tetberdo, Galterio Ruffo, Arduino. *R.* 1, *C.* 57.

XCV. CONCORDIA DE REBUS ASCELINÆ.

Eodem autem tempore, Girorius de Bello Pratello calumpniatus est donum quod fecerat Ascelina S. Marie Caritatis. Quapropter dederunt sanctimoniales X libras, quibus placatus Girorius concessit omnia que dabat Ascelina. Defuncta vero Ascelina, cupiditate perversus idem Giroius iterum de Braimo calumpniam sanctimonialibus intulit, immemor X librarum quas pro concessione acceperat. Qua causa ita inventa, filiam suam obtulit sacre virginitatis jugo quamquam jam alteram dedisset S. Marie deservituram. Cum ultima tamen dedit sanctimonialibus potestatem emendi per totam terram quodcunque potuerint, absque ullo lucro quod ipse ab eis querat, annuente Bricia uxore sua et filio suo Hamelino; eo pacto ut ipse Girorius annuere ceteris filiis et filiabus faciat. Braimum a calumpnia reconcessit, X libras quas non recte habuerat reddidit. Dedit etiam insuper incrementum loco S. Marie X arpennos pratorum : ipse quoque, ubicunque poterit, sit fidus defensor et advocatus rebus S. Marie; testibus : Gauslino filio Burchardi, Augerio canonico S. Marie, Roberto, Adelelmo, Stabili vicario, Theberto preposito. *R.* 1, *C.* 47.

XCVI. CARTA GIRORII DE BELLO PRATELLO, DE PRÆDICTIS CONCORDIIS.

In Christi nomine. Ego Girorius et uxor mea Bricia, cum filiis et filiabus nostris, considerantes gravitudinem peccatorum nostrorum et reminiscentes bonitatem Dei dicentis : *Date elemosinam et omnia munda fient vobis;* si aliquid de rebus nostris locis sanctorum conferimus, hoc nobis procul dubio in eterna beatitudine retribui confidimus. Nos itaque, de tanta misericordia et pietate domini confisi, per hanc cartulam concedimus concessumque in perpetuum esse volumus monasterio S. Mariæ matris domini, virgini virginum, quod dicitur Caritatis et sanctimonialibus Deo inibi famulantibus rem illam Braimi quam calumpniabamur et quam defuncta Ascelina, matertera mea, pro remedio anime sue ibi donavit. Et illas X libras denariorum reddimus quas, propter hujus calumpnie relictionem, a sanctimonialibus acceperamus; aut, si ille voluerint, dabimus pro X libris tale escambium quod gratanter accipiant. Damus etiam eis, in augmentum, X arpenta pratorum que sunt in Monte de Piron. Adhuc etiam damus eis licentiam emendi in tota terra nostra quicquid sibi placuerit, absque lucro ullo vel consuetudine quod inde requiramus; et si forte quis, quod absit, has res suprascriptas calumpniari presumpserit, inde eas tanquam nos, firma fide promittimus, adjuvabimus. Ob tale beneficium receperunt nonne nostram filiam, ut et ipsa fiat nonna. Hanc igitur concessionem auctorizamus per singula, filiosque nostros et filias firmiore fide auctorizaturos convenimus. Et ut hoc auctorizamentum firmius habeatur et melius per tempora observetur, manu propria subter firmavi. † Signum Girorii, signum uxoris ejus Britie. Nomina autem testium hujus auctorizamenti sunt hec : Hardradus de Calunna, Fulcoius homo S. Marie, Stabilis vicarius, Robertus canonicus S. Marie, Goscelinus de Spina tio, Garnerius et Burchardus scutarii Girorii, Thebertus serviens, Guihenoc presbiter, Hubertus decanus, Goffridus pelletarius, Clemens homo Girorii, Gosbertus homo Girardi Calvelli. Domnolus notarius rogatus scripsit et signavit. Si quis fuerit qui hanc concessionem infringere conatus fuerit, iram Dei altissimi et S. Marie virginis et omnium sanctorum offensionem incurrat. Amen. *R.* 3, *C.* 18, 61.

XCVII. DE CENSU ET AVOERIA DATIS A GARINO DE BREMO.

Sciendum est quod Fulbertus, avunculus Garini de Bremo, S. Marie Caritatis II solidos et IV denarios, de censu suo, singulis annis dedit. Quod donum Guerinus concessit hac dispositione ut beneficiis et martiroge V haberetur. *R.* 5, *C.* 17.

Illud etiam inter alia dona volumus posteris nostris notificare quod Garinus de Bremo dedit Deo et S. Marie Caritatis, pro salute anime sue, VI denarios de censiva in Natale Domini omni tempore reddendos. *R.* 2, *C.* 16.

Garinus de Bremo dedit avoeriam suam S. Marie, vidente Teberto prefecto, Rainardo Fossardo, ad probandum quod nullus de suis heredibus rectum potest clamare, post mortem suam, in terra illa quam tenebat de monialibus S. Marie et quod ipse non habebat eam nisi ad tenendum in vita sua; ita ut, peracto vite sue cursu, terra supradicta remaneret S. Marie libera et quieta. *R.* 5, *C.* 65.

XCVIII. DE TERRA CONCESSA EIDEM IN VITA SUA.

Scrinia illa in qua stat Dulcia Folia, Vitalis pellificis terra, in qua constructa est S. Marie solida (1).

Sanctimoniales habebant apud Bremum quandam terram, circa dimidiam medietatem, quam Garinus de Bremo auferebat sanctimonialibus per vim domini de Brioleto. Clamore autem facto comiti a sanctimonialibus, reddidit Garinus illis, judicio comitis, solidam. Petivit iterum Garinus a sanctimonialibus ut terram illam sibi saltem darent in vita sua; post obitum vero ejus haberent domine illam terram solidam et etiam sicut esset illo mortuo, aut in segete aut sine segete. Hanc igitur terram calumpniatus est nepos ejus Savaricus Rainardo Fossardo. Garino autem irato de calumpnia illata, obtulit nepoti suo Savarico judicium hujus rei exequendum. Sed illo nolente, dedit Garinus advocationem suam Rainardo Fossardo quod Savaricus nichil juris in illa terra habebat nec heres ejus; videntibus et audientibus istis : Tetberto preposito, Andefredo Guidonis, Martino Fenario. *R.* 5, *C.* 75.

(1) Sic.

DE BRIGNIACO.

XCIX. DE MONASTERIO S. ALBINI ET DE ALIIS REBUS.

Haimericus et Raginaldus filius ejus, dederunt sanctimonialibus S. Marie Caritatis, pro anima Milesendis, monasterium S. Albini (de) Brigniaco; et terram ad arandum duobus bobus, pro remedio animarum eorum. Postquam Milesendis fuit mortua, asportaverunt illam domine in monasterium illarum et sepelierunt in cimiterio. Post, contigit ut Raginaldus accepit uxorem Huberti, nomine Agnetem, et ipsà habuit quandam filiam nomine Guiburgem. Que Agnes emit virgultum, quod erat juxta monasterium, de quodam homine nomine Galterio et dedit eum monachabus cum filia sua. Ipsa quoque et Raginaldus vir ejus dederunt donum super altare, coram testibus : Rainaldo de Trocha, Fulcoino Boduer, Giraldo Calvello, Stabili vicario. *R.* 3, *C.* 43, 100.

Petronilla de Brinel rogabat II solidos de taleia in terra S. Marie; et finivit istos II ad XII denarios de taleia, ante Galterium de Blazonio, qui tunc erat senescallus de Brachesac, et ante Senioretum et ante Savari de Muteron et ante Raginaldum Bernerium et ante Chalonem de Boeria. *R.* 6, *C.* 22.

DE BUCCA MEDUANÆ.

C. NOTITIA DE DUCTILI AQUÆ SUB BUCCA MEDUANÆ.

Volumus posteritati scriptum relinquere quo pacto sanctimoniales ecclesie Caritatis cum canonicis S. Laudi ductile sub Bucca Meduane communiter habuerunt et quomodo, dono et emptione, a Magni Gaufridi nepote Fulcone Andegavensium comite adquisierunt. Comes ille, supradictus Gaufridus, hanc aquam in qua ductile edificatum est ita propriam habuit ut ibi tractus esset sue sagene. Mortuo autem illo, nesciente Fulcone herede suo, Fossenses coliberti et alii multi in eadem aqua plurimos descensus fecerunt. Quod postquam deprehendit, jussit ut quicunque in eadem aqua descensus facerent, illo nesciente, rectum sibi facerent. Illi autem in ecclesia S. Laudi con-

venerunt ante eum, in S. Laudi sollempnitate, quorum nomina hec sunt : Ingebaldus de Saiaco, Frogerius frater ejus, Gauterius Glatialis et Radulfus frater ejus, Robertus Romarius, Martinus Borrellus, Roguinus et frater ejus, Gauterius de Meso, David qui tunc erat subvicarius ejusdem, et cum his alii multi quorum nomina, propter fastidium, scribenda reliquimus; ibique comes rectum poposcit de aqua sua quam, se nesciente, invaserant injuste. Illi vero omnino placitum respuerunt, dicentes se nunquam cum eo placituros de hoc. Responsum quorum audivit comes et plures clerici et milites et servientes. Videns autem comes eos judicium renuentes, omnino dedit et vendidit sepedictam aquam absolutam et quietam ab omni consuetudine, dimittentibus ei monialibus CL libras quas ipse eisdem sanctimonialibus debebat, excepto quarto pisce quem in sua manu retinuit eo tenore ne unquam alicui daret, sive in vita sive in morte, nisi duabus ecclesiis supranominatis communiter : ita ut ductile canonicorum, quod erat superius, destrueretur, de quo multi conquerebantur. Annuit etiam comes sanctimonialibus et canonicis ut acciperent, pro quarto pisce quem retinebat, ad opus ductilis de silvis suis. Deinde videns et audiens Hugo canonicus S. Laudi prescriptos invasores defecisse de placito ut conscios commisse injurie, dedit eis de S. Marie sanctique Laudi pecunia et de sua unicuique, tantum ut sponte dimitterent calumpniam quam in supradicta aqua clamabant : Gauterio Glaciali et fratri suo Radulfo pagellam unam et dimidiam vinagii; Roberto Romario XX solidos; Frogerio filio Petri, Gauterio, Balduino XXXIII sol.; Gauterio de Meso David XXXV sol., et filius ejus David et Raguinus annuerunt; Martino Borrello XII sol.; Alrico Borullo XI sol.; filio Alcherii II sol. et unum sextarium sigule; Lamberto Radevino II sol. et unam aream domus in terra S. Laudi pro censu IV denariorum, quam post mortem ipsius tradidit Hugo uxori sue. Dederunt etiam canonici dimidium arpennum vinearum et dimidium arpennum terre et unam aream domus Constantino exclusatori. Pro his rebus et pro vinagio supradicto et pro petra que est in terra canonicorum, unde edificetur ductile, et ut homines S. Laudi defendant molendina S. Marie sicut molendina S. Laudi a glacie vel tempestate, si homines S. Marie non celeriter adesse poterunt, dederunt sanctimoniales canonicis unum arpentum vinearum. Hec autem est convenientia inter sanctimoniales ecclesie Caritatis et S. Laudi canonicos, de supradicto ductili, ut equaliter mittant canonici et

sanctimoniales quecunque necessaria fuerint ad edificationem ductilis et equaliter accipiant omnes profectus qui inde exituri sunt de piscibus, excepto quarto pisce comitis et quarto pisce exclusarum. De vicaria que inde proventura est, nec liceat canonico vel servienti ejus aliquid perdonare sine assensu sanctimonialis vel servientis ejus. Omnium molendinorum ibidem molentium profectus equaliter habeant. De burgo S. Marie et de pistrinis et de burgo S. Laudi et de pistrinis eat annona ad eadem molendina. Hoc autem pactum insuper positum fuit ut molendina S. Laudi essent uno anno in parte ripe et altero anno intra magnam aquam, et molendina sanctimonialium similiter. Itaque mutabuntur variabiliter unoquoque anno status molendinorum. *R.* 1, *C.* 79.

CI. DE LIBERTATE HOMINUM HABITANTIUM IN MOLENDINIS S. MARIÆ.

Die autem quo Aufredus sue funiculo servitutis absolutus fuit, ut sanctimoniales, quarum servus erat, libenter atque quiete perpetue concederent libertati, annuit eis Fulco comes, in emptione prefata, omnes de uno terre agripanno quod est super ripam Ligeris, costumas et omnes homines, tam mulnerios quam alios, ibi habitantes et molendinos S. Marie servantes liberos ab exercitu et ab omni laïcali potestate et dominio libere ut habeat atque quiete; unde Theburgim abbatissam cum propria cuphia in communi sororum capitulo revestivit, coram Tetberto preposito et Marquerio quorum indagatione res facta fuerat. Ideoque habuit comes C solidos. Hoc factum est in capitulo S. Marie coram abbatissa Theburgi, Imberga celleraria, Orieldi sacristana, Anna elemosinaria universoque conventu; in audientia quoque clericorum et servientium ejusdem ecclesie : Johannis decani, Gauterii Cornuti, Bernaldi atque Giraldi canonicorum, et Goffridi Burzesii, Henrici presbiteri, Barbotini, Goffridi de Quartis, Rainaldi Burgevini, Goffridi Burgevini, Giraldi prepositi, Hervei quadrige, Andefredi Guidonis filii, Fulberti pellitarii, Bernerii de Sancto Florentino, Guitonis, Leberti, Laurentii Barilli, Goffridi de Restinniaco, et coram permaxima populi multitudine que illic convenerat. *R.* 1, *C.* 99; *R.* 6, *C.* 12.

Tempore Normannici belli, cum exercitus Andegavensium iret ad pugnandum contra regem Anglie, forte Pichardus homo Hervei prefecti, minister demonum, invenit quendam vulneratum, hominem

videlicet proprium S. Marie Caritatis, et quietum ab omni exercitu, quem misit in carcerem ideo quia non erat in exercitu; et inde accepit XV solidos. Quod audiens Herveus, tunc prefectus, postquam rediit de exercitu, fecit hominem quietum et gagiavit in manu abbatisse illos XV solidos, dicens et testificans quod homo ille et alii mulnerii S. Marie erant quieti ab omni expeditionali costuma. Hoc vidit Malguerius Almauguini, Bernardus Angerii, Engelbaudus villanus, Robertus de Junniaco, Pichardus Insidiator, Audulfus miles, Rainerius canonicus, Eusebia celleraria. *R*. 6, *C*. 16.

CII. DE COMPARATIONE TERRÆ AD BUCCAM MEDUANÆ.

Aliquotiens evenire solet plurima per in curiam amittere, amissa vero non recuperare : sicque multos jure etiam hereditario fraudari ac de summa felicitate in miserande inopie profundum demergi. Hujusce modi ergo causam, que sani consilii hominibus precavenda est, non minimum timentes, ne rei nuper acquisite memoria temporum volubilitate evanescat, succedentium mentioni et maxime illorum qui hujus loci curam portare videbuntur rem, sicut ex ordine facta est, commendamus. Gauterius igitur Rufus circa dimidium terre agripennum, que ad Buccam Meduane subtus B. Marie farinalibus est, de Argardi filiisque suis, ad opus dominarum, XXX comparavit solidis; pro qua per unumquemque annum, ad Andegavinam feriam, II solidi de censu reddentur. Hanc terram Argardis ac maritus ejus Ernulfus non ex patrimonio habebant, sed proprio e censu sibi coemerant. Reddidit etiam vendas Gauterius, II solidos et dimidium, his de quorum feuo erat : id est Goffrido Esclanstro et Goffrido Ermenardo et Alberico de Dumis qui propter vendas habuerunt IV solidos pro concessione.

Audiens autem emptionem nostram Bernardus Gradulfi filius, quia de feuo suo erat, intulit in ea calumpniam; que suffocata est V solidis a nobis acceptis et communi ecclesiæ beneficio : tali tamen pactione retenta ut si quando monialibus dimidium terre agripenum suo in feuo comparare contigerit, in eadem sit concessione. Unde donum super altare imposuit et abbatissam Theburgim investivit. Huic affuit emptioni : Imberga celleraria, Mauricius Gaudini, Meno Bacheloth, Rainardus Fossardus, Odo filius presbiteri, Garinus de Bremo.

Iterum extincta est calumpnia quam Fulco de Plessitio in eadem

faciebat terra, qui et dominus capitalis erat; et habuit V solidos quos Gauterius tradidit ei in domo Ernulfi Crassi, coram Gaufrido Ermenardi et Johanne villano suo foristario et Roberto de Castro Brientii; ideoque terram istam et omnes res S. Marie se servaturum fideliter promisit. *R.* 6, *C.* 12.

CIII. DE VINEA GIRAUDI BRISONI APUD BUCCAM MEDUANÆ.

Giraudus Brisonus et uxor sua dederunt Deo et S. Marie Caritatis partem vinee ad Buccam Meduanam, juxta burgum S. Marie, pro anima patris sui et parentum suorum et pro beneficio ecclesie. Et pro isto dono sanctimoniales dederunt eis XL solidos et II arpenta pratorum; et illud donum posuerunt super altare, istis testibus: Burgundia, Verzelina, Eusebia, Abelina, Marquerio Almauguini, Barboto villico, Roberto de Juigniaco, Menardo de Spineto, Harduinus, Erveus de Bucca Meduana, Harduinus mulnerius, Britellus mulnerius. *R.* 3, *C.* 1.

CIV. DE VINEA APUD PRUNERIOS TRADITA GARINO SERVIENTI.

Quoniam multa per injuriam abolere solet oblivio, dignum duxit domna nostra Richeldis abbatissa, tam ad presentium quam ad memoriam futurorum, carte commendare sese B. Marie servienti Garino nomine II arpennos vinee apud Prunerios, acceptis inde LX solidis, dedisse. Quam videlicet vineam taliter a predicta domina videtur accepisse ut eam, quamdiu vixerit, bene colendo edificandoque teneat; et, cursu vite sue peracto, alios LX solidos sanctimonialibus reddat, vinea quoque in dominium S. Marie ex toto remaneat. Et ne forte iste prescriptus Garinus aut aliquis de suis heredibus aliter se habuisse, in succedenti tempore, possit calumpniari, legalium nomina virorum, clericalis sive etiam laïcalis ordinis, in quorum presentia conventio ista fuit facta, quatinus ipsorum testimonio firma consisteret, in scedula ista subnotata continentur: Hugo de S. Laudo; quatuor S. Marie canonici Robertus scilicet, Adelelmus, Gauterius, Goffredus; Girardus diaconus et secretarius, Raginaldus de Fossis, Raginaldus villanus, Christianus de Spiniaco. *R.* 1, *C.* 66; *R.* 3, *C.* 25 et 65.

CV. DONUM BERNARDI NUTRICII APUD HERITIUM.

Tempore Amne elemosinarie. dedit Benedictus nutricius unum

quarterium silve apud Hyricium, ad hospitium faciendum; videntibus Mauricio sacerdote et Haimerico serviente. *R.* 4, *C.* 24.

CVI. PLACITUM CONTRA MONACHOS S. ALBINI DE DECIMA HERITII.

Manifestum est tam presentibus quam futuris moniales S. Marie Caritatis et canonicos S. Laudi cum monachis S. Albini, propter decimam loci illius qui nuncupatur Heritius, dissensionem habuisse. Moniales etenim decimam predictam per XXX annorum sive XL curricula possessionem sibi vendicabant; monachi vero (per) Berengarium de Moleriis qui terram loci illius predicti, emptione non jure hereditario, possidebat, requirebant. Que dissensio, eodem anno quo Berengarius terram mercatus est, inter eos exorta est. Secundo autem (anno), ubi ad tempus messis perventum est, cum moniales et canonici decimam suam obnixe peterent, monachis injuste resistentibus, famuli tam monialium quam canonicorum, vi illata, eam acceperunt. Unde Berengarius et monachi ira permoti, ad hujus rei discussionem, cum monialibus et canonicis in presentiam domni Raginaldi Andegavensis episcopi, convenerunt. Cujus juditio decretum est moniales et canonicos cum testibus suis debere ad terram perculcandam pergere et approbare illas XXX vel XL annis jugiter tenuisse sine calumpnia legaliter illis facta, sicut causidici decernerent. Peracta igitur perculcatione, Haimericus, Faciens Malum cognoninatus, cum aliis testibus dedit advocaturam suam famulis S. Marie ut, si ipse ante hujus rei diffinitionem ab hac vita discederet, illi testificarentur ita se habere rei veritatem uti ipse asserebat. Quo facto, posuerunt cum Berengario terminum faciendi probationem. Die autem constituto, cum moniales et canonici in presentiam domni Raginaldi episcopi iterum convenissent, monachis per negligentiam absentibus, probationem suam Berengario obtulerunt. Quam cum ille non recepturum se diceret, judicio domni Raginaldi episcopi aliorumque presentium causidicorum, diffinitum est Berengarium et monachos a causa sua omnino cecidisse; testibus istis : Raginaldo episcopo, Ulgerio archidiacono, Guillermo Musca, Guillermo de Salmurio archidiacono, Goffredo de Engria archipresbitero, Mainerio de S. Laudo, Goffrido Caiphas, magistro Guiberto; de laïcis vero : Maino Bachelot, Marquerio filio Amauguini, Eudone sacrista, Gaurino Lodunensi, Roberto de Joviniaco, Barboto vicario, Engel

baudo villano, Goffrido Bello, Berrengario de Moleriis, Pagano fratre Maini, Halenodo, Babino et Richardo famulis S. Marie. *R.* 2, *C.* 14.

CVII. DE PARTE BURGI RUSEBOC RESTITUTA A GOFFRIDO DE ESPIREIO.

Cum omnes sancte matris ecclesie filii res ipsius ecclesie, ut matris sue, semper debeant tutari, ne aliqua hostium incursione vastentur vel temporis vetustate minuantur, iccirco, fratres karissimi, litterarum memorie libuit commendare quod Goffridus de Espireio monialibus S. Marie Caritatis quandam partem burgi qui vocatur Ruseboc injuste calumpniabatur, quam pater ejus ecclesie, pro remedio anime sue antecessorumque suorum, dederat. Quapropter in domum Guillermi de Molendinis, tunc Andegavensium pretoris, ipse Gaufridus ejusque coadjutores et ex altera parte Mainus Bacheloth, tunc temporis monialium prepositus, aliique ejusdem ecclesie defensores ad placitum convenerunt. Oratione itaque ex utraque parte relata, predictus Goffridus, a Guillermo preposito et aliis presentibus causidicis illum injustam calumpniam fecisse cumvictus, Maino Bacheloth monialium preposito gagiavit qui ei terminum solvendi vadimonium secundum legem institutum imposuit. Infra terminum autem, habito cum suis amicis consilio, ipse Goffridus cum Guillermo de Serenis, socero suo, ecclesiam humiliter adiit ibique calumpniam predictam reliquit et, si aliquid supererat quod pater ejus non dedisset, spontanea voluntate eidem ecclesie contulit; et cum ramo mirice super altare posuit et eodem ramo domnam Tyburgim, ipsius ecclesie abbatissam, seisivit. Huic rei testes affuerunt : Eudo sacrista, Mainus Bacheloth, Barbotus vicarius. *R.* 2, *C.* 9.

CVIII. DE CENSIVA QUAM DEDIT GAUFRIDUS DE EXPIRIACO.

Posteritati fidelium innotescat quod Gaufridus de Expiriaco, concedente filio ejus Johanne et uxore illius Petronilla, S. Marie de Caritate censivam IV denariorum donavit et donum istud super altare S. Marie posuit, videntibus hoc subscriptis testibus et audientibus : Hugone archipresbitero, Mainardo S. Marie canonico, Adam, Pagano S. Trinitatis capellano, Gauterio capellano, Garino de Losduno, Turpino vicario, Menerio dapifero; et Amelina abbatissa quam revestivit cum candelabro eneo, Steophania decana, Maria, Choa celleraria,

Milesende nepte abbatisse. Judicael, qui hoc scripsit, inde habuit XXV solidos de caritate. *R.* 5, *C.* 26.

DE CALVONE.

CIX. DE INCLUSA CALVONIS.

Notificare volumus quod Barbotus de Calvone calumpniabat quamdam partem incluse, que est communis inter eum et moniales S. Marie, quod nimium alte extende (batur); et paratus est probare Harduinus famulus S. Marie quod eam ipse palaverat tempore patris sui sicuti moniales clamabant. Ipse vero, consilio parentum virorum (que) qui cum eo erant, recognoscens jura S. Marie, dimisit calumpniam et concessit inclusam sicuti moniales tenuerant, et dordellones claudere concessit et dordellonem deriadere. Quapropter abbatissa dedit ei XIV solidos ad pelles redimendas. Ex parte Barboti fuerunt testes : Burchardus de Hogiis et Raginaldus de Hogiis et Raginaldus de Cleriademo. Ex parte abbatisse Theburgis : Engelbaudus villanus, Garinus de Bremo, qui projecit suum calcar in aqua in recognitione, Bosselinus de S. Lamberto, Garinus Hildeberti. *R.* 2, *C.* 31.

CX. DE PRIMEVERA PISCATURÆ CALVONIS.

Quoniam res et ecclesiarum possessiones, juxta instituta sanctorum patrum, debent esse libere ab omni hereditaria reclamatione, nullus debet presumere patrimonio vel paterna hereditate aliquam calumpniam in rebus ecclesiasticis nullatenus facere. Unde posterorum memorie memoriter volumus commendare quod quedam altercatio inter Richildim priorissam de Calvone et Frelonem de Campigneio surrexit de piscatura de Calvone, que est communis inter eos per totum, de qua ipse Frelonus clamabat primeveram piscium : scilicet primum salmulum, primam murenam, primam alosam; unde simul convenerunt ante Guillermum filium Hamonis, siniscallum regis, postea ante Emmam de Lavalle tunc abbatissam S. Marie Caritatis. Et facta concordia inter eos, recuperavit ipsa priorissa partem suam, medietatem scilicet per totum. Et rei cognitione ipse Frelounus in presenti concordia reddidit priorisse dimidium salmulum quem sibi abstule-

rat in anno preterito precedenti; istis videntibus et audientibus : Emma de Lavalle abbatissa, Isabella Chaolcine celeraria, Albina cameraria, Hersendis de Dunfrunt decana, Isemberto tunc siniscallo S. Marie, Secardo tunc secrestario, Laurentio de Leone tunc vicario et aliis quam pluribus audientibus et videntibus, anno ab incarnatione domini MCLXIV°; adhuc istis testibus : Petro Vaslin preside regis Andegavis, Morello socio ejus, Guillermo non Bibente Vinum, Guillermo Emente Asinum, Radulfo Andegavino, Pagano Simia, Chaluino nepote Laurentii, Guillermo vicario, Guillermo cellerario et pluribus aliis. *R.* 2, *C.* 67.

CXI. DE DECIMA VINEARUM CALVONIS.

Notum fieri volumus presentibus et presentium successoribus quoniam contentio erat inter monachos S. Albini et sanctimoniales S. Marie pro quadam terra que est prope Legionem, ad locum qui Calvum appellatur, unde communis erat decima inter duas ecclesias et communiter per singulos dividebatur annos. Dederant enim sanctimoniales maximam partem terre hominibus de Legione ad plantandum vineas; et inde orta erat contentio, quia monachi decimam suam amitebant quam antea habere soliti erant. Tandem, propter pacis caritatisque custodiam, ab utraque parte concessum fuit ut legitima commutatio fieret : scilicet ut monachi tot arpennos de terra Insule, cum testimonio hominum, mensurare vel considerare facerent et exinde totam decimam ipsius terre solidam et quietam possiderent sine participatione sanctimonialium, sicut terra illa que data est vineis remanebit in perpetuum sine particione monachorum. Anno autem ab incarnatione domini MCXLIII°, indictione VIa, VII° kalendas Novembris, facta est prius hec concordia in capitulo S. Marie, videntibus et audientibus monachis S. Albini : Petro priore, Guihenoco, Lisoio et famulo eorum Adelardo. Postea, ipso die, venit domna Hamelina venerabilis abbatissa in capitulum S. Albini cum duabus sanctimonialibus, Petronilla diaconissa et Osanna celleraria, ibique hec eadem concordia auctorizata est a domno Roberto abbate qui tunc, in senectute bona, abbatiam S. Albini regebat; ita ut ex hac querela nulla amplius controversia oriatur sed, sicut in utroque capitulo decretum est, firmiter omni tempore et indissolubiliter teneatur. Ad confirmationem hujus rei testes affuerunt quorum nomina hec sunt. Ex parte monachorum : Rubescallus, Barbotus de

Balaé, Adelardus, Benedictus de Lochon; ex parte sanctimonialium: Mainardus canonicus earum, Turpinus vicarius, Mainerius siniscallus, Robertus mariscallus, Rannulfus coccus, Vendilo pistor. *R.* 4, *C.* 82.

DE CARTIS.

CXII. DE TERRA ET MOLENDINO DE CARTIS.

Goffridus comes, successor Gaufridi sui avunculi, memor anime sue, apud Lusdum manens in domo Gilleberti vicarii ipsius castri, monasterio S. Marie Caritatis multonagium et fodrum de quadam terra, scilicet de Cartis, dimisit; jussitque preposito (suo de) Balgeio Haimerico nec nun et fodrario suo Isemberto ut amplius ea que genitrici domini dimiserat ne peterent. Hujus rei testes sunt: Haimericus prepositus et frater ejus Fromundus, Isembertus frodrarius. *R.* 1, *C.* 26.

Modernorum memorie et posterorum noticie patefieri volumus Theophaniam S. Marie Caritatis (abbatissam) molendinariam molendini sui de Squartis, in omni vita sua tantum, Garnerio molendinario concessisse. In hoc concessu concessum est priorissam et molendinarium sine molimento ad molendinum molere; concessum inquam Garnerio prescripto rerum suarum tenorem immunem sibi et heredi suo post mensuratam terram cum legali censiva. Hoc viderunt et audierunt: Theophania abbatissa, Theophania elemosinaria, Milesendis decana, Oitia sacristana, Ermengardis celleraria, Legardis cameraria, Mathea, Guiotus dapifer, Renaudus cellerarius, Hugo de Cleeriis, Laurentius viearius, Mauritius Robin, Ranulfus; ex parte Garnerii: Guillermus Bochart, Matheus de Baugeio, Lancelinus Duarum Aquarum, Johannes de Ligronio et plures alii. *R.* 5, *C.* 30.

DE CASTRO CELSO.

CXIII. DE IMMUNITATE CALANNI ONERATI TRANSEUNTIS ANTE CASTRUM CELSUM.

Cum memoria hominum labilis et transitoria videatur, per istius

scripti presentiam presentium futurorumque hominum noticie declaramus quod Amauricus Crispinus atque uxor ejus Garmesia in elemosina, pro beneficio animarum, sanctimonialibus S. Marie Andegavensis hoc dederunt et concesserunt : scilicet quendam calannum, salis vel quolibet oneratum, transeuntem ante suum castellum Castri Celsum singulis annis sine aliqua impeditione liberum et quietum. Hi sunt hujus rei testes : Guido de Frumenteriis, Ernaudus de Bleseio, Guillermus de Burgundis, Geraldus Martel, Morel, Herbertus Venator, Petrus Genuer. Isti hoc viderunt et plures alii. *R.* 6, *C.* 27.

CXIV. CARTA AMAURICI CRISPINI, DE DONO BURGENSIS ET DECIMÆ PISCIUM ET MOLENDINORUM.

Si veri Dei cultores esse volumus, illius sequi precepta debemus qui nos ad caritatem et misericordiam instruit, dicens : *beati misericordes*; ut diligamus Deum et proximum. Ut ergo amatores Dei et proximi, sectando caritatem et misericordiam, videamur, debemus de rebus nostris caritative et misericorditer, ceu possibilitas nostra obtinet, fratribus impendere. Quapropter ut dilectionem et misericordiam Dei consequi valeamus, ego Amauricus Crispini et Garmesia uxor mea, pro animabus nostris et animabus parentum nostrorum, dedimus Deo et S. Marie Caritatis decimam piscium et decimam molendinorum cujusdam incluse nostre quam noviter edificavimus apud Castrum Celsum; et etiam dedimus quendam burgensem nostrum solutum et quietum ab omni cosduma qui fideliter inde eis serviret. Hoc factum est in capitulo S. Marie; et postea posuimus donum super altare et inde in manum Mabile abbatisse. Quod viderunt et audierunt isti : Guillermus Chotardus, Girorius nepos ejus, Manases, Radulfus Tessonus, Raginaldus Charruel, Tegrinus, Guillermus de Molli Campo, Radulfus Canis Exulata, Rainerius canonicus, Meno Bacheloth, Robertus de Juigniaco, Barbotus villicus, Boverius, Harduinus, Richardus. Facta est hec cartula anno MCXXIII° ab incarnatione domini; Calixto papa, Lodovico rege Francorum, Fulcone Juniore Andegavensium comite, Raginaldo ejusdem civitatis episcopo. *R.* 2, *C.* 89.

CXV. DE DECIMA MOLENDINARIORUM DOMINI CASTRI CELSI.

Amaurinus Crispinus et Garmesia uxor sua tunc vivens, et Teo-

baudus filius suus, sicut apparet in alia parte istius cartule, concesserunt Deo et S. Marie Andegavis decimam molendinorum suorum et piscationis sue. Et ipse, sperans quod similiter sanctimoniales haberent decimam molendinariorum, postquam audivit dicere eas non habere, voluit quod haberent similiter de parte illorum quemadmodum habebant de sua parte; et quicunque tenerent molendina et clusiones similiter redderent, et quicunque retinerent sub anathemate manerent. Filius suus + (signo) hoc Teobaudus et concessit ipse et filius suus Tebaldus. Et de hoc testes sunt isti qui audierunt et viderunt : Rolandus de Lireio, Guillermus de Condono, Oliverius de Lireio, Radulfus de Odono, Guillermus Borgonus, Barbotinus filius Hamelini, Rolandus de Bocheleio, Radulfus villicus, Guido de Bleseio, Johannes Melledus, Paganus Cavalleni, Guillermus Chavinus, Radulfus de Landa Montium, Normannus Crispinus, Bachelodus filius Crispini, Guido de Geneio, Gervasius filius Engelbaldi, Graelendus Brito, Guillermus clericus de Gerzeaco, qui tunc erat famulus domini, et Martinus suus famulus; et ex parte abbatisse Hyldeburgis, in cujus tempore hoc factum fuit, fuerunt isti : Joslenus de Turonis, Raaldus villicus, Letardus nepos Gosleni de Turonis et Durandus sacerdos suus de Sagio, qui hoc scripsit, et Malus Vicinus, Marachelis. Ipse Amaurinus Crispin fecit hoc signum † sua manu. *R*. 3, *C*. 9.

CXVI. DE DECIMA CASTRI CEAUS DATA AD FIRMAM.

Notum sit omnibus quod Emma S. Marie Andegavis abbatissa et conventus ballaverunt Guidoni Lempontener decimam suam de Castro Ceaus ad firmam per annum, usque ad tres annos, propter C solidos per annum : ipso reddente medietatem ad festum S. Nicholai et aliam ad festum S. Florentii. Hoc est factum ad festum S. Johannis quo Gaufridus pro Castro Ceaus recepit terram suam. Hoc vidit et audivit : Isabel ceneraria, Margarita, Isembertus siniscallus, magister Menardus, Secardus, Talebotus capellanus, Engenotus, Berengerius de Calone, Albericus carnifex. Inde fidejussor est Garnerius Carmil de Roca Monachi, et Bacinas et Giraldus Lembadem, Petrus de Jeuneio, Archembaudus de Jeuneio frater ejus. *R*. 5, *C*. 44.

DE CASTRO GUNTERII.

CXVII. DONA RAINGARDIS ET MARIÆ VIDUARUM.

Raingardis vidua, suscipiens sacrum velamen in monasterio S. Marie, tradidit ad ipsum locum unam bordariam terre censilis cum prato et vinearum arpentis V apud Castrum Gunterii, et unam domum intra ipsum burgum. *R.* 1, *C.* 12.

Item ibidem Maria, relicta vidua Januarii defuncti, donavit S. Marie unum arpennum vinee. *R.* 1, *C.* 13.

CXVIII. DE DOMO, GRANGIA ET VINEIS QUAS DEDIT ANSELMUS DE CASTRO GUNTERII.

Anselmus de Castello Gunterii et uxor sua Elisabeth condonaverunt se et omnes res suas S. Marie post mortem suam, et tradiderunt Himberge cellarie et Martino servienti domum lapideam et vineas suas et granchiam, testibus his : Rainardo Fossardo, Harduino, Andrea, Machario de S. Aniano. Hoc donum concessit Rainaldus de Castello Gunterii cum fiducia, ita ut numquam amplius pro aliquo forfacto de eo acciperet vindictam; et absolvit a fide sua et a peccunia quam ei volebat auferre, annuente filio suo Adelardo et filia sua Laurentia, testibus his : Fulcone de Magno Fonte, Guidulfo de Bor, Fromundo qui Fullat Vicarium, Roberto de Bello Quercu, Salomone filio Osille, Suhardo Barrato, Adelardo filio alterius Adelardi. *R.* 5, *C.* 70.

CXIX. DE TERRIS, VINEIS ET DOMIBUS DATIS AB EODEM.

Quia multocies plurima, que in perpetuum pro maxima essent necessitate retinenda, sed per negligentiam non scripta, oblivioni tradi videmus, huic cartule commendavimus Inselmum de Castello Gunterii et uxorem suam dedisse et concessisse monialibus S. Marie in capitulo, Theburgi abbatissa existente, et se et omnia sua quecunque habebant post excessum eorum: scilicet tria arpenta vinearum et duas oschias terre que sunt juxta predictum castellum et duas domos, unam fustinam et alteram petrinam, cum totis ornamentis earum sicut sunt hugie, cuppe, cudelli et cetera omnia que in re mobili habentur, et insuper quicquid preter hoc in vita sua acquirere possent;

ut orationum earum et benefactorum earum ambo participes fierent. Hanc autem retinuit uxor Inselmi convenientiam quod si ipsa, sana vel infirma, habitum monachilem vellet accipere, ut moniales eam reciperent; ita tamen ut ipsa tunc presentialiter daret S. Marie totius substantie partem que sibi contingeret. Hoc donum posuit Inselmus cum suo cutello in manu predicte abbatisse et uxor ejus similiter, monialium conventu hoc vidente et audiente et istis aliis : Johanne decano, Bernardo canonico, Rohodo presbitero, Rainaldo de Brachesac, Fulcoio fratre suo, Morello pistore, Andrea fratre suo, Barbotino cellerario, Martino de Brione. Postea vero posuit Inselmus et uxor ejus cutellum supradictum super altare dominicum, videntibus supranominatis ejusdem hominibus. *R*. 6, *C*. 4.

CXX. DE HOMINE, DE CENSU ET COSTUMIS DATIS AB ADELARDO DE CASTRO GUNTERII.

Sollicite providere debemus ne, per oblivionem aut scripture negligentiam, dona et beneficia ecclesie nostre a memoria nostra transire permittamus. Quapropter huic cartule commendare voluimus quod Adelardus de Castro Gunterii dedit Deo et S. Marie Caritatis, pro anima Mahaldis uxoris sue, hominem solutum et quietum ab omni cosduma qui staret in domo S. Marie, et censum VIII denariorum de ipsa domo apud Castrum Gunterii (solveret), et pro vicario illius nullum rectum faceret donec deficeret famulus S. Marie sub cujus potestate esset. Dedit etiam cosdumam annone totius terre sanctimonialium et omnem cosdumam vini earum quod ibi venderetur; et concessit habere solute quecunque in castro suo dono adquirere possent. *R*. 2, *C*. 90.

CXXI. DE COSTUMIS DATIS A RAGINALDO INFANTULO.

Raginaldus Infantulus dedit Deo et matri ejus et abbatisse omnibusque sanctimonialibus illius loci existentibus, omnes costumas de domo ipsarum Castelli Gunterii, pro anima patris sui aliorumque parentum et pro anime sue redemptione matrisque, ad habendum in perpetuum sine ulla contradictione, testibus his : Guidulfo, Roberto Comite, Adelelmo de Amponiaco, Gaufrido Moranno, matreque ipsius Raginaldi, Adelelmo presbitero, Radulfo presbitero, Fulcoino vicario. *R*. 1, *C*. 30.

CXXII. DONUM ARPENTI VINEÆ.

Erraldus Riberti et uxor sua Amelina annuerunt S. Marie unum arpentum vinee quod est apud Castrum Gunterii, facto dono cum quadam laurine frondis scedula in qua etiam conscribitur. *R.* 6, *C.* 11.

CXXIII. PLACITUM INTER MONIALES ET MONACHOS S. ALBINI.

Nolumus posteritatem nostram, fratres karissimi, ignorare monachos S. Albini cum sanctimonialibus S. Marie Caritatis, propter vineas et pratum que ipse apud Castrum Gonterii possidebant et propter decimam quam Gosbertus de Salcoigneio cum filia sua (in) dote ecclesie S. Marie dederat, quando moniales ad monachalem ordinem susceperunt, prolixam habuisse discordiam. Igitur cum (ex) utraque parte, arcersiti in curiam domni Raginaldi Andegavensium episcopi, ad placitum convenissent, diffinitum est ab eo aliisque judicibus sanctimoniales in proprio nullatenus posse retinere quod de feodo alterius ecclesie possidebant. Unde Mainus Bachelot, tunc temporis monialium prepositus, nimium contristatus, ad S. Albinum, ducens secum Adonem sacristanum, Guittonem, Marquerium Almaguini filium, Hanelodum, Garinum Ludonensem, perrexit; atque de concordia predicte querele domnum Archembaldum abbatem convenit. Cognito autem consilio, cum cellarie et abbatisse aliis dominabus illud retulisset multumque eis placuisset, ad S. Albinum regressus, abbatem et quosdam de monachis in capitulum S. Marie adduxit et, presente dominarum conventu, hec concordia facta est : quod sanctimoniales vinearum et prati predicti immunitatem haberent censum reddendo more solito, monachi vero medietatem decime quam Gosbertus de Salcoigneio ecclesie S. Marie contulerat possiderent, altera autem decime medietas sub monialium jure remaneret; omnibus querelis ex utraque funditus omissis, tali tenore quod famulus sanctimonialium uno anno eam colligeret famulus vero monachorum altero anno. Hoc actum est Andegavis (in) capitulo S. Marie Caritatis, presentibus istis : Archembaudo abbate atque Haduino ejus monacho; de laïcis vero : Roberto S. Albini prefecto; ex parte sanctimonialium : Bache lot, Marquerio Almaguini, Barboto villico, Engelbaldo villano et aliis quam pluribus. *R.* 5, *C.* 12.

CXXIV. RESTITUTIO DECIMÆ DE CODREIO.

Que fiunt, scripbuntur ne a memoria, que labilis est, deleantur. Sciendum est quod Gervasius filius Archardi et uxor sua Adelecia, cara femina, ad suam suorumque recordationem, donant et concedunt Deo et S. Marie Caritatis et sanctimonialibus ibidem Deo degentibus et sua spontanea voluntate, cum ligno in manibus Hildeburgis abbatisse posito, relinquunt illam decimam de Coldreio quam antea calumpniari solebant; et cum filiis et filiabus et omni generatione sua, clamavit illam decimam solutam et quietam in perpetuum et baculum hujus deliberationis super altare B. Marie ponit. Domna vero Burgundia, mater Adelardi de Castello Gunterii, donavit Gervasio et uxori sue Adelecie V solidos in caritate; et habebunt caritatem B. Marie bis in anno, ad Indictum et ad Pentecostem. Hoc viderunt et audierunt, in presentia abbatisse Hildeburgis : Anna de Tolosa, Burgundia, Verzelina, Beatrix, Osanna, Amelina de Choleto, Guillermus de Fano et Fromundus filius ejus, Bernardus Jumel, Guillermus de Alneto, Rainaldus Artus, Barbotus villicus, Boselinus, Popardus de Aveneriis, Gauterius Gueita, Turpinus, anno a passione domini MCXXVI°, indictione IVª, epacte XXV. *R*. 3, *C*. 5.

DE CEPIA.

CXXV. QUALITER CEPIA DATA EST MONASTERIO B. MARIÆ.

Quando a Toarcensibus occisus est Girorius filius Gosleni Redonensis, frater ejus Hamelinus, postulans in honore paterno succedere, vix hoc assequi potuit a Fulcone inclito comite : eo quod antea animum ejus graviter offendisset, a clientela sua, ubi prius exercuerat, ad vicecomitem Hugonem, juvenili levitate, se transferens. Cujus Hugonis infidelitas atque perversitas morum semper fuit comiti odiosa : maxime ex eo tempore quod (pro rapienda) filia ejus, elegantissima virgine cognomine Blancha, inter paternos lares nobiliter et pudice per matris diligentiam adulta, probrosam circumventionem per pravos interpretes frustra machinari, cum perjura temeritate, ausus est. Igitur Hamelinus, cum virilem comitis animositatem

(et) promeritam iram nullo alio modo placare posset nisi ad intercessionem confugeret comitisse Hildegardis, cujus benignitas sepe etiam pro malis bona retribuebat, obtulit ei, spontanea voluntate, ecclesiam Cepie perpetuo sibi retinendam aut cui vellet dandam, tantum ut eum seniori suo pacificaret et ei reliqum patris beneficium a comite impetraret. Quod illa, sicut erat in interventu strenua, sapienter effecit et ecclesiam illam cum molino uno, quod ibi comes in dominicatu suo habebat, B. Marie ad hoc monasterium, quod tunc ipsa religioso studio construebat, perhenniter habendam et elemosine pauperum addictam tradidit. *R*. 4, *C*. 5, 54.

CXXVI. CARTA FULCONIS COMITIS, DE DONO ECCLESIÆ CEPIÆ.

Inter salutaria misericordie opera que sibi, ad spem future retributionis, devoti Deo fideles preparant, illud non infimum est si servorum sive ancillarum Christi Deo in cenobiis famulantium, subsidiis sollicita caritate studeatur. Quapropter in Dei nomine ego Fulco, Andecavorum comes, notum fore volo S. Marie filiis et omnibus successoribus meis quoniam, ad suggestionem immo instantem precem Hildegardis conjugis mee dilecte, monasterio S. Marie quod ipsa, proxime Andegavem urbem exstructum, ad regulam puellarum perduxit, quandam ecclesiam mei juris, nomine Cepiam, cum omni integritate sua concessi, in stipendia et perpetuam possessionem ancillarum Dei in predicto monasterio degentium; quatinus eas pro remedio animarum parentum meorum et remedio (et) remissione peccatorum meorum Deum exorare non sit honerosum. *R*. 4, *C*. 7.

CXXVII. DE TERRA CEPIÆ DATA VICECOMITI HEUDONI.

Goffridus comes, pater (1) Fulconis, habuit terram Cepie propriam et dedit vicecomiti Heudoni, qui ex Britannia venit, preter molendinum (quod) dedit ad elemosinam S. Marie cum omni ecclesia Cepie. Hoc affirmabit Marinus dum vivet et ad verum probabit, vel bello vel judicio vel lege qua judicabitur. *R*. 6, *C*. 7.

CXXVIII. DE FUGA SARRACENORUM POST COMPLETUM OFFICIUM OCTONIS VICECOMITIS.

Vicecomitis Octonis hec terra fuit et istud monasterium in quo monachi habitant sub imperio ejus. Hunc Octonem comes Andega-

(1) Sic.

vensis Isembertus ad curiam vocavit. Ubi peracto servitio comitis, cum jam ad propria rediret, audivit Sarracenos honorem suum invasisse et arsisse. Quo audito, properavit ad Alum de Alis Montibus quem secum adduxit, et pariter juncti omnes Saracenos occiderunt usque ad sepem Ferrarie. Hoc etiam cognito, supradictus comes accessit in auxilium eorum et residuos Saracenos de Petracollis fugavit. Relique etiam continentes unum capillum gloriosissime matris domini et alia multa ibi continentur. *R.* 6, *C.* 15.

CXXIX. DE DECIMA CASTELLANIÆ DE MATEFELON.

Quoniam, ut ait sapiens, omnia vetustate premuntur nisi tenaci et fisse memorie per cyrographum, quasi in perpetuum, tradantur, iccirco omnibus tam futuris quam presentibus notum fieri volumus quod domine moniales S. Marie Andegavis, de dono consulis Martelli atque comitisse Erdeardis ejus uxoris, habuerunt in elemosinam totam decimam castellanie de Matefelon, et de terra et de aqua et de furnis et ceteris omnibus que ad reditum castelli pertinent. Postea vero famulis Pagani de Vegia ad opus dominarum decimam male administrantibus, moniales super id conqueste sunt. Deinde consilio inito, ipse domine dederunt Pagano de Vegia C solidos et Marchisse uxori sue linteamen X solidorum et cuilibet militi nomine... (1) X solidos, ut sopitis omnibus querelis ipse Paganus et Marchisa et Fulco ejus filius concederent eis unum duodecimum diem et redditus omnes duodecimi diei tam in terra quam in aqua. Quod libentissime fecerunt, et illud etiam fide firmavit ipse Fulco pluribus videntibus. Quod ut etiam firmius crederent, ipse Fulco coram signifero comitis, videlicet Gosleno, concessit. Et in eodem die in capitulum dominarum venit ibique, libro accepto, memorialem concessionem, eundem librum super altare posuit. Postea vero prefatus Fulco, suscepto militari habitu, donum predictum, instinctu quorumdam pravorum, infringere voluit. Sed provida cura cujusdam domine, ejusdem domus elemosinarie, dedit illi X libras quas benigne suscepit et ex integro omnia sua et in perpetuum concessit. *R.* 4, *C.* 21.

CXXX. CONVENIENTIA INTER MONIALES ET DOMINOS DE MATEFELON, DE CAPELLA ET CONSUETUDINIBUS EJUSDEM CASTELLANIÆ.

Vicum Cepie cenobio S. Marie cum tota sui integritate religiosissima

(1) Sic.

comitissarum Hildegardis ad usum elemosine dedit, in cujus parrochia castrum Matefelon postea constitutum est et in eo capella quedam lignea constituta. Que cum ad Deo serviendum, gentibus in terra multiplicatis, non satis esset idonea, tempore Fulconis de Matefelone, communicato consilio inter illum et Caritatis Sanctimoniales, actum atque constitutum est ut ille predictam capellam, utpote que in sua parrochia sita erat, lapideam facerent. Concessit itaque eis capellam que in castello erat sicuti eam Hamo presbiter tenuerat; ipseque eam, ad libitum ejus, lapideam edificaverunt. Ipse vero dederat eis decimam omnium que vel habebat vel jure in Andegavia erat adquisiturus. Concessit etiam ut presbiter qui eidem capelle deserviret victum de suo proprio sumptu, sicut decet presbiterum, semper haberet; et post mortem Garini Claudi presbiteri talem partem redecimationis qualem ipse tenebat sanctimoniales haberent, aut si ipse sponte monachus fieret aut si feuum suum adversus Fulconem forfaceret. Concessit etiam ut, post mortem Garini Claudi sacerdotis de Aziaco, talem partem qualem ipse habebat sanctimoniales haberent quocunque modo res mutarentur, sive illi monachus efficeretur sive feodum suum forisfaceret sive quolibet alio modo. Pro hac itaque conventione dederunt prefato Fulconi sanctimoniales de rebus elemosine C solidos de elemosina, non per venditionem sed per caritatem, et uxori sue Helisabeth X solidos pro concessu; teste : Samuele fratre Fulconis, Guidone de Calvo Monte, Gauterio vicario, Mauricio presbitero, Gauterio canonico aliisque multis.

Postea vero quam sanctimoniales rem libere, sicut constitutum erat, diu tenuerunt, multiplicatis in terris malis, Fulco predictus, mutato animo, rem mutare voluit. Que dissensio usque ad tempus illud quo occidentalis exercitus christianorum in Jerusalem suscitatus est protelata fuit. Tunc vero Fulcone prefato Jerosolimam proficiscente, Hugo filius ejus, ei jure succedens hereditario, rectitudinem S. Marie recognoscens, rem sicuti pater suus constituerat ab integro reformavit: concedens eis decimam omnium que vel habebat vel jure adquisiturus erat tam in terra quam in aqua de vendis, de pedagiis, de furnis, de molendinis, de piscaturis, de via aque, de via terre, tandem de omnibus rebus quas vel tunc habebat vel erat acquisiturus. Concessit etiam vineam de Gentiliaco annuente uxore que habuit inde XX solidos et vaccam unam, ipse vero XVI libras. Hoc vidit et annuit Samuel de Matefelone et rectitudinem S. Marie de Scripta re-

cognovit, unde dominus erat, datis inde sibi X solidis. Confirmavit autem hoc ipse Hugo in capitulo S. Marie et donum super altare posuit, ipseque in confirmationem constitutionis primus fidem suam plegivit et precepto ejus Mauricius Coerius, Mainardus Bos, Gaufridus de Baracé et Rivallenus et Hubertus de Calvo Monte : tali condicione ut si pater suus reversus terram suam habere vellet donumque suum atque filii abstulerit, si sanctimoniales expectare noluerint suam recuperationem, submoneantur predicti fidejussores et infra XV dies predictam peccuniam sanctimonialibus restituant. Quod si ipse Fulco castrum suum quolibet modo amiserit, etiam si comes ei abstulerit, modo supradicto supradicti submoneantur et pecuniam prefatam restituant. Si autem sanctimoniales Hugonis restitutionem vel recuperationem expectare voluerint, sine peccunia habeant.

Reversus autem Fulco predictus de via Jerosolimitana instinctuque cupiditatis ductus, pium filii decretum mutare voluit. Sed tandem, multis utrobique rationibus consumptis, quia ad hoc ejus festinabat intentio, centum solidos Mansensium centumque solidos Andegavinorum accepit pactumque firmavit, filio annuente uxoreque filii Adeloea filioque filii Teobaudo, qui inde pro concessu tunicam scarlatinam habuit, atque Fulcone qui et ipse XII denarios habuit et filia Helisabeth que et similiter habuit XII denarios. Confessusque est ipse Fulco predictus pater quod, in villa Cepie neque de hominibus S. Marie, aliqua consuetudine pullum unum galline valens accipere poterat, nisi esset publicus mercator publice vendens et publice emens et de illo tantum pedagium; homines namque filii, quamdiu aberat Jerosolimis, pedagium in Cepia posuerant injuste; planoque predicavit sic castrum Matefelon ab antiquis comitibus constitutum suoque patri tali conditione datum ut terram S. Marie contra homines omnes, nulla accepta consuetudine, pro posse defenderet, videntibus et audientibus istis quorum nomina subnotavimus : in primis ipso, deinde Richardo decano, Girardo Andefredi filio, Rainardo Fossardo, Giraldo canonico, Goffrido burgensi, Gauterio Rufo, Marguerio filio Amauguini, Mainone preposito, Mauricio presbitero, Goffrido Bello, Rainaldo cellerario, Barboto nepote Tetberti, Tetburgi abbatissa, Garsimde, Milesendi, Burgundia, Eusebia, Pagano et Fromundo de Bleriaco aliisque multis. *R.* 1, *C.* 74; *R.* 2, *C.* 5; *R.* 4, *C.* 22, 54, 51.

CXXXI. CONCORDIA INTER EOSDEM, DE CONSUETUDINIBUS.

Sapientium mos est ut scripto tradant ea que memoriter volunt retinere. Quapropter scribere proposuimus Hugonem de Matefelon decimas et omnes consuetudines ejusdem oppidi, sive infra oppidum ut de burgensibus, (sive) extra oppidum ut de mercatoribus per viam transeuntibus, decimas etiam et consuetudines omnium adquisitionum suarum Anne de Raés, tunc temporis S. Marie Caritatis elemosinarie, vendidisse cum pater ejus iter Jerosolimitanum ingressus esset. Postea vero pater regressus omnia hec predicta sanctimonialibus calumpniatus est. De hac autem calumpnia tandem ad hanc concordiam pervenerunt quod Milesendis elemosinaria dedit ei CCC solidos et XII solidos pro concessione, et quandam vaccam uxori filii sui. Hujus autem assensus dedit investituram Milesendi elemosinarie cum cirotheca Mauricii Cepie decani. Huic rei testes affuerunt : predictus decanus, Amma comitissa, Milesendis elemosinaria, Guido de Valle, Hardoinus de Baraciaco ejus dapifer, Mainus Bachelot, Barbotus vicarius, Halenodus, Guido de elemosina, Raginaudus Baugé. *R.* 4, *C.* 58.

CXXXII. JUDICIUM HENRICI REGIS, DE BURGO CEPIÆ ET CASTELLARIA MATEFELONIS.

Notum sit omnibus hominibus, tam presentibus quam futuris, quod Hubertus de Campania omnes redditus burgi Cepie et decimam totius castellarie Matefelonis, videlicet de vendis, de pedagiis, de furnis, de molendinis, de omni via tam aque quam terre, sanctimonialibus S. Marie Caritatis vi abstulit diuque injuste tenuit. De qua violenta injuria sibi a prefato Huberto illata, tandem coram Henrico, rege Anglie et comite Andegavorum, querimoniam deposuerunt. Qui earum querimoniam benigne suscipiens, utrisque terminum veniendi in curiam posuit. Auditis itaque utriusque partis rationibus in termino a Henrico rege benignissimo imposito, scilicet die crastino Pasche, XIX° kalendas Maii; cum sanctimoniales decimam prefatam et villicationem burgi Cepie et quicquid supranominatus Hubertus in eo clamabat, scriptis suis et aliis pluribus rationibus, sua justa esse comprobando ostenderent, ipse Hubertus, recognoscens se contra eas prave egisse simulque sanctimonialium juris esse, tam decimam castellarie, ut predictum est, quam villicationem burgi Cepie et

quicquid in eo suum esse dicebat in curia regis, ut id quod suum non erat, dimisit et sanctimonialibus quiete et absolute dereliquit. Isti viderunt et audierunt : Robertus de Sableio, Raginaudus Rufus, Brientius de Martineio, Gosleuus dapifer regis, Hugo de Cleiers, Fulco de Cleiers, Matheus de Baugeio, Chalo prefectus Andegavis, Goffridus de Ramo Forti, Goffridus de Bella Noa, isti erant in curia; ex parte autem Huberti : Philippus de Sauconeio, Pilans Vicinum, Gaufridus Rollant; ex parte sanctimonialium : Horsandis abbatissa, Oitia sacrista, Rustica elemosinaria, Menardus canonicus, Tesso canonicus; Isembertus dapifer tunc temporis abbatisse, Christianus prepositus de Spinat, Gauterius de Redone, Radulfus et plures alii. Hoc factum est tempore quo rex Henricus Nannetas habuit et Toarcium cepit primo Pascha post, anno ab incarnatione domini MCLIX°. *R.* 3, *C.* 31.

CXXXIII. CONVENIENTIA DE LUCO AUNETI ET DE EXCLUSA CEPIÆ.

Fiducia magna erit coram summo Deo, ut quidam sapiens ait, elemosina omnibus qui faciunt eam. Quod Goslenus de Monte Teoberti intelligens, querelam quam contra sanctimoniales beate Dei Genitricis Marie habebat, de parte luci qui vocatur Aunetum et de decima piscationis excluse sue, calumpnia eis ab eo sepe injuste illata, omnino dimisit. Nam cum sanctimoniales, hujusce rei causa, ab eo multis afficerentur injuriis et ille ejus importunitati resistere non formidarent, proclamationem fecerunt domno Hugoni de Matefelone : dicentes se habere testes idoneos et sufficientes omnem rei scientes veritatem. Ex his igitur duo producti in medium, quorum uni nomen Ivo et alteri Galo, parati fuerunt probare, quacunque judiciali diffiniretur sententia, se vidisse elemosinariam, nomine Imbergam, diu fatigatam fuisse a Goffrido de Baracheio. Que, post diuturnam litem, veniens in curia Fulconis de Mathefelone, judicii examinatione convicto Gaufrido, illum lucum vendicavit et in jus redegit ecclesie omni calumpnia ablata. Posito itaque termino ad illorum testimonium recipiendum, infra termini positionem venit Goslenus ad sanctimoniales et quod injuste calumpniabatur liberum et quietum ecclesie concessit. Insuper etiam decimam molendini sui eidem ecclesie contulit : tali pacto ut, post discessum suum et uxoris sue Richildis et filii sui Magnonis, anniversarium eorum in martirologio scriberetur sanctimonialium. Ex his omnibus supradictis, po-

suerunt donum super altare S. Albini de Cepia, videntibus et audientibus istis; ex parte sanctimonialium : Beatrici, Eremburgi, Subran, Goffrido ejusdem ecclesie capellano, Bernardo sacerdote, Britello Meini filio, Guillermo dominarum famulo, Harpan et alii complures. *R*. 4, *C*. 60.

CXXXIV. CONVENIENTIA DE TERRA NOERII.

Mauricius Coerius querebat pastum in terra Noerii. Unde Anna placitavit, et defecit suus testis Rainaldus de Cepia. Ut tamen hec et alie cause inter se remanerent, dedit ei Anna XII solidos coram Goffrido Burzesio, Theberto preposito, Fossardo, Mauritio, Marquerio, Eudone presbitero. *R*. 4, *C*. 37.

CXXXV. PACIFICATIO CALUMNIÆ ROGERII MALI.

Terram quam moniales habebant de feuo Rogerii Mali, militis, calumpniabatur idem Rogerius. Quam calumpniam extinxit Anna elemosinaria, dans ei XII solidos et orationes ecclesie; et ille concessit sine aliqua querela preter censum. Huic rei interfuerunt : Thebertus prepositus, Joffridus Bursezius, Guibertus serviens. *R*. 4, *C*. 49.

CXXXVI. DE EMPTIONIBUS ANNÆ ELEMOSINARIÆ.

Tempore Anne, vendidit Martinus de Cantiniaco S. Marie unum arpentum terre juxta cimiterium Cepie L solidis solutum et quietum, annuente Boveto nepote suo; feceruntque inde donum super altare dominicum S. Marie, videntibus istis : Rainaldo de Brachesac, Fulcoio fratre suo. *R*. 4, *C*. 25.

Anna elemosine domina emit de Normanno filio Joffredi hospitium cum terra et silva ei appendente VI solidis, annuente fratre ejus Johanne et Mauricio Coherio, de cujus feuo erat, et filiabus suis Corindia et Falca, que habuerunt unaqueque sotulares; vidente Mauritio presbitero et Guiberto et Rainaldo de Cepia et Goffrido Nafretenchia et Herveo Grandi et Ascelino. *R*. 4, *C*. 48.

De Radulfo Calvo emit Anna elemosinaria arpentum terre XXII solidis quod ex uxore sua Anna movebat; quod ipsa concessit et tres filii ipsius Lambertus Adelelmus et Fulcoius, qui et plegii fuerunt. Quod factum est coram Mauricio et Haligone presbiteris et Girorio serviente. *R*. 4, *C*. 56.

CXXXVII. DE TERRIS, PRATIS ET VINEIS DATIS APUD CEPIAM.

Galnerius de Matefelon dedit S. Marie unam oscham terre ante Cepiam, pro anima sua et patris sui atque matris, annuente fratre suo Haimerico. Goffridus de Baraceio dimisit S. Marie unum quarterium vinee Burdegalensis ad Fontenellas, annuente uxore sua Richildi. Gauterius carnifex unum quarterium terre ad Roillum, pro anima sua; Stephanus Meschinus unum arpentum terre ad Ligrum, pro anima sua; Goffridus de Cechel unam partem terre in landis, pro anima sua, sine censu et tallia. Juxta illam dedit Richardus Pilatus unum arpentum terre. Rainardus Tortus et uxor ejus Amelina et Petrus Ameline frater dederunt S. Marie, pro animabus suis et antecessorum suorum, medietatem vinearum quas ad Cepiam habebant et medietatem ductus aque absque consuetudine preter censum, coram toto capitulo et Joffrido Burzesio, Stephano et Engelbaudo et aliis multis; Fulcoius mercator duo arpenta et unum quarterium terre ad Ligrum pro anima sua. Juxta quam dedit Adelaidis filia Gauterii Virgiferi unum arpentum terre; Hoellus unum arpentum terre ad Quoquehenic; Guido de Chaumunt suam dominicam decimam pro se et femina et filiis : et quamdiu vixit fuit ipse inde serviens et deinde uxor ejus et filii. *R.* 4, *C.* 39-47.

Mauricius Coherius dedit B. Marie, pro anima uxoris sue Pole et pro sua, pratum de Amardo, dono super altare misso coram abbatissa Teburgi, Anna elemosinaria, Theberto preposito, Goffrido Burzesio, Mauricio decano et aliis; Frogerius Tue Bovem, unum quarterium prati in Insula Brunel; Guibertus armiger unum quarterium prati ad portum de Vernullio; Lambertus et Harduinus dimidium arpentum prati in insula que est ex altera parte aque. *R.* 4, *C.* 50-53.

CXXXVIII. DONUM MODIATIONIS BOVETI.

Rainardus Bovetus habebat unam terre modiationem, de suo sibi emptam, quam B. Mariæ, pro sua sueque uxoris Milesendis anima, condonavit, annuente eadem Milesendi et filio suo Pagano et Salomone, qui et unum pullum habuit et ipse pater VII libras. Hujus rei sunt testes : Mauricius presbiter, Haligonus presbiter, Rainaldus de Cepia, Osmundus serviens et alii. *R.* 4, *C.* 55.

CXXXIX. DE TERRA LAMBERTI PROCURATORIS.

Lambertus, rerum monialium fidelissimus procurator, neptem suam Ysemburgim cum omnibus rebus ex patrimonio sibi evenientibus Goffrido, scilicet Pulcherrimo, conjugali lege copulavit cum terra Cepie. Quando autem jam moreretur, commendata elemosina, Goffrido omnia sua (dimisit) que etiam accepit (per) gagium suum. Mortuo vero Lamberto, ablata sunt Goffrido omnia que illi dimissa fuerant, et hoc vi abbatisse Richildis. Goffridus grave ferens hoc, versus est in iram contra dominas et, guerra multo tempore facta, conciliati sunt in invicem Goffridus et domine, redditis Goffrido rebus omnibus quas versus eas clamaverat; teste Rainaldo Fossardo qui eum de eisdem rebus sesivit. Tenuit ergo Goffridus res suas quietas quantum abbatissa Richildis vixit et post mortem ejus unum annum et per unum diem. Goffridus autem, quia familiaris et utilis erat comitisse, factus est sanctimonialibus in odium : et ea de causa intulerunt ei calumpniam de supradictis rebus. Statutum est placitum, et facto judicio inter utrosque, fecerunt pacem inter se. Tali igitur pacto dimisit Goffridus et uxor sua Ysemburgis sanctimonialibus domum suam et dimidium arpentum vinee, quod erat de lessa eorum, ut uterque eorum ita sepeliretur in die sepulture ac si dimitterent eis XX libras, quanvis nichil haberent. Hoc ergo concessit sanctimonialibus in capitulo sicut dictum est. Ille autem concesserunt ei res suas sine aliquo contradicto, videntibus et audientibus istis : Garnerio archidiacono, Theberto preposito, Rainardo Fossart, Gaufrido Burzesio, Giraldo preposito, Macherio et multis aliis. *R.* 4, *C.* 8.

CXL. DE TERRIS APUD HALEBRANDERIAM ET ULTRA PORTUM CEPIÆ SITIS.

Ruellanus de Emtramis dedit S. Marie Caritatis in elemosina terram de Halebranderia et terram de ultra portum Cepie et dimidium arpennum prati, cum filia sua monachanda, et XII denarios de censu de Hugone de Ponte, ad feriam Andegavinam; et posuit donum super altare ipse et uxor sua Corintha et filius ejus Pelevinus, et hoc concessit Hugo de Mathefelon dominus terre. Hoc vidit et audivit : Goffridus de Entramis et Guidus de Parrena et Guitto de Ponte et Garinus Losdun et Rainaudus et Barbot villicus et Giraldus preposi-

tus et Bovetus et abbatissa, Burgundia et Amelina de Calleto et alie quam plures. *R*. 2, *C*. 59.

CXLI. CONCORDIA DE RIDELLO DE CALIDO MONTE.

Memorie tradere bonum est quod domna Hyldeburgis abbatissa et Guido de Calido Monte fecerunt concordiam cum Gosleno Calvello et cum Raginaldo de Riadello, ut sanctimoniales et Guido supradictus estoparent ridellum. Hec concordia ita facta est ut si alia ridella in toto suo feuo excrescerent, similiter estoparent. Inde vero habuerunt Goslenus Calvellus et Raginaldus ex parte sanctimonialium X solidos ad feriam Andegavinam; reddent sanctimoniales per singulos annos IV denarios de censu. Hujus rei testes sunt : Normannus de Choanneria, Barbotus villicus, Boselinus, Hugo et alii plures. *R*. 2, *C*. 92.

CXLII. DONUM ARPENTI INTER VINEAM ET TERRAM.

Goffridus et Aimericus frater ejus emerunt unum arpentum, inter vineam et terram, de S. Mauritio. Quod Goffridus moriens dimisit fratri suo Aimerico quantum viveret; post vero ejus ex hac (vita) discessum, S. Marie et monialibus inibi Deo servientibus solutum et quietum dimisit : scilicet dimidium illius arpenti ecclesie Cepie, aliud vero sanctimonialibus. Tali itaque pacto habuit Haimericus terram illam et vineam ut nec vendere neque dare alicui posset. Hoc audivit Haligonus presbiter, cui ipse confessus est. Aiemericus autem monachus effectus totum illud quod antea frater suus S. Marie concesserat, illud idem totum solutum et quitum, pro animarum suarum remedio, concessit. Hujus concessionis sunt testes : Mauritius presbiter, Isembardus sutor. *R*. 4, *C*. 30.

CXLIII. CONVENIENTIA INTER MONIALES ET PELEVESIN, PROPTER COLLECTAM.

Notum sit tam presentibus quam posteris quod quedam contentio fuit inter Pelevesin de Matefelon et sanctimoniales B. Marie, tempore Milesendis de Cholet tunc temporis priorisse Cepie. Que contentio diu agitata fuerat, de XII solidis quos reclamabat propter collectam; pro qua collecta ipse cepit quadam die boves earum et tenuit eos captos per totam edogmadam, nec volebat de illis plegium accipere. De hac contentione ad concordiam venerunt Pelevesin et Milesendis

de Cholet hoc modo quod domnus Pelevesin dedit et concessit Deo et S. Marie et sanctimonialibus VII solidos de XII solidis de quibus fuerat contentio; et tali pacto quod sanctimoniales redderent V solidos de collecta quando ipse faceret eam. De hoc dono seisivit cum cultello Milesendem de Cholet priorissam et sanctimoniales super altare B. Marie Cepie. Hoc concesserunt filii ejus Ruallanus et Gaufridus; inde habuit Pelevesim XX solidos de caritate. Huic rei interfuerunt: Herbertus Poleni, Radulfus sacerdos, Canu preses, Herveus de Corzeio et Matheus frater ejus, Jobertus Pienvin, Raginaldus Balempam, Raginaldus faber et plures alii. *R*. 4, *C*. 55.

CXLIV. CONVENIENTIA INTER EASDEM ET HERBERTUM POLEIN, DE COLLECTA.

Notum sit omnibus, tam posteris quam presentibus, quod quedam contentio diu fuit agitata inter Milesendem de Cholet, priorissam Cepie, et Herbertum Polein, de collecta quam interrogabat sanctimonialibus Cepie pro rebus illis quas sanctimoniales habent in feodo suo; de quibus interrogabat IX solidos de collecta. Sed sciendum est quod venerunt ad concordiam hoc modo quod Herbertus Polein annuit et concessit sanctimonialibus B. Marie quiete illa que sanctimoniales habent in feodo suo; excepto hoc quod sanctimoniales reddant tantummodo III solidos de collecta, quando collecta fuerit; unde ipse habuit XX solidos de caritate. Huic rei interfuerunt: Milesendis de Cholet tunc priorissa, que hoc acquisivit, et Enes de Tefauges et Heremburgis de Brachesac et Radulfus sacerdos Cepie et Herveus de Corzé et Chenu frater ejus. Insuper ipse Herbertus Polein et Milesendis de Cholet priorissa de hujusmodi re quadam die in palatio episcopi Andegavensis convenerunt, et ibi seisivit et concessit hoc donum Deo et B. Marie et priorisse; vidente Gaufrido episcopo, vidente etiam abbatissa quo tempore hoc factum fuit, et tempore Milesendis de Cholet que hoc donum acquisivit, et vidente Milesende de Chimilleio, Guillermo canonico, magistro Guidone canonico, Tesono canonico, Roberto famulo elemosinarie et alii plures. *R*. 4, *C*. 56.

CXLV. DE CENSIVA MATHEI CHEREL.

Notum sit tam futuris quam presentibus quod quedam contentio surrexit inter Matheum Cherel et sanctimoniales S. Marie de Cepia, de censiva quam sanctimoniales sibi reddebant, donec ad pacem ve-

nerunt hoc modo quod sanctimoniales redderent per annum II denarios Matheo Cherel et taliam domino feodi quando surrexerit. Unde Milesendis de Cholet dedit V solidos Matheo Cherel, et ipse posuit et concessit donum super altare S. Albini. Hoc factum fuit ante Hisabellam de Matefelon et ante Pelevesin, qui dominus est feodi. Huic rei interfuerunt : Radulfus sacerdos, Herveus de Corzeio, Herbertus Polein, Gofer, Chenu preses dominarum, Raginaldus Balempen, Garinus Folliennen, Robertus corduaner et plures alii. *R.* 4, *C.* 56, *bis*.

CXLVI. DE TERRA QUÆ EST AD CRUCEM CEPIÆ.

Res scripta memorale est et diuturnum et non inutile. Notum sit igitur tam futuris quam presentibus quod Guillermus de Blazon dedit Deo et S. Marie de Caritate et elemosine terram que est ad crucem Cepie, juxta viam, unde habuit de caritate CCC solidos et quislibet ejus infans XII denarios; et ita omnino sanctimonialibus concessit ipse et infantes ejus, pro redemptione animarum suarum et antecessorum suorum, istis videntibus et audientibus : Emma de Lavalle tunc temporis abbatissa, Moicia secrestaria, Milesende de Cholet tunc temporis priorissa Cepie, Isabel celleraria, Albina cameraria, Hamelina de Mauritania et multis aliis, Isemberto tunc siniscallo, magistro Menardo, Tesun, Guillermo de Messuncellis, Secardo segrestario, Jodoino de Doé, Johanne fratre ejus, Filipello Pelerin ; de hominibus de Cepia : Canu preside Cepie, Raginaldo Balempeu, Roberto Pienvin, Johanne mediatore, Herveo Mal; anno ab incarnatione domini MCLXIV°. *R.* 4, *C.* 57.

CXLVII. DE PASNAGIO HOMINUM CURIÆ CEPIÆ.

Noverit posteritas filiorum Ade quod Goffridus de Durestallo pasnagium ab hominibus de curia Cepie exigebat; sed postea, facta concordia cum Milesende elemosinaria, dedit S. Marie solidum et quietum, tum pro patris sui et pro anima sui avunculi Huberti de Durestallo, tum pro LXX solidis quos Milesendis elemosinaria pro concessione ei contulit. Huic rei testes affuerunt : predictus Goffridus, Paganus de Trobata, Hamelinus, Gervasius. *R.* 4, *C.* 59.

CXLVIII. DE ERNULFO DE CEPIA ET DE FILIIS SUIS APUD ELEMOSINAM RECEPTIS.

Ernulfus fuit quidam homo de Cepia et ad paupertatem venit. Et

ea paupertate, venit ad Theodosiam elemosinariam et ad Adrianum famulum elemosine et petivit ut se ipsum et duos filios inter elemosinam mitterent et inde curarent eos, et propriam linqueret elemosine terram unam quam habebat; et factum est ita et filii ejus annuerunt ante mortem patris et post mortem. Et hoc donum annuit Garinus Pelevesinus, de cujus casamento erat illa terra, et Eudo de Blazone dominus Garini; necnun annuit terram Lande et tractum sagene ad portum S. Albini Cepie, et hoc annuit ante altare S. Marie et donum misit super altare, teste capitulo. *R.* 6, *C.* 8.

CXLIX. DE TERRA DATA AD CIMITERIUM CEPIÆ FACIENDUM.

Rainaldus et Drocus frater ejus et alius frater eorum donaverunt S. Marie modicum terræ, juxta ecclesiam Cepie, ad faciendum cimiterium. Monialibus vero in terra domos facientibus, calumpniaverunt illi terram. Tamen precibus Anne leniti, donatis eis X solidis, concesserunt terram monialibus ad faciendum de ea quicquid vellent et eis placeret; feceruntque fratres donum inde super altare S. Marie, videntibus istis : Rainaldo de Brachesac, Fulcoio fratre suo. *R.* 4, *C.* 16.

CL. DE CIMITERIO APUD CEPIAM CONSTRUENDO.

Scribere proposuimus quod dominus Blazonis, nomine Tebaudus, pro remedio anime sue antecessorumque suorum, dedit ecclesie S. Albini et sanctimonialibus, ad cimiterium construendum, dominatum et vicariam cujusdam terre que est sita juxta torrentem qui nuncupatur Vicinus quia burgo Cepiensi proximus est. Hoc autem factum est in domo Goffridi Cepiensis ecclesie sacerdotis, data investitura cum quodam baculo Hersemdi sanctimoniali et ipsi Goffrido sacerdoti. Affuerunt hujus rei testes : Tebaudus de Blazone, Gano Hartes, Goslenus de Monte Toberti, Goffredus de Entremis, Goffredus Popinel, Benedictus de Baugé, Hubertus de Calvo Monte, Petrus de Gastinis aliique complures.

Aliquantulo vero temporis elapso, venit ipse Teobaudus in capitulum S. Mauricii, et donum predictum in manu Ulgerii episcopi misit; testibus istis : Radulfo archipresbitero, Goffrido sacerdote. Tandem vero veniens in claustro S. Marie, facta peticione suppliciter beneficiorum et orationum earum, quod petiit impetravit. Postea prefatum donum, ut firmum teneretur, super altare dominicum cum quodam

baculo posuit, testibus istis : Roscelino vicecomite, Raginaldo de Monte Goherii; de parte sanctimonialium : Harpino, Garino pellipario, Gaufrido minutore aliisque compluribus. *R.* 1, *C.* 71.

CLI. BENEDICTIO EJUSDEM CIMITERII.

MCXXXVII° anno ab incarnatione domini, venit pontifex Andegavensis ecclesie ad monasterium S. Albini quod est Cepie, et ibi honorifice susceptus missarum sollempnia celebravit. Quod dum ageret, rogatus est a sanctimonialibus et a presbitero ipsius ecclesie Simone ut cimiterium cresceret et benediceret ; quod ipse benigne annuit. Gaufridus vero Popinella impie calumpniatus est. Postea vero Deo auxiliante concessit; et sic benedictio facta est, Eremburge priore agente curam elemosine. *R.* 1, *C.* 68.

CLII. CONVENIENTIÆ DE MOLENDINO CEPIÆ.

Goffredus Raslus dedit S. Marie Caritatis decimam molendini de Cepia, pro remedio anime sue ac parentum suorum, concedente uxore sua Richildi et filio suo Hectore. Cujus rei testes sunt : Goffridus Rorgonis filius, Hamo Guichardus, Thebertus Fulconis, Galterius. *R.* 1, *C.* 51.

Goffridus Raslus, Jerosolimam iturus in proximo, habuit pro decima molendini XL solidos et unam tuaculam operatam et uxor illius unum velusiolum. Quando vero de ea via regressus est, non multo tempore post iratus est cum domna Anna, et querebat ut et domine in emptione molarum participarentur prout in decimatione recipiebant. Quod quia facere noluerunt, sesivit sibi molendinum. At post in curiam abbatisse veniens, judicavit ei curia quod male egerat et vadiavit abbatisse sesinam; unde moniales habuerunt unam minam emendationis. Quod audierunt : Fulco de Mathefelon, Tebertus prepositus, Malquerius Almalguini, Rainardus Fossardus, Meno, Gauterius Cornutus, Mauricius presbiter, Joffridus Burzesius, Guibertus serviens qui emendationem accepit, et alii quam plures. *R.* 1, *C.* 55.

Renildis clamabat servitium molendini Cepie in patrimonio; quod conquisivit Anna judicio abbatisse, coram Fulcone de Matefelon, qui cum Bernildi venerat, et Mauritio presbitero et aliis. *R.* 1, *C.* 58.

CLIII. CONCESSIO MOLENDINI CEPIÆ.

Quoniam etas atque memoria mortalium semper transeunt et nunquam redeunt, previdit antiqua majorum sollertia et instituit litteris mandare quod in longum reservaret. Sciendum est igitur tam posteris quam presentibus quod commune capitulum S. Marie Caritatis concessit Scemazol et heredibus ejus Helenoque molendinario et suis quicquid Lambertus molendinarius habebat in molendino Cepie. Eapropter, gratia rei, commune capitulum habuit C solidos et Isembertus siniscallus XX solidos, tempore Emme de Lavalle tunc temporis abbatisse S. Marie Karitatis, istis videntibus et audientibus : Emma tunc abbatissa, Isiberto siniscallo, Laurentio de Leum, Isabel celeraria, Moitia secrestaria, Milesendi de Chimilleio et aliis pluribus; anno ab incarnatione domini MCLXIII°. *R*. 5, *C*. 42.

CLIV. DE MOLENDINO ET PISCATURA DE SEPTENNIS.

Goffridus de Gastinis dedit S. Marie decimam molendini et piscature de Septennis, pro remedio peccatorum suorum, annuente sua aia; accipiens tamen per caritatem XXX solidos. Hujus rei testes sunt : Fulcoius Ruffus, Garinus de Bremo, Garinus marescallus. *R*. 4, *C*. 32.

CLV. CARTA HYLARII COHER, DE NOVO MOLENDINO DE SEPTENE DEU LER.

Sciant omnes quod ego Hylarius Coher do Deo et B. Marie decimam molendini novi de Septene deu Ler; nam moniales habebant de veteri molendino : nunc autem de ambobus (habent). Hoc donum concessit filius meus et uxor mea Hisabel, ea conditione ut me et heredes meos et antecessores meos in beneficiis ecclesie reciperent. Recepi autem ab eis L solidos quos, pro gratia sua, dedit michi abbatissa et ejus siniscallus. Huic rei interfuerunt : Hylarius Coher, Johannes de Baracé, Johannes de Molendinis, Canutus de Ceche, Johannes mediator, Emma abbatissa, Emmelina de Mauritania, Aanor decana, Richardus tunc siniscallus, magister Ruellanus, Talebotus sacrista. *R*. 6, *C*. 62.

CLVI. DE CALUMNIA MORANDI IN FURNO CEPIÆ.

Scribendo notum facimus tam futuris quam presentibus quod

Morandus de Cepia illud quod in furno Cepie habiturum clamabat in curiam B. Marie dereliquit et ab illo juditium attendere noluit. De quo sunt testes illi qui in scripto Ogerii sunt nominati. *R*. 2, *C*. 70.

CLVII. CALUMNIA NORMANDI DE EODEM FURNO.

Pateat communi omnium, tam presentium quam futurorum, intellectui quod ita contigit quondam quod sanctimoniales S. Marie concesserunt fornageriam de furno Cepie cuidam homini, nomine Normando, quem boni testimonii preceperant, non ad vitam suam nec ad heredes suos. Qui cum ibi per multum temporis moratus esset, voluit disserere fornageriam ad vitam suam et ad heredes suos in feodum; et dicebat adhuc eam habere a capitulo S. Marie et quod quedam abbatissa et capitulum S. Marie sibi et heredibus suis in feodum concesserant. Quod audiens Milesendis de Cholet, tunc temporis elemosinaria et priorissa Cepie, dixit hoc falsum esse et eum deseisivit de fornageria. Quod cum factum esset, venerunt simul Milesendis de Cholet priorissa Cepie et ipse Normandus in curiam S. Marie Andegavis. Tunc venit et concessit sub testimonio capituli. Tunc venerunt omnes sanctimoniales simul in capitulum et omnis curia, et audierunt capitulum loquens hoc falsum esse et quod nec ad vitam suam nec ad heredes suos concesserant; et ita amisit et (in) manu priorisse Cepie fornageria remansit, anno ab incarnatione domini MCLXIV°. Hoc factum fuit tempore Emme de Lavalle abbatisse S. Marie. Cujus rei testes sunt multi qui viderunt et audierunt : ipsa Milesendis de Cholet priorissa Cepie tunc, Moicia secrestaria, Milesendis de Camiliaco, Isabel Caocina cellararia, Albina cameraria, Emmelina de Mauritania, Guiburgis subelemosinaria, magister Guido canonicus, Tessonus, Guillermus de Messunculis, Isembertus senescallus S. Marie, Laurencius de Leone preses S. Marie, Letardus de Supra Pontem, Guillermus villicarius, Guillermus Emens Asinum, Paganus Singia, Guillermus Non Bibens Vinum, Petrus Fergam, Chaperun, Paganus Grein et frater suus Johannes, David de Castro Brientii et plures alii. *R*. 2, *C*. 36.

CLVIII. DONUM DECIMÆ ET TERRAGII DE MARCÉ.

Notum sit quod ego Garinus de Eschiné, dono decimam meam totam et terragium de parrochia de Marcé, Deo et B. Marie in perpetuum habendam, et III qualteria terre ad crucem in capite cymite-

rii. Do autem hec pro filia Hysabel monachanda, hac conditione ut hec omnia heres meus et ego quousque vivam ab omni consuetudine dominorum feodi absolvam; preter hoc (quod) si, cum gratia dominorum feodi, dare ista non possum, equivalentia pro his commutabo. His autem inessivi B. Mariam super altare cum textu quodam, pariter et uxor mea et filius meus Johannes et alii infantes mei. Huic dono interfuerunt : Hylarius Coher, Johannes de Baracé, Johannes de Molendinis, Canutus de Chece, Johannes mediator, Emma abbatissa, Emmelina de Mauritania, Aanor decana, Richardus tunc siniscallus, magister Ruellanus, Talebotus sacrista. *R.* 6, *C.* 61.

CLIX. DE VIARIA QUAM NICHOLAUS CHOER ET HÆREDES SUI RECLAMABANT IN FEODO CEPIÆ.

Notum sit quod Nicholaus Choer contencionem habuit cum sanctimonialibus B. Marie Andegavensis super viaria quam in feodo earum apud Ceche, citra Lirum et ultra, se dicebat habere. Cognita vero veritate per se et per aliorum persuasionem, cognovit et dixit se in earum feodo nichil habere; presentibus testibus : Herberto Pole, Peileveisin, Gaufrido Popinele, Willermo de Mosteriolo, Gervasio de Baracé et Hilario filio ejusdem Nicholai et Richeldi uxore ejusdem et pluribus aliis.

Notum sit quod Nicholaus Choer contencionem habuit cum sanctimonialibus B. Marie Andegavensis, sicut et pater suus contencionem habuerat, super viaria quam in feodo earum apud Ceche, citra Lirum et ultra, se dicebat habere. Postmodum vero, ad se reversus et memor verbi quod dixerat pater suus, scilicet quod dixerat quod in earum feodo nichil habebat, et cognita per se et per alios veritate, in ecclesia B. Marie Andegavensis dixit et abrenunciavit quod nichil habebat in earum feodo; presentibus istis : Juiquello sacerdote et canonico ejusdem loci, Thoma canonico et sacerdote, magistro Rogero canonico et sacerdote ejusdem loci, Hugone Anquetin, Johanne Grani, Matheo Grani, Robino Chalopin.

Presentibus Emma abbatissa tunc temporis, Amelina sacrista, Aenor decana, Hersent elemosinaria, Amelina de Loreor, Emme de Bercerio, Bona Domina : coram his omnibus istis tam clericis quam laicis et sanctimonialibus, concessit se ratum habiturum quod fecerat pater suus Hilarius et dixerat Mauricius filius ejusdem Hilarii; et contencionem super altare B. Marie dimisit sicut et pater suus dimi-

serat. Eodem die Hilarius Coer et Elisabeth uxor ejus, pietatis intuitu, dederunt domum sanctimonialibus de Ceche (et) decimam in parte molendinarii; et dedit eis Hersendis tunc priorissa duos sextarios sigali. Hoc concessit Martinus filius Hilarii, testibus : Johanne sacerdote, Johanne monerio, Gaufrido Capel, Willermo Chapel, Gaufrido Le Mal, Radulfo de Dainet, Petro clerico (et) pluribus aliis. *R.* 5, *Appendix*.

DE CHAMAZEIO.

CLX. DE CASTELLARI QUOD DEDIT JAQUELINUS DE CHAMAZIACO.

Post mortem Odonis de Chamaziaco filiique sui Roberti, Jaquelinus, filius ipsius junior Odonis, successit paterne hereditati. Qui accipiens beneficium et societatem hujus loci, quiete concessit sanctimonialibus quod tunc temporis sub manu sua tenebant, et addidit eis castellare quoddam, pro remedio animarum parentum suorum, super altare dominicum donum ponens; teste Gaufrido Puslardo qui cum eo venerat. Hic etiam Gaufridus, eadem die, (dedit) S. Marie quod habebat in predicto castellari; testibus : Roberto preposito, qui Malescallus cognominatur, Giraldo Calvello, Hugone canonico, Adelelmo canonico, Gauterio canonico, Gauterio Ruffo, Gilbaldo nepote prepositi, Rainaldo rustico. *R.* 1, *C.* 58.

CLXI. DIMISSIO PARTIS VINAGII DE CHAMAZEIO.

Scribendo notum facimus presentibus et futuris fidelibus quod sanctimoniales ecclesie B. Marie de Caritate vineas ad Chamazeium habebant de quibus Roberto de Chamazeio atque Guillermo de Moleriis duos modios et dimidium vini de vinagio illis reddebant; quapropter vineas illas incultas dimiserant. Sanctimoniales vero Robertum atque Guillermum tantummodo deprecaverunt ut, pro Dei amore et animabus amicorum suorum, costumam illam ad unum modium vini supplicare facerent; et pro dono et concessione ista sanctimoniales XVII solidos numorum illis dederunt. Ipsi a bono opere et misericordia repleti, cum baculo uno donum super altare B. Marie posuerunt; et isti testes affuerunt : Orsandis abbatissa, Au-

deardis cellaria, Oiscia sacrista, Thephauia decana, Guido canonicus, Tesso canonicus, Engeneldus capellanus, Isembertus dapifer, Laurentius vicarius, Garinus de Turono, Buto coqus; ex illorum parte : ipse Robertus, Guillermus de Moleriis, Jaquelinus de Chamazé, Petrus de Molendino, Petrus de Moncuchun, Foquerandus de Ducto Salvatico, Gervasius de Bruslonio, Josbertus de Sancé, Aalardus de Sesona, Andreas de Burgo Russello et complures. *R*. 2, *C*. 66.

CLXII. RESTITUTIO VILLICARIÆ DE CHAMAZEIO ET MEDIATORIÆ DE VILLA SORIZ.

Pateat universis quod, tempore Emme abbatisse (S. Marie) Andegavensis, quedam contentio orta est inter sanctimoniales S. Marie et Lucam de Chamazeio super villicariam de hominibus S. Marie de Chamatheio, quam villicariam asserebat suam esse, et super servitio quod interrogabat super mediatoriam de Villa Soriz. Et propter hanc contentionem et quoniam servitium de mediatoria nequibat habere ad libitum suum nec debebat habere, predavit mediatoriam de Villa Soriz; que preda et forisfactum quod fecit in terra illa bene valebat XXX libras. Hec contentio agitata fuit donec ante presentiam Stephani de Marceio, senescalli regis Anglie, venit; et ad concordiam fuit revocata hoc modo quod Lucas de Chamatheio, propter forisfactum quod fecerat sanctimonialibus et ut in orationibus abbatie participaret, guerpivit coram omnibus in curia villicariam quam in hominibus de Chamatheio interrogabat et omne servitium quod in mediatoria de Villa Soriz reclamabat. Ita juste et integre guerpivit quod nullum servitium ibi retinuit : nec taliam, nec foragium, nec fenum, nec avenam nec aliud aliquid. Huic rei interfuerunt multi videntes et audientes : Stephanus siniscallus regis Anglie, Raginaldus de Vo, Raginaldus de Castro Gunterii, Bertolot de Castro Gunterii, Gaufridus de Bannis, Gaufridus Melium, Guido de S. Laurentio, magister Ruellanus canonicus, Tesonus canonicus, Herbertus canonicus, Talebotus sacrista, Paganus de Valle, Raginaldus Soven, Symon. De monialibus audierunt et viderunt : Emma abbatissa, Amelina de Mauritania, Odiva decana, Hersendis de Sabolio, Mathea, Ada et plures alie. Et ut ratum et firmum in antea haberetur, sigillo S. Marie munitum fuit et signatum, anno ab incarnatione domini MCLXIX°. *R*. 6, *C*. 42.

CLXIII. CARTA STEPHANI DE MARCEIO, SENESCALLI ANDEGAVENSIS, DE EADEM RESTITUTIONE.

Stephanus senescallus regis Anglie, omnibus ad quos (presentes) littere pervenerint, salutem. Pateat discretioni vestre quod quedam contentio diu agitata est inter sanctimoniales B. Marie Andegavis et Lucam de Chamazeio, super vicariam de hominibus S. Marie de Chamazeio et super servitium quod reclamabat super mediatoriam de Villa Sorit. Hec contentio diu agitata ante presentiam meam ad concordiam revocata est hoc modo quod : predictus Lucas, tam pro forisfacto quod intulerat eis quam ut orationibus earum semper participaret, ante presentiam meam villicariam et servitium quod in predicta mediatoria reclamabat ita omnino et integre dereliquit in pace quod nullum servitium ibi retinuit. Huic rei interfuernnt isti : Stephanus senescallus, Hugo Galler, Angerus abbas S. Sergii, Guillermus Rollandi, Rainaudus de Voo, Rainaldus de Castro Gunterii, Paganus Grani, Herbertus de Lavaorr. Quod ut ratum et firmum in antea perseveret, sigilli nostri attestatione corroboravimus. *R*. 6, *C*. 47.

DE CORNILIACO.

CLXIV. DONUM CORNILIACI A ROBERTO BURGUNDIO ET BLANCHA EJUS UXORE.

Nec hoc quidem pretereundum est qualiter, in tempore comitis Gaufridi Minoris nepotis alterius Gaufridi, per ejus concessum et per concessum fratris sui Fulconis, Robertus Burgundius et uxor ejus Blancha, annuentibus filiis eorum et filia, dederunt Deo et S. Marie Caritatis ac sanctimonialibus illius loci frequentantibus quandam villam, Corniliacum nomine, pro redemptione animarum suarum parentumque suorum, et cum omnibus illi ville pertinentibus, scilicet presbiteratu et tota sepultura et tota decima parrochie, et unam aream domi ad habitandum sibi et alteram aream horrei in quocunque loco elegissent sanctimoniales in ipsius terra. Quapropter dederunt sanctimoniales ipsi Roberto L libras denariorum de Cenomannensibus denariis. Dederunt autem et femine ejus pondus XXX solidos

denariorum de mero argento; et tali pacto ut cifus, qui inde faciendus erat, rediret ad S. Mariam post ejus mortem, pro redemptione anime ipsius; teste Fulcone vicario, teste Goscelino, teste Johanne. *R.* 3, *C.* 42.

CLXV. DE DECIMA QUAM DEDIT GUIDO DE CALIDO MONTE.

Notum esse volumus tam futuris quam presentibus quod Guido de Calido Monte, ob anime sue et filiorum ac filiarum nec non et parentum suorum remedium, post alia que S. Marie in elemosina dederat, gratis dedit, ad victum sanctimonialium, totam decimam illius mansure terre quam apud Corniliacum emerat et de domno Roberto Burgundione tenebat: ita tamen ut, post obitus sui diem, in martirologio scripberetur et in perpetuum sibi ecclesie beneficium impenderetur. Ut autem hec donatio firmius certiusque teneretur, ipse Guido filium suum majorem, nomine Hubertum, atque uxorem suam et filiam, III° idus Martii, in capitulum S. Marie adduxit: ibique ecclesie beneficium, sicut mos est, omnes receperunt. Postea vero ipse pater et filius cum cultello, uxor autem et filia singule cum singulo denario, ejusdem rei donum super S. Marie altare imposuerunt. *R.* 3, *C.* 89 *bis*; *R.* 5, *C.* 40.

CLXVI. DE DECIMA QUAM RESTITUIT ACHARDUS DE CORNILIACO.

Quoniam mens humana, vel per incuriam vel negligentiam, solet tradere multa oblivioni, huic cartule commendare voluimus, ut in memoria firmius teneretur, quod Achardus de Corniliaco concessit monialibus S. Marie quandam decimam quam diu injuste tenuerat, et ipse revestivit abbatissam prius in capitulo, videntibus monialibus omnibus que ibi aderant; et postea confirmaverunt hanc concessionem ipse et Juliana uxor sua et Gervasius eorum filius ponendo illud super altare cum baculo, et iterum ipsi revestierunt abbatissam. Hoc vidit Giraldus canonicus, Rainerius canonicus, Garinus de Bren, Stephanus cellerarius, Babinus, Richardus et filia eorum (que) prius concesserat apud Corniliacum, in presentia Eusebie et sacerdotum Gosberti et Bernerii et Barboti prefecti. Pro concessione supradicta habuit Achardus XX solidos. *R.* 5, *C.* 93.

CLXVII. DE DECIMA QUAM CALUMNIABAT SACERDOS DE CORNILIACO.

Presentium posterorumque memorie notatum relinquimus quod

Gosbertus presbiter de Corniliaco, cum rebus de presbiterio quas a sanctimonialibus S. Marie Caritatis tenebat, quandam decimam ab eisdem in vita sua, ad servitium X solidorum per annum, obtinebat. Quam cum ad jus sacerdotii inflectere vellet, causa in curia episcopi Andegavensis pertractata, tandem recognovit jus S. Marie : illamque decimam non ad sacerdotium sed ad capitulum pertinere eamque se a sanctimonialibus et a capitulo sic in vita sua habere, X solidos reddendo, ut nullus subsequentium sacerdotum in ea aliquid possit clamare. Actum Andegavis in curia Raginaldi Junioris Andegavensis episcopi, videntibus istis : ipso Raginaldo, Garnerio archidiacono, Guillermo archidiacono, Huberto archidiacono, Guillermo Musca, Stephano cantore, abbatissa Theburgi, Milesendi cellaria, Burello homine episcopi, Rainerio fratre suo, Engelbaldo villano, Gauterio Cornuto, Giraldo canonico, Raginaldo Fossardo aliisque multis, plena curia. *R.* 5, *C.* 100.

CLXVIII. CONCORDIA INTER MONIALES ET HENRICUM CREDONENSEM DE CORNILIÀCO ET MALO CAMPO.

Memorie omnium hominum et maxime de negotiis ecclesie curantium in promptu habere volumus quod Henricus Credonensis, post obitum Mauricii fratris sui, calumpniavit monialibus S. Marie de Caritate quoddam beneficium quod antecessores sui eis in elemosina dederant, pro animabus et pro peccatis suis redimendis : scilicet illud quod habebant apud Corniliacum et apud Malum Campum. Unde venerunt ad finem et ad concordiam in presentia domni Raginaldi Andegavensis episcopi; et clamavit illam calumpniam quietam et benigne concessit eis supradictam calumpniam et quicquid tenebant ab antecessoribus suis, et inde revestivit ipsum episcopum in talamo suo cum anulo pontificali. Hoc vidit Guillermus, tunc temporis decanus et archidiaconus, et Stephanus cantor et archidiaconus, et Rollandus et Hugo filius Otoer ex parte Hainrici. Inde venit ad ecclesiam B. Marie, et confirmavit illam concessionem super altare et inde revestivit Tetburgim abbatissam cum baculo, videntibus istis quorum nomina hic scripta sunt : Guiberto canonico, Rainerio canonico, Hylario, Giraldo, Rollando, Goffrido Jordani. De hominibus S. Marie affuerunt isti : Bernardus Angerii tunc prefectus, Barbotus villicus, Engelbaudus villanus, Robertus de Juinniaco, Garnerius Gastel, Goffridus Bel-

lus, Babinus et alii plures. Guitto et Elnulfus Nivernis et Hainricus habuit C solidos pro concessione. *R*. 5, *C*. 92.

CLXIX. DE DIMIDIO FEODO SIMONIS DE TURRICULO APUD MAZEIUM.

Nemo dubitat quod hominum memoria, labilis et fluxa, cito transit et labitur, et ideo pertinaci scripturarum notatione ea que agimus disposuimus retinere. Volumus itaque posteris nostris non latere quod Simon de Turriculo dedit Deo et S. Marie Caritatis, pro matre sua monachanda, dimidium feodum quod tenebat de Pagano Villico apud Mazeium solide et quiete : ita quod illa pars de feodo quam retinebat omnino serviret partem illam quam ipse dabat. Hoc concessit Paganus Villicus, dominus feodi, et posuit donum super altare et ibi recepit beneficium ecclesie. Quod viderunt et audierunt isti : Mabilia abbatissa, Verzelina, Burgundia, Abelina, Eusebia, Hildeburgis, Johanna, Mainerius canonicus, Radulfus sacristarius, Marquerius tunc prefectus, Guitto de Ponte, Meno Bacheloth, Garinus Losduni, Hanelotus, David de Castro Brientii, Barbotus villicus, Robertus de Juigniaco, Raaudus et alii plures. *R*. 2, *C*. 88.

DE CURTE PETRÆ, RUPEFORTI ET S. LAMBERTO.

CLXX. CARTA TETBALDI COMITIS, DE DONO CURTIS PETRE.

Cum divina pietas cotidie nos admonet dicens : *date elemosinam et ecce omnia munda fiunt vobis*, oportet nos, eternam salutem tractantes, misericordie operibus instare et de terrestribus bonis, que gratuita Dei pietate proveniunt, locis Deo sacratis esse munificos ; ne nos omnino tantis beneficiis constet esse ingratos. Igitur, in nomine Dei summi, ego quidem Thetbaldus comes notum esse volo sancte Dei ecclesie fidelibus quoniam (præsentiam meam) adiit Hildegardis, Andegavensium comitissa, humiliter deprecans uti quandam curiam juris mei, que nominatur Curia Petre, sitam in ipso pago Andegavo e regione territorii Pictavensis, super flumen Ligerim, Deo et S. Marie concederem ; videlicet in utilitatem et possessionem monasterii quod ipsa, prope civitatem Andecavam, trans flumen Meduane, instauratum, ad cenobium sanctimonialium feminarum

provexerat. Quod quidem feci, ad commonitionem saluberrimam genitricis mee dilecte Amengardis comitisse, per assensum et voluntatem fratris mei Stephani, intuitu pietatis et spe retributionis eterne, ob remedium et redemptionem anime bone memorie genitoris mei Odonis comitis paulo in publico prelio a Lothariensibus, in confinio Francie, interfecti, et reliquorum parentum meorum. Concedo itaque et perpetualiter trado atque, de jure meo, in jus predicti monasterii B. Marie transfundo, ad usus necessarios ancillarum Dei inibi degentium, predictam Curiam Petre cum omni integritate sua, terris cultis et incultis, silvis, pratis, vineis, aquis aquarumque decursibus, mancipiis utriusque sexus ac utilitatibus universis totum et ad integrum, quicquid in ea ad beneficium patris mei juste pertinuisse probatur : ita ut ab hodierna die et deinceps memoratam curiam congregatio predicti cenobii (possideat et quicquid) ad utilitatem monasterii decreverit, liberam habeat potestatem faciendi, nemine contradicente nulloque unquam successorum vel parentum meorum inquietudinem faciente. *R.* 1, *C.* 8; *R.* 1, *C.* 10.

CLXXI. DE IMMUNITATIBUS DE EJUSDEM CURTIS.

Venerabilis comes Fulco et Hyldegardis comitissa dederunt Deo et S. Marie Caritatis in Curte Petre bidanicum universum et vicariam solidam et quietam de hominibus propriis et in domibus suis; et dederunt ut omnis possessio earum libera et quieta esset ab omni laïca infestatione et ulla potestas in rebus earum aliqua presumptione non auderet manum apponere. Hoc factum est in presentia domni Huberti episcopi, Hugonis Manselli et pluribus. *R.* 1, *C.* 33.

CLXXII. DONUM PARTIS ALBERICI CAINONENSIS IN EADEM CURTE.

Domna Hildegardis, devota Dei operibus comitissa, postea quam Curtem que dicitur Petre a Tetbaldo comite, in possessionem monasterii B. Marie, comparaverat, emit item a Thoma Vasvassore, filio Alberici Cainonensis, atque a fratre ejus Gerorio totum quod in eadem curte pater illorum in feuum tenuerat et ad eorum jus per hereditatem devenerat. Pro qua emptione susceperunt a religiosa Dei ancilla Hyldegarde comitissa DCC nummorum solidos. Et facta conventione ista in presentia comitis Goffridi, donationem illius rei super altare S. Marie fecerunt, sicque participationem ambo susceperunt beneficiorum et orationum monasterii, videntibus testibus

istis : Fulchardo de Rupe Forte, Hugone buticulario, Hugone Normanno, Hugone Mansello, Hugone Manducante Britannos, Goffrido filio Fulchardi, Goffrido filio Bernonis; item clericalis ordinis personis : Marcoino diacono, Primaldo decano, Radulpho presbitero. *R.* 1, *C.* 24.

CLXXIII. ITEM DONUM PARTIS HUBERTI DE POCIACO.

Simili modo religiosa atque piissima comitissarum domna Hildegardis, quam scilicet, ut credimus et in rebus manifestum est, omnium conditor Deus a Lothariensium partibus, de regali progenie ortam, in hos occidentales terrarum fines ad restaurationem destitutarum olim ecclesiarum perduxit, comparavit, ad usus sanctimonialium B. Marie, a filiis Huberti de Pociaco, Goffrido et Gelduino, quicquid in predicta Curte Petre tenebant; deditque ipsis pro comparatione D denariorum solidos, quos illi confestim expenderunt in matrimonium sororis sue Berte, et feuum illud ante comitem Goffridum guurpierunt atque in jus gloriose Dei genitricis et possessionem perpetuam transfuderunt. *R.* 1, *C.* 25.

CLXXIV. CONCESSIO PARTIS SUPRADICTI ALBERICI A GILLEBERTO EQUITE.

Gillebertus eques, nepos Alberici Cainonensis, calumpniam moverat adversus sanctimoniales B. Marie de terra quam tenuerat ipse jure beneficiali in Curia Petre. Nec solum illam quam ibi habuerat ipse calumpniabatur, sed etiam illam totam quia fuisset avunculi sui Alberici, quanvis eam domna Hildegardis comitissa a Thoma filio Alberici legitima comparatione emisset. Hanc ergo calumpniam sanctimoniales tunc temporis, per consilia bonorum hominum, tali ratione abstulerunt et quiete in hoc sibi ac futuris post se in perpetuum procuraverunt ut darent Gileberto, pro mittenda omnino contentione litis illius, XX libras denariorum ex pecunia S. Marie; quas ille spontanea et concordi conditione suscepit et totam terram illam quam in Curia Petre requirebat simulque et calumpniam de terra avunculi sui gurpivit, in presentia comitis Gaufridi et multorum pariter presentium clericorum laicorumque. Actum XII° kalendas Augusti intra Insulam S. Albini que nominatur Tirimons, juxta civitatem Andegavam, quo tunc forte comes Gaufridus, deambulandi causa, secesserat; testibus his quorum sub inserta sunt nomina : Eusebius episcopus, Robertus

abba Cormaricensis, Johannes abbas Redonensis, Raginaldus archidiaconus, Primaldus decanus, Radulfus presbiter, Gaufridus comes, Grecia comitissa, Adalardus de Castro Gunterii, Robertus Burgundio, Fulchardus de Rupe Forti, Hatto filius Celeste, Galterius Faber et filii ejus infantuli Robertus et Herveus, Hilduinus prepositus, Stephanus, Burchardus. *R.* 1, *C.* 24.

CLXXV. ITEM CONCESSIO GERORII DE BELLO PRATELLO.

Sciat omnis posteritas nostre ecclesie quia Gerorius, filius Amelini de Bello Pratello, calumpniavit feuum quod comitissa Hildegaldis comparaverat in tempore Fulconis comitis a Thoma Vasvassore, filio Alberici Cainouensis, et a fratre ejus Gerorio in possessionem S. Marie. Pro qua calumpnia funditus extyrpanda, dederunt item sanctimoniales ipsi Gerorio solidos C, uxore ejus cum filiis annuente. Quod ut validius vigeret firmiusque in eternum persisteret, dederunt etiam ratri suo Fulconi caballum solidorum XXX; testibus his qui affuerunt, scilicet : Gaufridus comes, Gaufridus Crassus, Isembardus siniscallus, Albericus filius Riberti, Artaldus, Eudo de Blazon, Rigaudus prepositus, Lambertus canonicus S. Martini, Garinus cellararius, Giraldus Calvellus, Stabilis vicarius, Fulcuinus, Gaufridus filius Fulchardi, Constantius Rufus, Simon, Frogerius aurifaber, Raginaldus grammaticus, Primaldus presbiter, Ulricus prepositus et alii quam plurimi. *R.* 1, *C.* 42.

CLXXVI. GAGIUM FULCHARDI DE RUPE FORTI, DE INJUSTA CORVADIA.

Inter alia mala que fecerunt Fulchardus et sui hominibus S. Marie in Curia Petre, apprehendit boves de mediatoribus nonnarum, quando erat comes Gaufridus Junior in prissione apud Sablolium, et fecit inde corvodiam suam per forciam; hoc est minavit palicium ad claudendum castellum Rupis Fortis. Unde post districtus a comite Gaufrido, vadiavit forisfactum illud; et de emendatione illa accepit Giraldus Calvellus IV denarios ad opus S. Marie, videntibus testibus his quorum hec sunt nomina : Gosfrido filio ipsius Fulchardi, Roberto preposito, Petro siniscallo de Camilliaco et filio ejus Fulcherio et Roberto filio Rainildis. *R.* 1, *C.* 44.

CLXXVII. JUDICIUM CONTRA THOMAM CHINONENSEM ET GAUFRIDUM ORTARIUM.

Die apostolorum Philippi et Jacobi, tenuit Fulco comes cum optimatibus suis apud castrum quod appellatur Salmurus, sedens in aula sua super gradus lapideos, placitum inter abbatissam Richildem et Thomam Chinonensem atque Gaufridum Ortarium, de terra quam in Curia Petre calumpniabantur. Ubi ab ipsis calumpnie sue ratione prolata, atque ab abbatissa mendositati eorum responsione veritatis opposita, judicavit suprapositus comes primatesque sui sycophantes illos, Thomam scilicet et Gaufridum Ortarium, S. Marie injuste calumpniatos fuisse et nullum jus nullamque eos rectitudinem in terra illa habere. Et ne forte potuissent quandoque auctoritatis censuram depravare, ad affirmandum curie sue judicium, dixit se comes continuo paratum esse. Nomina autem quorumdam, clericorum videlicet et laïcorum, qui affuerunt huic placito hic ad testimonium subnotata sunt : Marbodus archidiaconus, Hugo de S. Laudo, Godefridus S. Marie capellanus; de laïcis : vicecomes Gaufridus Juvenis de Meduana, Berlaius de Mosteriolo, Urso de Mosteriolo, Gilduinus de Doé, Gilduinus de Monte Rebelli, Albericus filius Ritberti, Raginaldus Fossar, Herneisus de S. Cruce, Lethardus de S. Lamberto. Affuerunt etiam duo filii ejusdem Thome, qui patrem suum judicio convictum viderunt et recognoscentem in eodem se a comitissa Hildegarde D solidos, pro ipsa terra, accepisse audierunt. R. 1, *C*. 87.

CLXXVIII. CONCORDIA INTER RICHILDIM ABBATISSAM ET ROBERTUM ASCELINUM.

Notum volumus fieri tam presentibus quam futuris quod Robertus filius Ascelini, qui terram unam S. Marie que in Curia Petre habetur sepe calumpniatus fuerat, ad ultimum firmam et stabilem cum sanctimonibus fecit inde concordiam. Hec autem concordia in ipso capitulo S. Marie in audientia multorum facta est : ubi ipse et uxor sua nomine Aia, ex cujus parte terra illa contingebat, in presentia domne abbatisse Richildis et aliarum sanctimonialium, omnem illam calumpniam quam prius fecerat dimisit, datis inde sibi VII libris et beneficio ecclesie; ea conditione ut numquam amplius ipse vel ipsa vel aliquis per eos terram illam calumpniari presumeret, et ut filios suos, qui adhuc erant parvuli nec ad concessionem faciendam ido-

nei, illud idem faceret concedere si, eo vivente, ad hoc etatis pervenirent quod valeret eorum concessio. Quod ut firmum et imutabile esset, uterque hujus concessionis signum super altare basculum unum posuerunt suumque auxilium et consilium sanctimonialibus promisserunt in posterum; testibus his : Hugone de S. Laudo, Theberto preposito; quatuor canonicis S. Marie : Roberto, Adelelmo, Gauterio, Godefrido; Raginaldo de Fossis, Raginaldo de Brachesaco Raginaldo villano, Herneio, Simone de Rocha, Radulfo capellano S. Johannis, Aldemanno de Pinello, Roberto, Palefredo. *R.* 1, *C.* 67.

CLXXIX. DE FODRO MALE PERCEPTO A PRÆPOSITO RUPIS FORTIS.

Quodam tempore Israel, prepositus Rupis Fortis, accepit fodrum de terra S. Marie vacua hospitio, eo quod rustici manentes extra colebant illam. Unde in judicio convictus, reddidit abbatisse in Curia Petre cum sua lege quicquid male acceperat a colentibus terram causa predicti fodri; sicque deinceps cessavit consuetudo male nata. Hujus rei sunt testes : Matheus de Plaxeicio, Giraldus prepositus, Fulchardus Juvenis, Giraldus Charucio, Hugo Aquila, Beringerius Brevis, Laurentius prepositus, Tetbertus, Robertus marescallus, Stabulus vicarius, Fulcoius, Robertus Senex, Erneisus. *R.* 1, *C.* 52.

CLXXX. DE TERRA ASCELINI THEOTICI.

Illud quoque non est oblivioni tradendum quod terra quam, cum pratis ad illam pertinentibus, habuit Ascelinus Theoticus apud villam que Curia de Petra vocatur sibi, a comitissa Hildegarde, taliter donatam ut post decursum vite ejus B. Marie sanctimonialibus remaneret. Que etiam postea (quam) in manum Fulcoini S. Marie servientis quadam hereditatis descensione venit, concessit ex toto idem Fulcoinus cenobio S. Marie, presentibus atque annuentibus filiis suis; qui etiam cum patre suo donationem concessionis in capitulo facte super dominicum posuerunt altare, datis proinde sibi a Richilde abbatissa XI denariorum libris. Huic igitur donationi interfuerunt quatuor canonici : Robertus scilicet, Adelelmus, Galterius atque Godefridus; Tetbertus quoque et Rainaldus de Brachesaco, Raginaldus villanus, Gaufridus Pictavis, Christianus de Spiniaco, Gauterius Rufus, Raginaldus de Fossis, Herveus qui Hanelotus dicitur et alii quam plures. *R.* 1, *C.* 65.

CLXXXI. JUDICIUM RAGINALDI EPISCOPI, DE BALLIA S. LAMBERTI.

Scriptorum tam inopia quam negligentia fecit ut quam plurimis detrimentis res publice maximeque ecclesiastice afficerentur. Qui enim secundum carnem natus est, persequitur eum qui secundum spiritum etiam nunc. Utilitati igitur posterorum providentes, utile judicavimus ipsorum noticie litterarum monimentis insinuare possessiones, redditus, consuetudines consuetudinumque tam causas quam varietates, census, servicia ceteraque hujus generis de rebus S. Marie Caritatis quas tempore Raginaldi Junioris, Andegavensis ecclesie episcopi, possidebat. In primis igitur temporibus prefati viri, quandam querelam agitatam, qui totum se religionis causa ecclesiarum negotiis devoverat, quoniam prima ante eum postquam huic ecclesie suum singulari familiaritate concessit patrocinium habita est, primam annotare curavimus. Erat itaque prefatus pontifex generositatis luce celebris, morum ornatu decorus, juvenis quidem corpore mente senex, totus quidem ecclesiarum omnium utilitatibus; hujus tamen virginitatis gratia, quam omni affectu colebat, devotissime dedicatus. Erat autem tunc temporis in Curia Petre quidam juvenis nomine... qui in feuo a sanctimonialibus balliam de S. Lamberto clamabat. Termino igitur constituto, postquam utrisque curia, ex more, data est, surrexit ille predictus... matremque suam, per cujus patrimonium clamabat, (in) testimonium adduxit. Interrogatus igitur quomodo rem clamaret, respondit : ab avo, patre matris sue..., et ab avunculo suo Letardo qui eam in feuo ab abbatissa habuerant. Contra hunc Raginaldus Fossardus surrexit, homo S. Marie. Hic sanctimonialium ballias triginta annis aut eo amplius amministraverat terreque earum jura, consuetudines redditusque earum omnes optime noverat. Cumque per corpus suum probare vellèt illos predictos numquam in feuo hoc habuisse, nisi quemadmodum alii servientes, adderetque se vidisse et audisse temporibus eorumdem abbatissam (et) cellarias S. Marie balliam illam ad libitum suum et eis dare et eis auferre, sicuti suas alias ballias sine ulla reclamatione, judices in partes secesserunt : consilioque habito, prefatum proclamatorem interrogaverunt si ipse in suo clamore ponere posset illos antecessores suos per quos clamabat illam balliam habuisse in feuo ab abbatissa S. Marie et a capitulo. Cumque hoc nec ipse nec mater sua dicere possent, judicatum est donationes prelatorum irritas haberi que sub-

ditorum assensu non firmabantur. Hoc juditium viderunt et audierunt suoque assensu firmaverunt episcopus secundus in cujus curia hoc agebatur, Guillermus de Salmuro archidiaconus, Goffridus thesaurarius, Stephanus cantor, Guillermus Musca, Gauterius Cornutus, Giraldus prepositus, Guito, Marquerius, Raginaldus Fossardus; de sanctimonialibus : Burgundia mater Adelardi de Castro Gunterii, Eusebia cellaria aliique complures, plena fere episcopi curia. *R.* 5, *C.* 100, *bis.*

CLXXXII. CONCORDIA INTER ABBATISSAM ET ABONEM DE BRIOLETO PRO CURIA PETRÆ.

Quoniam, caritate tepente iniquitateque habundante, nostris temporibus genus hominum, dissimile priori, ea auferre Dei ecclesie aut ubi hoc non possunt invenire moliuntur que majores nostri, viri religiosissimi, Deo pro sua suorumque redemptione obtulerunt, scripto notatum posterorum memorie commendamus qualiter questio diu agitata inter domnum Abonem de Brioleto et sanctimoniales S Marie Caritatis, tempore Raginaldi Junioris Andecavorum episcopi Fulconisque Pueri comitis, predicto episcopo mediante, ad concordiam reducta sit. Curiam Petre, a comite Teobaudo atque a diversis baronibus emptam, sanctimonialibus S. Marie Deo devota comitissa Hyldegardis ita libere cum sui integritate dedit ut nichil in ea, exceptis forfactis de quibus LX solidi exeunt, retineret. In silva quoque Lateii venationem solam sibi, scilicet honori comitis, reservavit; non tamen ut propter hoc minus de predicta silva predicte sanctimoniales ad libitum suum facerent. Hanc religiosissime mulieris donationem Deo militantes mulieres usque ad tempus Martelli Junioris libere tenuerunt : quem, cum multa strenue egisse gauderemus, in hoc eum deviasse dolemus quod violenter jus S. Marie paulisper minuere voluit. Esamplas namque quasdam, quas in Lateio homines sanctimonialium in earum dominicatura fecerant, instinctu quorumdam adulatorum, Gaufrido filio Garini contra jus dedit. Qui cum domum defensabilem edificare ibi vellet eamque jam erexisset, proclamarunt sanctimoniales inique sibi inferri, antiquasque consuetudines mutari conqueste sunt. Ille vero aliquantulum flexus intelligensque se injuste egisse, mutavit animum; (et) quoniam tunc pro defensione patrie, ut fit, aliquantulum gravabatur, postulavit sanctimoniales ut suis necessitatibus aliquantisper subvenirent. Quod ille benigno animo,

utpote justicie conservatori fieri dignum erat, fecerunt. Centum itaque libras sibi dederunt, domumque unam in burgo S. Marie Fulconi patri suo pro concessione, sicque terram liberam ab omni calumpnia toto tempore vite illius comitis retinuerunt. Verum vite illius calamitosa brevitas cum multa dampna multis intulerit, in hoc quoque sanctimonialibus dampnosa extitit ut quicquid ei pro hac redemptione dederant incasum fuit. Interfecto namque eo apud Candiacum, predictus Fulco comes Vetus domno Aboni castrum dedit Rupefortis. Qui cum sanctimoniales gravaret, in hoc quoque extitit eis honerosus quod terram illam quam a predicto comite redemerant in suum jus transferre nisus est. Qui cum hoc nepharium immo execrabile sacrilegium esse, pontificis multorumque baronum assertione, cognosceret, flexa mente animoque mutato rem ad concordiam ducere statuit. Mille itaque solidos ab eis accepit, de quibus X libras regine dedit Bertree. Sanctimoniales autem, utpote que prius pactum cum comite irritum viderant, timentes ne hoc quoque aliquo tempore irritum fieret, X libras sibi dederunt : tali conditione ut omnibus querelis dimissis in pace rem suam, sicuti ab antiquo ecclesiam obtinuerant, in perpetuum tenerent. Ut que hoc pacto aliquo tempore cassari non posset, comites Fulconem patrem Fulconemque filium, quibus videlicet rem clamabat, concedere fecit; ipseque manu propria cum cultello quodam concessionem in manu episcopi posuit, quem sumptum Abo de manu presulis in manu abbatisse Theburgis tradidit ac deinde super altare dominicum S. Marie, consulibus annuentibus, obtulit. Hujus actionis testes sunt qui viderunt et audierunt : Raginaldus episcopus (quo) annuente res gesta est, Stephanus cantor, Guillelmus archidiaconus, Guibertus designatus canonicus, Fulco de Matefelone, Gaufrido de Brioleto, Petrus filius Horrici, Maino preposito, Raginaldus Fossardus, Gaufridus de Spiniaco, Erneis de Rupe Forte, Vallinus de Rupe Forte, Boso de S. Lamberto, Hubertus Curtus, Beringerius siniscallus, Gauterius Gauficus, Theburgi abbatissa, Adeladis de Camiliaco, Garsindis de Manso, Eusebia celleraria, Hildeburgis de S. Cruce, Soletia de Credonis. *R.* 2, *C.* 3.

CLXXXIII. CONFIRMATIO GAUFRIDI COMITIS DE CURIA PETRÆ ET SILVA DE LATEIO.

Quecunque diu memoriterque retinere volumus, ne unquam in

oblivionem decidant, diligenti cura scribere debemus. Quapropter notum facimus presentibus et futuris quia, perlectis cartis, coram me Gaufrido duce Normannie et comite Andegavis et nobilibus viris fidelibus meis,.retroactarum donationum cenobio S. Marie sanctimonialium de Andegave, novimus et certum tenemus eas habere in Curia Petre, ex dono Hildegardis comitisse aliorumque predecessorum nostrorum : vicariam de minutis forifactis preter illam scilicet de qua LX solidi exiguntur, de forragiis duobus que ibi antea capiebantur unum, vaccagium universum et biennium totum nisi in expeditione exercitus vel expeditionis publice et totum pasnagium et apes in silva de Lateio et nemus vivum et mortuum ad usus necessarios omnium sanctimonialium in Curia Petre quocunque loco manentium. Et ne silva illa ultra modum vastetur, prohibeo ne aliquis unquam audeat unum solum palum capere de illa, ad exclusam faciendam. Et ut hec per successura tempora certam obtineat memoriam et confirmationis vigorem, nostri signi testimonio confirmavimus. Testes autem inde sunt : magister Gaufridus S. Laudi decanus, Hugo Rufus archipresbiter, Adam canonicus, Hugo Parvus, Joslenus de Turono, Bartelotus de Campigneio, Salomon de Doit Salvage, Guischardus de Novilla, Gorrannus et Fulco camerarii, Bartelotus Bibit Solem, Laurentius de Leonio, Turpinus, Garinus de Turono, Granus et plures alii. Ad hanc recordationem convenerunt : Theophania abbatissa, Milesendis decana, Oicia sacristana, Petronilla de Novilla, apud Andegavim. *R.* 4, *C.* 25; *R.* 5, *C.* 21.

CLXXXIV CARTA HENRICI REGIS ANGLIÆ, DE SUPRADICTO BOSCO A MONIALIBUS LIBERE POSSIDENDO.

Sciatis recognitum et recordatum fuisse in curia mea, per legales vavassores de Brachesac, quod fuit recognitum et concessum, coram domino et patre meo comite Andegavensi Gaufrido, quod boschum de Lateio est dominicum ecclesie B. Marie de Caritate Andegavensi ad omnes usus necessarios, sine sartatione bosci et sine palis ad exclusas faciendas in Ligeri; et mortuum boscum est hominibus predicte ecclesie de Curia Petre et pasnagium prefate ecclesie monialibus quietum. Et ideo volo et presenti carta confirmo quod predicta ecclesia et moniales ibidem Deo servientes predictum boscum habeant et teneant, cum pasnagio et omnibus aliis libertatibus et liberis consuetudinibus suis, ita bene et in pace et quiete et plenarie et

integre et honorifice sicut recognitum fuit coram domino et patre meo comite Andegavensi et postea recordatum in curia mea per eosdem vavasores qui interfuerunt illi recognitioni, scilicet : Choan de Brachesac et Garinus de Beleme et Enores de Sorel, Radulfus de Sancto Saturnino, Raannus viarius, Friso mestivarius de la Varenna; isti omnes sunt homines mei ligii et jurati; his testibus : Guillermo filio Hamonis, Matheo de Baugeio, Fulcone de Cleeriis, Raginaldo Rufo. *R.* 6, *C.* 65 *et ultimum.*

CLXXXV. NOTITIA CALUMNIARUM NIVARDI DE RUPEFORTI.

Quoniam homines et eorum memoriam, more fluentis aque, de die in diem preterire conspicimus, res gestas ad memoriam diuturniorem scripbere disposuimus. Modernorum igitur scientie et posterorum noticie cognitum fieri volumus moniales S. Marie Caritatis clamorem fecisse Gaufrido comiti Andegavensium de Nivardo Rupis Fortis, qui injuriam eis inferebat de suo bosco de Lateio. Comes, audito clamore, terminum posuit apud Brachesac. Ad terminum prefixum cumvenerunt in curiam Theophania abbatissa cum amicis et adjutoribus suis et Nivardus similiter. In primis fecit questionem suam abbatissa et cartam suam indicavit, in qua continebatur unde et a quo et quomodo habebat et tenebat ecclesia S. Marie boscum illum. Postea comes accepit cartam illam de manu abbatisse et legit. Deinde comes quesivit a Nivardo a quo et per quem clamabat jus in bosco illo de Lateio. Respondit Nivardus comiti : « Domne, hoc quod juris habeo a vobis et per vos habeo. » Ad hec comes : « ergo nichil juris est tibi in bosco illo, quia nullum jus habeo in bosco illo. » Postremo comes Nivardum considerans nullum jus habere in bosco illo, precepit abbatisse et monialibus habere boscum illum solidum et quietum, exceptis palis ad exclusas faciendas, et interdixit Nivardo ne de bosco illo (capere) presumeret nisi solummodo ad turrem calefaciendam. Huic rei interfuerunt : Goffridus de Cleeriis, Goslenus de Turono, Pipinus de Turono, Garinus de Belemo, Choan de Brachesac, Frisonus de Brachesac, Mauritius de Lorre, Hugo decanus, magister Ruvallonus, Paganus Singe, Petrus Eudelin, Turpinus, Garinus de Turono, Bertelotus Biet Solem, Johannes Bachelotus et plures alii.

In pace tenuerunt moniales S. Marie boscum de Lateio vivente comite. Post obitum comitis, Nivardus calumpniam fecit super boscum de Lateio et homines S. Marie cepit et captos in turre posuit. Monia-

les vero S. Marie, audita injuria Nivardi, conquestum suum Henrico comiti Andegavis et duci Normannorum apud Barbiflodium retulerunt; illic enim iter suum parabat ad transfretandum in Angliam, ad suscipiendum coronam regni Anglorum, hereditatem suam. Comes vero, ut audivit conquestum monialium et injuriam Nivardi, mandavit Gosleno dapifero suo (et) commendavit ut, sicut pater ejus boscum de Lateio liberaverat, ita et ipse proborum hominum qui affuerunt testimonio eis liberaret. Goslenus vero dapifer, acceptis litteris comitis, posuit terminum Nivardo juris faciendi monialibus. Ad terminum convenerunt Nivardus et abbatissa Theophania cum testimonio proborum hominum inquam in superioribus prenominatorum. Hii testes adducti, (per) preceptum comitis, boscum de Lateio liberum et quietum monialibus attestati sunt : Goffridus de Cleeriis, Goslenus de Turono, Pipinus de Turono, Garinus de Belesmo, Choan de Brachesac, Frisonus de Brachesac, Mauricius de Lorre, Hugo decanus, magister Ruvellonus, Paganus Singe, Petrus Eudelin, Turpinus, Garinus de Turono, Bertelotus Bet Solem, Johannes Bachelotus et plures alii. *R.* 1, *C.* 64.

CLXXXVI. JUDICIUM DE MESTIVA CURIÆ PETRÆ.

Notum sit omnibus Nivardum de Rupe Forti clamorem fecisse domne regine de monialibus B. Marie Andegavis que sibi, uti dicebat, injuriam inferebant de mestiva quam reclamabat in Curia Petre. Regina audito clamore terminum posuit. Ante Hugorem de Cleis ad terminum venerunt. Primo fecit Nivardus clamorem suum, et dixit quod sanctimoniales vetuerant suis hominibus de Curia Petre ne darent sibi mestivam quam per annum (pro) consuetudine habebat. Que respondentes dixerunt quod nullam mestivam in Curia Petre pro consuetudine habebat nec alio modo; sed si quis ad libitum suum de suo sibi dabat, non per annum nec per consuetudinem, ipse moniales non vetabant. Ad hec Nivardus verum recognoscens, in curia Andegavis coram omnibus respondit hoc verum esse et quod nullam mestivam ibi habebat nec reclamabat; sed si quis de suo daret ad libitum suum et non coactus libenter assumeret. Cui rei interfuerunt : Emma de Lavalle tunc abbatissa, Lejardis de Chimilleio, Hugo de Cleis, Thessun canonicus, Hugo Archiepiscopus, Hisembertus tunc siniscallus, Hugo de Turono, Raginaldus Rufus, Robertus de Sabolio, Gaufridus de Bannis, Gaufridus Buart et plures alii. *R.* 1, *C.* 94.

CLXXXVII. EMPTIO FEODI BARBOTINI DE CALVINIACO.

Inter alia que agimus et que memorie decrevimus, posteris nostris significare volumus quod Barbotinus de Calviniaco vendidit S. Marie et sanctimonialibus feodum quod habebat de S. Maria quod est inter burgum sancte Crucis et Calleium, hoc est pratum et boscum et vineas et LV lagenas vini et XX denarios et obolum de censu, unde nabuit XVII libras et dimidiam. Hoc concessit et vendidit Ildeburgis uxor sua et filii eorum Raginaudus et Ernaudus. Quod viderunt et audierunt isti : Gauterius de Castelleio, Hugo presbiter, Barbotus villicus, Raaudus prefectus de S. Cruce, Robertus de Juigniaco, Eudo sacrista. Hoc confirmatum est in capitulo S. Marie, vidente Theburgi abbatissa et toto capitulo; unde donum positum est super altare cum ramo savine a Barbotino et ab uxore sua et a filiis ejus. *R.* 2, *C.* 99.

CLXXXVIII. DE BELLO INTER ABBATISSAM ET FULCHARDUM.

Abbatissa fuit preparata faciendi suam legem contra Fulchardum de Rupe Forti, sicut comes judicaverat, in presentia Hugonis Manducantis Britonem et Roberti prepositi; teste Ivone fratre suo de la Jaillam et Lamberto decano S. Martini et Rogerio Malo Filiastro, Giraldo Calvello. Illa fuit preparata per famulum et per vilanum, sicut fuerat condicio; et tamen habuit abbatissa caballarium preparatum. Fulchardus traxit fabrum et abbatissa fabrum. Et homines qui in hoc scripto breviati sunt dicunt ut in torto Fulchardi remansum est.

O comes, abbatissa mandat tibi utrum invadet terram suam an non? *R.* 5, *C.* 12.

CLXXXIX. DE COSTUMA INJUSTE SUMPTA DE HOMINIBUS S. MARIÆ.

Notum sit omnibus hominibus quod Petrus Francigena injuste capiebat quandam cosdumam de hominibus S. Marie, scilicet obolum de bestia; et inde accepit legem et judicium in curia de Rupe Forti adversus sanctimoniales; et in termino defecit de judicio et vadiavit cum denario in manu Ildeburgis prioris, que tradidit illum Raaudo prefecto, vidente : Guillermo fratre Petri et Simone fratre suo et Garino Burello milite suo et Raginaldo prefecto, qui debuit facere judicium, et David sacerdote. De hominibus S. Marie fuerunt isti : Gauterius presbiter, Vaslinus cellarius, Herveus Loho, Hugo sacerdos, Guuardus miles de Rupe Forti et alii plures. *R.* 6, *C.* 15.

CXC. CONVENIENTIA MOLENDINI AD RUPEM FORTEM.

Hec est convenientia cujusdam molendini, quod habetur in alveo Ligeris, ad Rupem Fortem, inter monachas monasterii S. Marie et Lambertum et Marinum : dimidium cujus vendidit Lambertusraterque ejus Marinus sanctimonialibus S. Marie Caritatis. Et pro illa dimidietate molendini quam prius tenebant, acceperunt Lambertus fraterque ejus Marinus XX solidos et beneficium tocius congregationis. Hujus rei sunt testes hi : Fromundus de Fano, Radulfus Bobancus, Stabilis vicarius, Simon faber, Bernardus pontonarius, Rivualdus scriptor, Erneis, Durandus de Ripa, ipsaque abbatissa, Agnes cellera ria, Pletrudis monacha, Theophania, Haduissa. *R*. 5, *C*. 53.

CXCI. CONVENIENTIA DE SEX HOSTIIS IN LIGERI.

Notum sit presentibus atque futuris conventionem talem esse factam inter Amelinam, S. Marie Caritatis abbatissam, et totius ecclesie capitulum et Isembertum pontonarium quod predicta abbatissa et totum capitulum supradicto Isemberto sex hostia, que sunt in Ligeri juxta S. Crucem de Rupe Forti, tali conditione concessit ut ipse Isembertus omnem dispensam in supradictis hostiis, exceptis ramulis, expenderet, et ecclesie S. Marie dimidiam partem in prenominatis hostiis libere et absolute reciperet; videntibus hoc subscriptis testibus : Hugone decano, Mainardo canonico, Turpino, Mainerio dapifero, Garino de Losduno, Harpino Bocario, Frogerio S. Crucis preposito, Rustica S. Crucis obedienciaria, Hoderio molendinario, Gauterio de Ripa. *R*. 4, *C*. 79.

CXCII. DE VINEA HUGONIS DE S. CRUCE.

Notum sit omnibus quod vineam quam tenebat Hugo, presbiter de Sancta Cruce, de Gauterio presbitero, tantummodo in vita sua illam tenebat; et in presentia domne Hyldeburgis guerpivit eam solidam et quietam post decessum suum ad cellarium, coram testibus his : Rainerio canonico, Radulfo sacrista, Herberto Cornuto, Guillermo sacerdote S. Laurentii, Marquerio preposito, Bosone senescallo, Eusebia, Constantia, Amelina de Calleto. *R*. 2, *C*. 7.

CXCIII. DE VENDITIONE DOMUS AUBERTI.

Notum sit tam posteris quam futuris quod heredes Auberti de S.

Cruce, scilicet Herveus filius ejus et sorores ejus, assensu totius capituli S. Marie Andegavis et assensu Emme abbatisse, vendiderunt domum quandam Raginaldo de Petra et heredibus suis VI libris et X solidis, de quibus nummis habuerunt XL solidos et abbatia S. Marie IV libras et V solidos. Hoc factum fuit in capitulo S. Marie, tempore Emme abbatisse. Et ne inde aliqua oriretur calumpnia, sigillo ejusdem capituli et sigillo abbatisse confirmaverunt, Raginaldo de Petra vel heredibus suis per annum reddentibus heredibus Auberti de S. Cruce X solidos de censu et S. Marie Andegavensi XII denarios. Huic rei interfuerunt qui viderunt et audierunt : ipsa Ama abbatissa, Milesendis de Chimilleio, Hamelina de Mauritania tunc sacrista, Heremborgis, Bernarda decana, Odiva celeraria, Odierna Parva, Mahordis de Fonte Evradi, Hisembertus siniscallus, Raginaldus Andegavis tunc preses, Gaufridus Corve, Petrus Meridiana, Hugo villicus, Radulfus de Bordellis, Petrus Garini, Daniel Piel, Aubericus carnifex, Gauterius Isemberti, Robertus de Manail, Guillermus Cordehal et plures alii. *R.* 5, *C.* 29.

CXCIV. JUDICIUM FULCONIS COMITIS DE VICARIA S. LAMBERTI.

Quoniam mens humana adeo fluxa est ut ea que presentialiter agit vix retinere possit, ut firmius et prolixius que agimus teneamus, memorie litterarum tradere curavimus quod quidam famuli S. Marie servientes apud S. Lambertum, videlicet Theodericus et Gaudobertus, fecerunt quoddam furtum infra domum sanctimonialium et infra ecclesiam S. Lamberti, scilicet vinum et annonam. Quod audiens Abbas, tunc dominus de Rupe Forti et custos Curie de Petra, clamavit illud forisfactum sibi proprium et inde cepit illos homines et res illorum abstraxit de ecclesia, ideo quia clamabat vicariam esse suam in ecclesia et in domibus earum. Unde abbatissa Theburgis et sanctimoniales fecerunt clamorem Fulconi comiti Juniori; et judicavit comes et curia ejus quod nullam vicariam neque potestatem judicariam habebat domnus Abonus in ecclesia neque in domibus earum que claustre vocantur. Itaque reddidit quicquid inde acceperat; et judicio curie et jussu domni Abonis, Normannus Jarret et Bardulfus, vicarii ejus, reddiderunt vinum et annonam et posuerunt vadimonium suum in manu Teburgis abbatisse. Huic judicio supradicto interfuerunt isti : Fulco comes, Gaufridus abbas Vindocinensis, Mainerius canonicus S. Laudi, Guibertus canonicus, Rainerius canonicus, Ra-

dulfus vicecomes de Bello Monte, Silvester de S. Karilefo, Guillermus de Silleio, Hubertus de Campania, Hugo de Matefelone, Fulco Mala Musca et alii plures; de parte S. Marie : Teburgis abbatissa, Habelina, Eusebia, Fabiana, Ildeburgis moniales; de hominibus earum : Gauterius Rufus, Bovetus, Robertus de Juigniaco, Bernardus Angerii, Engelbaudus villanus; ex parte domni Abonis : ipse Abo, Berrengius de Moleriis, Garinus Pes Anseris, Laurentius filius Enardi, Odo Grassus, Raginaldus villicus, Hubertus Curtus, Raginaudus Berotarius et alii. *R*. 2, *C*. 85.

CXCV. DE DIMIDIA PARTE CHOATERIÆ ET DE COSTUMIS EJUSDEM.

Radulfus Florentis dedit S. Marie et sanctimonialibus mediam partem terre Choaterie, cum uxoribus duabus suis et duabus filiabus suis, et quicquid ibi habebat. Cum his mulieribus concessit Petrus, de Camilliaco dominus, costumas suas quas ibi habebat : quindecimam, talleiam, furnum, avene costumam minute et alias costumas omnes quas illic habebat. Hildebergis abbatissa misit ad Galvenum ejusdem Petri filium, Rensendem, tunc et S. Lamberti priorem, et Beatricem ejus sororem et Agnetem et Garinum prepositum, Petrum sacerdotem, Aimericum Crassum, ad audiendam hanc costumarum concessionem; et ille ita concessit, et illa pro hoc illi unum palefridum dedit et ille Obertino dedit illum. De suis hominibus audivit : Gaufridus de Ver, Hugo de Lot, Giraudus S. Marie sacerdos. Hoc factum est infra quindecimam (diem) qua Sanctus Egidius dedicatus fuit apud eundem castrum, scilicet Camilliacum. *R*. 1, *C*. 12.

CXCVI. DE METERIA TERRÆ QUAM DIMISIT OGERIUS DE MONTE.

Notum sit omnibus hominibus tam presentibus (quam futuris) quod Ogerius de Monte quandam meteriam terre, in parrochia S. Lamberti, erga sanctimoniales S. Marie Caritatis in patrimonio habere reclamabat. Isembertus autem, illius ecclesie senescallus, Ogerium in curia B. Marie ad rectum adduxit. Auditis ex utraque parte rationibus, judicium facere voluerunt : Ogerius vero attendere noluit; sed proprio ore suo judicium recusavit, et terram illam solutam et quietam sanctimonialibus dereliquid. Hoc viderunt et audierunt isti et iste : Isembertus siniscallus, Laurentius villicus, de Turonis Garinus, de Camilliaco Dabertus, Gaufridus Buheardus, de S. Lamberto Borrellus, Brito cocus, Guillermus cellerarius; de dominabus : Orsandis abbatissa,

Oscia sacristana, Milesendis elemosinaria, Milesendis de Choleto, et plures alie. *R*. 2, *C*. 69.

DE FORGIIS.

CXCVII. EMPTIO DIMIDII ARPENTI VINEÆ.

Ad memoriam posterorum tradimus quod Aia, uxor Radulfi Chaboth, et filius ejus Petrus vendiderunt Anne elemosinarie dimidium arpentum vinee ad Forgias, ad opus elemosine, solutum et quietum ab omni calumpnia, VI libris et X solidis, annuentibus duabus filiabus illius Aie. Insuper dedit Aia et filius ejus Petrus plegios Anne elemosinarie adquitandi vineam supradictam ab omni calumpnia contra omnes homines; quorum plegiorum nomina hec sunt : Johannes pellitarius, Fulcoius filius Goffridi Excoriantis Agnum, Menna filius Benedicti Bacheloth. Insuper plegiaverunt due supradicte filie Aie. Hec ventio et concessio et plegiorum donatio facta fuit coram abbatissa Theburgi et pluribus monialibus, Humberga cellerraria, Ingelsindi et aliis; videntibus et audientibus istis hominibus : Goffrido Burgensi secretario, Galterio Ruffo, Radulfo Joici filio, Giraldo carpentario, Fulcoio cellerario, Rainaldo de Brachesac. *R*. 4, *C*. 65.

CXCVIII. DE PARTE TERRÆ TRADITA AD PLANTANDUM VINEAS.

In diebus Imberge elemosinarie, tradita est quedam pars terre S. Marie ad plantandum vineas, que pars terre ad Forgias erat, ad vinagium : unde censuum et vendarum habet Laurentius de Carleio medietatem; altera vero pars est S. Marie et vinagium quitum. Ad hanc ergo consuetudinem, detinuerunt sibi : Dodo Vacca I arpentum, Herveus Hanelodus, dimidium arp., Excorians Agnum I arp., Rainaldus Signerius dimidium arp., Garinus presbiter dimidium arp., Odo et Emgerbertus pellitarius II arp., Radulfus Chaboth dimidium arp., S. Maria I quarterium, Joslenus pellitarius I arp. et dimidium, Billardus I quart., Herveus de Cippo dimidium arpentum. *R*. 4, *C*. 64.

CXCIX. DE RESIDUO IPSIUS TERRÆ AD ANNONAM DATO.

In tempore vero Anne, dedit ipsa Anna, consilio tocius capituli,

residuum ipsius terre ad annonam : arpentum ad tres sextarios siliginis. De qua detinuit Herbertus Cornutus I arpentum, Fromundus Burdinus I arp., Jarnigonus II arp., Sigebertus III quarteria, Augrinus dimidium arp., Rainaldus Roimerius II arp., Engerbertus II arp., Gauterius Cornutus dimidium arp., Jofridus mediator I quarterium. Itaque de vendis istius terre et censibus habebit Paganus de Carleio, sicut et de alia supradicta, medietatem. Alteram partem habebit elemosinaria et annonam sibi quitam pro vinagio. Census vero exsolventur die ferie Andegavine, an autem ad obtabas, ad horreum a redditoribus delata et ibi coram elemosine domina juste mensurata et recta mina. *R.* 1, *C.* 65.

CC. REDDITIO X SOLIDORUM PRO QUODAM VINAGIO.

Illud sane silentio premendum non est qualiter de vinagio, quod S. Maria in vineis Bernardi Alemanni habebat, tractatum fuerit. Habebat ergo Bernardus iste duos agripannos vineales ad Forgias, vinagium reddentes. Quod grave ferens, pertemptavit multociens si quo modo condonaretur ei aut laxaretur vel in denarios verteretur. Quotiens ergo quesivit, tociens inde repulsum passus est. Nunc vero demum quod per se et per suos adjutores obtinere nequiverat, sapienter agens, ad alta spem efficiente retorquere disposuit. Adduxit itaque secum abbates duos S. Trinitatis et B. Sergii et domnum Hubertum archidiaconum et Mauricium Credonensem dominum; et sicut sepe per alios fecerat, sic per eosdem interpellatores rem tociens quesitam adquirere voluit. Nos vero tantorum virorum peticionibus, ut dignum erat, obtemperantes, vinagium illud in X mutavimus solidos quos redderet in vigilia Natalis Domini quicunque vineas illas possidebit. Hoc factum est in capitulo nostro coram abbatissa Teburgi et Milesendi elemosinaria, Isilia ceterisque sororibus; laïcis vero audientibus : Normanno Pochino, Goffrido Bello Bove, Goffrido de Spiniaco, Menna Bachelot. Illud tamen retinuerunt moniales ut si, de auro vel de argento, opus aliquod fabricare vellent, ipse precio leniori eis faceret quam alicui alteri. Dedit insuper unam caritatem de piscibus factam. *R.* 1, *C.* 82.

CCI. DE DUABUS MANSURIS TERRÆ ARABILIS.

Guido thesaurarius Sancti Mauritii, devovens filias suas perpetue virginitati, tradidit S. Marie, cum ipsis, duas mansuras de terra

arabili in loco qui dicitur Forgias; auctoribus dominis suis Siebranno filioque ejus Guillelmo. *R.* 1, *C.* 5.

DE FOSSIS.

CCII. DE FOSSATO IN PRATIS FACIENDO.

In loco qui dicitur ad Fossas, a vivario S. Marie de Caritate usque ad Pantenam, cujuscunque essent prata, piscaria sanctimonialium erat; et hoc ex antiquo dono comitis Fulconis Senioris et ex antiquo tenore. Quoniam autem aqua in pratis dormiens pratis nocebat, per consilium Fulconis Junioris et prepositi sui Radulfi Thoarii et ipsorum quorum prata erant, fieri precepit Humberga celleraria et Hugo prepositus S. Marie fossatum in pratis : tali convenientia ut piscaria semper sanctimonialium esset et forisfactum de fossato; et de piscaria antiquam (consuetudinem) etiam propterea non perderent. Hoc autem audierunt : Hugo prepositus, Gauterius Rufus, Rainaldus de Brachesac, Rainardus Fossart, Bodinus et Albericus frater ejus; ex hominibus comitis : Radulfus Thoarius, Gauterius David, Goffridus Ballieie, Roguinus Guichardi, Waslinus foristarius, Robertus Vigemarius, quorum erant prata; Andefredus Diabolus, Goffredus Burgundus. *R.* 5, *C.* 66.

CCIII. QUALITER PASCUA DATA A FULCONE COMITE PRATA FACTA SUNT.

In eodem loco, ad Fossas, dederat Fulco comes Senior S. Marie triginta arpennos de pratis et pascua circumadjacentia. Ex consulto Umberge cellerarie pascua prata facta sunt sicut Benir de Luce vadit. Cui rei prepositus comitis Radulfus Thoarii, utpote qui rem nesciebat, calumpniam intulit. Hec causa ante Fulconem Juniorem perlata est. Rainardus Fossardus, homo S. Marie, paratus fuit probare de antiquo jure S. Marie pascua sicuti et prata esse. Judicavit comes et precepit ex tunc pascua sanctimonialium esse debere et, ex earum deliberatione, pascua prata fieri posse. Hoc viderunt : Hildeardis decana, Humberga celleraria, Orieldis secretaria, Rainardus Fossart, Hugo de S. Laudo, Bernardus canonicus, Radulfus Joit, Rainaldus

de Brachesac; de hominibus comitis : Radulfus Thoarii, Abundus, Segebrannus, Petrus Rubichellus, Carbonellus. *R*. 5, *C*. 67.

CCIV. DE VADIO PISCATIONIS INJUSTE FACTÆ.

Dilectus, famulus domni Archelai et vicarius comitis, fecit homines suos piscari in vivario S. Marie de Fossis. Unde clamorem fecit abbatissa Theburgis Archelao qui habuit hominem suum, in die Ascensionis, ad justiciam; et facto judicio, ille vadiavit pisces quos piscaverat injuste, vadiumque misit in manu abbatisse Theburgis et in manu Bernardi prepositi. Quod viderunt isti et audierunt, ex parte Archelai : Herveus, Robertus, Pipinus Chamallardi, Matheus filius Giraldi prepositi, Audulfus miles, Bobinus de Fossis; ex parte abbatisse : Guitto de Ponte, Marquerius Almauguini, Meno, Garinus Losduni, Engelbaudus villanus, Bovetus, Barbotus vicarius, Albericus de Fossis, Herveus filius Algardi, Goffridus de Carnoto. *R*. 2, *C*. 29.

CCV. DE FENO AD MONASTERIUM ADDUCENDO.

Notum sit omnibus moniales S. Marie Caritatis cum hominibus de Curia Petre, scilicet cum Ogerio de Logis atque cum ejus fratribus, in thalamum Theburgis ejusdem ecclesie abbatisse ad causam venisse. Moniales etenim ut ipsi fenum de Fossis, ex consuetudine, ad ecclesiam adducerent ab eis exigebant. Quarum exactioni cum ipsi resisterent, Guillermi de Molendinis Andegavensium pretoris aliorumque presentium judicum juditio convicti, Maino Bachelot, tunc temporis preposito, gagiaverunt; atque de injuria ecclesie illata satisfacientes, se in perpetuum fenum ex consuetudine ad ecclesiam adducere concesserunt, testibus istis : Guillermo preposito, Gaufrido de Fano, Radulfo de Greio, Gauterio de Varenna, Maino Bacheloth, Marquerio Amauguini, Barboto vicario, Engelbaudo villano, Hardoino de Brachesac, Garnerio Gastello; et ex parte illorum : Ogerio atque ejus fratribus Laurentio Enardi, Grosso de Fossis, Petro de S. Saturnino. *R*. 2, *C*. 58.

DE INGELBAUDERIA.

CCVI. DONUM CAPELLÆ DE INGELBAUDERIA.

Consuetudo hominum antiquorum fuit, de acceptis rebus sive

emptis possessionibus suis seu alienis, ad posterorum noticiam mittere in cartis. Hanc ergo consuetudinem nos sequentes (notum facimus quod), ad augmentum, sancte Dei genitricis ecclesie semper virginis Marie et servientibus ejus dederunt Giraldus et Adelaildis uxor ejus capellam quondam sancti Martini que vulgo dicitur Ingelbauderia (et) omnia que ipsi habebant sine ulla retinuatione. Hoc dederunt, pro remissione peccatorum suorum, in capitulum S. Marie Andegavensis : videntibus cunctis, auctorizante Gaufrido filio Adeleldis qui erat major natu fratribus suis.

Post mortem autem Adeleldis, calumpniavit eis predictus Gaufridus vicariam burgi. De qua calumpnia, licet sciremus tortitudinem ejus, nolentes cum eo placitare, verterunt in concordiam. Et hanc concordiam fecit domna abbatissa Theburgis et domna Ermengardis de Castro Gunterii, que erat preposita loci : id est XX solidos dedit Gaufrido pro ipsa calumpnia revestivitque eum coram multis, tali ratione ut si homo ejus in aliquid delictum incidisset, non eum vicarius distringeret nisi prius domine ipsius loci clamorem fecisset. Et notum fecit coram Gaufrido de Verduno, privigno Alberici, qui fregit ramum cerasorum de quo ille hoc donum dedit. Sed et Normannus dominus suus auctorizavit tali signo : rupit unam cerasiam de ramo. Hi sunt testes hujus donationis videntes et audientes : Aimericus presbiter, Lambertus presbiter, Gaufredus de Vendocino, Guarato, Frenaldus vicarius ejus qui habuit II solidos, Albericus, Gualterius, Boverius, Simon de Calciales. *R*. 6, *C*. 9, 64.

CCVII. DONUM TERRÆ DE ENGELBAUDERIA.

Scripturarum notatione posterorum memorie volumus commendare quod, quando Haimericus de Spirellio et Ceresia uxor sua fecerunt Milesendim filiam suam sanctimonialem, dederunt cum ea terram de Engeldbauderia quam ibi habebant solutam et quietam ab omni cosduma, preter talleiam XV denariorum que est Campanio domino illius terre. Et Haimericus plegiavit fidem suam quod illam terram faceret concedere Campanio, de cujus feodo erat; et (si) sanctimoniales illam terram amitterent aliqua occasione, ipse Haimericus daret eis terram de Sarcois, que longe melior erat : et inde fidem suam dedit in manu Garini Losduni tunc prefecti, et Haimericus filius Garini, avus puelle, et Goffridus filius Haimerici de Pirellio. Hoc concesserunt duo filii ejus Sigebrannus et Mes Finit; et inde posuit

donum super altare cum cutello, et postea in manu Teburgis abbatisse. Hoc viderunt et audierunt isti : Raginaldus filius Garini, Johannes Gadoberti, Marquerius Amauguini, Meno Bacheloth, Robertus de Juigniaco, Engelbaudus villanus, Stephanus cellerarius, Rainerius canonicus. *R.* 2, *C.* 84.

CCVIII. DE TERRA ET VICARIA DATIS MONIALIBUS IN COMMUTATIONE NEMORIS VIVI ET MORTUI.

Posteritatis nostre successoribus indubitanter significari volumus quod, quando Hubertus Campanus fecit filiam suam, nomine Altrudem, sanctimonialem in monasterio S. Marie Karitatis, donavit et in perpetuum concessit Deo et gloriose virgini Marie et sanctimonialibus in ejusdem monasterio die nocteque, pro communi utilitate animarum suarum, servientibus, illam terram de Bosco Pinelli totam et vicariam de Ingebauderia et latronem et sanguinem et furtum et raptum et mestivam hominum S. Marie, pro nemore vivo quod capiunt ad domos suas faciendas, pro mortuo nemore scilicet quod habent ad calefactionem suam et pro herba. Interea predictus Hubertus donavit sanctimonialibus panagium porcorum hominum S. Marie pro nemore; et porcos sanctimonialium quietos et solutos et quicquid juris in istis habebat Deo et sanctimonialibus sine reclamatione alicujus dimisit solutum et quietum, in suorum remissionem peccatorum. Et quoniam idem Hubertus Campanus istam donationis conventionem, tam devote tamque racionabiliter factam, firmissimam teneri et a nemine successorum violari voluit, manu sua firmavit et per fidem suam plevivit ad Haimericum filium Garini. Hanc etiam harum rerum donationem ita firmatam concesserunt domna Barbota, soror Huberti Campani, et filius ejus Willermus et super altare B. Martini propriis manibus donum posuerunt. Hubertus vero Campanus sorori sue Barbote donavit L solidos, pro hac concessione, et unam domum apud Sanctum Quintinum. Hoc viderunt et audierunt isti : Ursellus vicarius, Garinus Boeria, Aimericus de Maaugia, Mauricius Grassus; ex parte sanctimonialium : Stephanus de Capella, Johannes de Sancta Fide, Raginaudus Barbatus et alii quam plures. Affuerunt etiam in loco abbatisse : domna Germana, Beatrix, Humberga que viderunt et audierunt sicut et ceteri. Hoc autem donum supradictum concessit Matheus Segebrandi. Adelaidis uxor sua et Gaufridus filius ejus concesserunt coram Pagano, Montis Rebelli do-

mino, et coram Gaufrido Bibente Vinum, germano Pagani, et coram pluribus aliis. *R.* 4, *Appendix.*

CCIX. DE TERRA JUXTA INGEBAUDERIAM ET DE DECIMIS VARACINERIÆ.

Sciant igitur presentes et futuri quod, quando Matheus Segebrandi fecit filiam suam, nomine Aldeiardem, sanctimonialem S. Marie Karitatis, idem Matheus Segebrandi donavit Deo et S. Marie Karitatis carteronem terre que est juxta Ingebauderiam et decimas de Varacineria. Hoc viderunt et audierunt isti : Aimericus de Maaugia famulus Mathei, Orsellus villicus, Ricardus filius ejus, Garinus Boeria, Piscaris Solus et alii plures; ex parte sanctimonialium iste : Agnes priorissa Ingebauderie, Ricardus sacerdos, Alaidis monacha et alie plures. *R.* 4, *App.*

CCX. DE OSCA ET NEMORE GASTO, ET DE USAGIO IN COMMUNI NEMORE.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod quando Petrus Andree fecit filiam suam, nomine Maentiam, sanctimonialem S. Marie Karitatis, prefatus Petrus dedit Deo et sancte virgini Marie suisque sanctimonialibus quicquid habebat cum Garino mosnerio, videlicet oscas et nemus gastum et quicquid habebat circa nemus : illud proprium prescriptis monialibus in perpetuum concessit. Interea supradictus Petrus Andree largitus est illis et hominibus earum vivum nemus, ad domos suas faciendas, in communi nemore. Mortuum vero nemus, ad calefactionem suam, similiter dedit, et pasnagium de porcis hominum S. Marie sanctimonialibus quietum prestitit et erbagium similiter pecoribus suis. Hoc utique viderunt et audierunt isti : Aimericus de Maaugia, Guillermus Mindorets, Aimericus Benedicti et Christiana uxor ejus, Gauterius Atidonus et Gofridus filius ejus; ex parte sanctimonialium : Agnes priorissa Engebranderie, Richardus sacerdos, Herbertus Bonus Pater, Gorrun, Raginaudus Oliva, Engebaudus et alii plures. *R.* 4, *App.*

CCXI. PLACITUM DE BOSCO ENJOBAUDERIÆ ET DE MEDIATORIA DE DELIVEEM.

Notum sit omnibus fidelibus in Christo quod Hubertus Canpen habuit duas filias. Unam earum, scilicet Hodeart, dedit Deo et S. Marie Andegavensi in monialem, cum qua dedit S. Marie in elemosinam

boscum de Emjobauderia de Boolez. Alteram filiarum dedit Matheo Seebram in uxorem, de qua Matheus habuit duas filias et unum filium. Quarum unam, scilicet Autru, Matheus consecravit S. Marie cum qua etiam concessit hoc donum supradictum; et etiam filius suus, scilicet Guillermus Sebram, confirmavit. Alteram filiarum dedit Guillermo Baldol in uxorem. Hoc donum tenuerunt sanctimoniales S. Marie per longum tempus quiete et sine calumpnia, usque ad tempus Emme abbatisse. Tunc Guillermus Bardol calumpniavit nemus illud. Unde sanctimoniales conqueste sunt domno Fulconi de Chandeio. Et propter hoc multociens convenerunt abbatissa et coadjutores sui in curia sua ad Chimeleium rectum postulantes; sed Guillermus Bardol denegabat se responsurum in curia de Chimilleio, vocans curiam Guillermi Seebram, nisi judicio cogeretur. Judicium vero dedit eum respondere in curia domni Fulconis ad Chimilleium. Audito judicio, Guillermus Bardol placitum devitans et partem suam debilem esse cognoscens, pacem poposcit hoc modo quod sanctimoniales haberent nemus viride et siccum ad omnes usus necessarios domus Enjobauderie et vinee, famulo illius hoc vidente; et sine jussione famuli acciperent totum nemus, preter quercum et le tremblem, ad ignem calefaciendum. Insuper haberent panagium et herbagium de propriis hominibus, et proprii homines earum haberent totum nemus preter quercum et le tremblem, eas etiam si incisas invenerint, et l'alecerem, nec dum inde alicui vel aliquibus aliquid servicium nisi sanctimonialibus reddentes; et hoc modo quod Guillermus Bardol nec famulus suus vendat nemus illud nec presumat de nemore illo nisi ad proprios usus suos. Et si homines B. Marie invenerint aliquem nemus vendentem, captum teneant et ante eum illud adducant. Et si Guillermus Bardol fatebitur hoc per se fieri, sciat se injuriam sanctimonialibus intulisse; si vero non, inde suum rectum accipiat. Insuper ipse Guillermus clamabat unum sextarium avene in mediatioria de Deliveem; quod guerpivit in curia, et concessit se amplius nichil in rebus S. Marie clamaturum. Hoc factum fuit ante Fulconem de Candeio, istis etiam presentibus et audientibus : Jodoin de Doé, Radulfo de Cholet, Oliverio Lembornem, Teobaudo Louel, Philippo de Ver, Guillerm Gasiel, Guillermo Saebram, Obertino, Durando Lemmellem, Petro Peu, Gaufrido Emchoblam. Hoc pactum fuit factum cum Emma abbatissa. Hoc vidit et audivit : Milesendis de Chimilleio et Autru, cum qua hoc datum fuit, et Isembertus tunc

siniscallus, Raginaldus Andegavensis tunc preses S. Marie, Menardus canonicus, Secardus sacrista, Radulfus de Pictavia, Menardus Pater de Enjobauderia, Richardus Pater S. Lamberti, Ledet Pater de Luiné, Herbertus de Sancta Cruce, Hamericus prior Chimilleii. Omnes isti hoc audierunt et viderunt, et etiam Savaricus de Menteron et Gaufridus Buart et plures alii. Hoc factum fuit tempore quo collecta sancti Hospitalis Jerusalem facta fuit, anno ab incarnatione domini MCLXVII°. *R.* 5, *C.* 99; *R.* 4, *App.*

CCXII. DE REBUS QUAS DEDIT GUILLELMUS CHOTARDUS.

Guillermus Chotardus, Mauritanie dominus, futuri examinis reminiscens tam premia justorum quam penas reproborum, carere cupiens tenebris sempiternis, jungi sanctorum sempiterne luci, concessit, tam pro se quam pro anima uxoris sue Maientie, monasterio sanctimonialium B. Marie Caritatis Andegavensis unam meteeriam terre que adjacet haie sue que olim fuerat matris ipsius, scilicet Hairois sanctimonialis predicti monasterii, et unam borderiam terre que est in Ulmeio et omnes consuetudines proprie terre ipsius monasterii que est in Engelbauderia : taillatam scilicet et ceteras malas consuetudines; audientibus et videntibus his testibus : Petro de Rocha, Guillermo Giraldi, Petro presbitero. *R.* 5, *C.* 20.

CCXIII. DE TERRA ALIA DATA AB EODEM.

Manifestum est tam futuris quam presentibus Guillermum Chodardum et Beatricem uxorem suam Ameline moniali, filie sue, dedisse terram quam possedit Tetbaudus Jurelus, ad vestiendam ipsam quamdiu viveret; et post mortem ipsius Ameline habendum perpetue conventui concesserunt. Sicut autem dictum est Anterius et Guillermus, filius Chodardi, sorori sue Ameline et conventui terram supradictam concesserunt. Insuper vero concesserunt homini terram qui possideret de nemore ad faciendum domum suam, ad se calefaciendum, et pascua bestiis suis : ita libere quod neque vicarius neque aliquis alius super eum manum poneret. Hoc audierunt et viderunt : Petrus Musellus, Groslebossus, Charruellus, Meschinus; ex parte Ameline : Amelina abbatissa, Maria et Juliana, Richardus sacerdos de Engelbauderia, Gauterius de Sancto Lazaro, Manerius dapifer, Harpinus, Paganus, Josbertus et multi alii.

Radulfus de Choleto Milesendi moniali, sorori sue, dedit vicariam et

tallias suas quas habebat in terra supradicta, que data sunt Ameline sicut dictum est. *R.* 2, *C.* 60.

CCXIV. DE QUADAM PARTITIONE FACTA CUM WILLELMO BERTRAN.

Isti fuerunt ad partem que fuit facta inter abbatissam et Willermum Bertran : Gilo sacerdos, Clarembaudus de Monz, Theobaldus Havart, Haois mater ejus, Durant de Chaeran, Helias de Palaé, Herveus Cochart, Godefridus Cochart, Raherius. Et Willermus Bertran sic concessit et Christianus filius ejus primogenitus. *R.* 5, *Appendix.*

CCXV. DE DECIMA TERRÆ GAUFRIDI LOSENGII.

Hoc (est) donum decime quod Gaufridus Losengii dedit Deo et B. Marie Andegavensi apud Engebauderiam de tota terra quod ipse Gaufridus ibi habebat, propter amorem Dei, ad sustentamentum sanctimonialium ibi degentium. Et de recognitione habebit ad Pentecosten unam micam et unum justum vini, et ipse sanctimoniales servabunt eum quomodo hominem suum et in beneficium sue abbacie erit semper; testibus his : Menerio presbitero, Enjobaudo fratre suo. *R.* 5. *App.*

DE LUSDO ET RAELLONE.

CCXVI. DE TERRA PORTI ET DE AREA DOMUS APUD LUSDUM.

Quando Bencelina tradidit se monastice professioni, in monasterio S. Marie Caritatis, dedit sanctimonialibus monasterii S. Marie de Caritate terram Porti, que est super flumen Melion, et dimidietatem pratorum terre ipsius; et aliam medietatem retinuit Radulfus filius Benceline quantum viveret, et post decessum Radulfi erunt prata S. Marie sine ullo calumpnio; et unam aream domus apud Lusdium dedit similiter. Hanc conventionem annuerunt isti quorum nomina infra sunt scripta : Hugolinus gener Benceline et uxor ejus Tescelina filiusque ejus Giraldus, et alius gener Hamelinus suaque femina Odelina. Hec conventio fuit firmata in capitulo S. Marie, die capitis jejuniorum, et vidit Hildemannus frater Benceline suusque nepos alius Hyldemannus et Ernaldus capellanus comitis et Pavolinus de Lusdio. Hujus convenientie sunt testes hii : Durandus Corpus Suum, Gerva-

sius, Marbodus, canonici S. Mauricii; Johannes decanus, Stabilis vicarius, Rivualdus scriptor, Simon faber, Bernardus pontonarius, Galterius Mignardus, Frogerius de Lianz, Gillebertus coccus. Hujus convenientie sunt isti fidejussores : Hildemannus, Hamelinus, Hugolinus. *R.* 1, *C.* 45.

CCXVII. DE TERRA AD RAELLONEM CONCESSA BERNARDO PRESBITERO DE LUSDO.

Notum fieri volumus quod domna Theburgis abbatissa dedit Bernardo presbitero de Lusdo quandam terram ad Raellonem, tali conditione ut post obitum suum terra illa, quocunque modo edificata esset, propria sanctimonialibus esset S. Marie Caritatis. Hujus rei testes sunt : Rainerius canonicus, Robertus de Juviniaco, Engelbaudus villanus, Pico et alii; de monialibus : Eusebia, Abelina. *R.* 2, *C.* 45.

CCXVIII. CENSUS DE RAELLONE.

Lambertus Faber III solidi, Raginaldus Boceius II denarii, Petrus Bigot VIII den., Garneius Niger IV den., Manerius Besillet I obolus, Ernulfus Cucheius VIII den., Guillermus Bigot XI den. et I obolus, Martinus Bigot III den., Giraldus Pelliparius II den., Giraldus Escochardus II den., Raginaldus Corvisarius II den. *R.* 2, *C.* 46.

DE MORENNA.

CCXIX. CONCORDIA INTER MONIALES ET EUSEBIUM EPISCOPUM, DE MOLINO MORENNE.

Cum habuissent sanctimoniales gloriose virginis virginum de monasterio quod cognominatur Caritas molinum unum apud Morennam, sedis episcopalis villam, per multa jam annorum curricula possessum, longe postmodum defuncta domna Hildegalde inclita comitissa itemque domno Huberto, dulcissime memorie presule, terrenis rebus adempto, quorum tempore immo quibus agentibus traditio molini illius B. Marie facta fuerat, jam etiam domno Eusebio Brunone venerabili et clementissimo episcopo Andegavensium sustituto, suborta est de eadem re triplex quedam calumpnia et contradictio atque

ibidem mox concors et undique grata atque, ut speramus, permansura in eternum facta est inde pax et sedatio. Utrumque ergo et litem et compositionem que cause moverunt queque conditiones placaverint, propter firmiorem rememorationem, conscripbere et successoribus nostris conservare voluimus. Colibertus unus episcopi, Hamelinus nomine, molinum ipsum ad jus sue hereditatis reclamabat, quod patris sui olim fuisset. Joscelinus item cognomine Isnellus, vasvassorius domni presulis, alterum quod extiterat antiquitus supra illud S. Marie, infra spatium stadiorum duum, restaurare cum participatione episcopi inceperat; quod manifestum erat huic de quo agimus multum utilitatis et in aliis rebus ademptturum. Ob has importunitatum molestias removendas, dimiserunt sorores congregationis S. Marie episcopo Eusebio et successoribus ejus perhenniter habendam illius molini medietatem, sibi retinentes alteram quietam ad medietatem superioris census solvendam, hoc est denariorum IV solidos : tali conventione ut episcopus homines de terra sua molere ibi faciat per bannum, et cenagii sui sanctimoniales per medietatem participes faciat. Hujus rei testes, de parte episcopi : Goslenus decanus, Berengerius thesaurius, Wulgrinus abbas S. Sergii, Raginaldus archidiaconus, Fulcoius capellanus, Drogo et Galterius servientes et Maurenne ; de parte S. Marie : Primaldus archipresbiter, Radulfus presbiter, Stabilis serviens, Andreas eunuchus. *R.* 1, *C.* 27.

CCXX. CARTA EUSEBII EPISCOPI, DE SUPRADICTA CONCORDIA.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Eusebius sancte Andegavensis ecclesie humilis et indignus episcopus, notam fieri volo quandam convenientiam inter nos et beate semper virginis Marie sanctimonialium congregationem factam. Causa autem convenientie hec est. Est molendinus in villa Morenna, episcopali scilicet sede, a servis nostre ecclesie in ejusdem jure constitutus et possessus sed a domno Huberto pontifice, post possessorum mortem, cuidam Ivoni militi in beneficium datus : a quo ab Hildegarde comitissa cujusdam pactionis facte an infecte, nescio, occasione abstractus locoque predicto S. Marie, quem construxerat, cum aliis rebus quas undique acquisiverat collatus; de quo, nostris temporibus, inter nos et predicti loci congregationem orta turbatio taliter, mediante principe nostro Gaufrido comite, est sedata partiumque concordia clericorum et fidelium nostrorum consensu auctorizata : ut predicti molendini vel

omnium que ibidem edificari poterunt medietatem nobis nostrisque successoribus possidendam perpetuo relinqueret, ipsa vero aliam, communicato secum quod antiquitus consuetudinarium possidebamus piscium cenagio, solide quieteque obtineret. Hec autem convenientia per scriptum retenta capituli nostri auctoritate, in sanctorum martyrum Mauritii sotiorumque ejus sollempnitate, corroborata est; cujus etiam assensu sancitum est priorique convenientie additum ut annone hominum de nostra dominica terra ibidem, per bannum, perpetuo molerentur. Hujus rei testes sunt: ipse ego Eusebius episcopus, Gaulenus decanus, Beringerius archiclavis, Raginaldus archidiaconus, Vulgrinus abbas. Primardus archipresbiter, Rudulfus presbiter, Andreas Eunuchus, stabulus Drogo noster et Galterius. *R.* 5, *C.* 24.

CCXXI. DIMISSIO CALUMNIÆ GARNERII BODINI.

Istud molendinum, cum tenuissent per XL annos solutum et quietum ab omni calumpnia, injuste cepit calumpniare Garnerius Bodinus et per calumpniam multa depredando eis rapuit. Post aliquantulum temporis, divina inspiratione compunctus, ab injusticia sua resipuit et, in presentia domni Radulfi Turonensis archiepiscopi et Fulconis comitis, Goffridi Martelli nepotis, et in audientia obtimatum virorum quorum nomina in subsequentibus non silebuntur, apud castrum Balgiacum, in manu domne Richildis abbatisse, totas forfacturas quas calumpniando fecerat legaliter vadiavit. Vadiatas vero domna abbatissa Richildis et alie sorores que aderant, propter concordiam, perdonaverunt, excepto uno tantum denario quem de lege illius Warnerii, in memoriam et testimonium emendationis, acceperunt. Ita Garnerius totam querelam et calumpniam suam ibidem dimisit. Hujus rei testes sunt: Radulfus archiepiscopus, Fulco comes, Eudo de Blazon, Johannes de Cainone, Gaufridus Fulcradus, Tebaldus Florentinus, Lambertus Episcopus, Bernardus canonicus, Fulcuinus. *R.* 5, *C.* 24, 86.

CCXXII. CARTA RAINAUDI EPISCOPI, DE REDDITIONE MOLENDINORUM ET EXCLUSÆ.

In nomine eterni patris et filii ejus salvatoris domini nostri Ihesu Christi et spiritus sancti. A prudentia antiquorum patrum usque ad nos derivatum profluxit ut, si quid perpetuo in memoria retinere vellent, litterarum monimentis destinarent commendare. Ego igitur

Rainaudus Dei gratia Andegavensis episcopus, mediante scripti hujus testimonio, omnibus ecclesie filiis dignum duxi notificare quod adierunt me Audeburgis venerabilis abbatissa et sorores nostre sanctimoniales S. Marie Andegavensis que dicitur de Caritate, supplicando orantes quatinus redderem ecclesie S. Marie Andegavensis et sibi molendina et exclusam Morenne quin immo quicquid Morenne contulerat mee persone Theburgis, que ante hanc Audeburgem abbatissa S. Marie fuerat. Harum tam justis peticionibus ego inclinatus, utpote non immemor illius mandati : *Omnipotenti te tribue*, dedi et concessi habendum in perpetuum abbatie S. Marie et sanctimonialibus ibi deservientibus et deservituris ad integrum quicquid habuerant Morenne pro dono prefate Teburgis, videlicet molendina et exclusam et domum molendinarii et terram, immeliorata et emendata cum tota immelioratione et emendatione, retento hoc quod sanctimoniales S. Marie redderent episcopo Andegavensi censum V solidorum duobus nummis minus, qui census solebat solvi pro molendinis et ceteris predictis antequam Teburgis daret eas michi. Scriptum etiam quod de rebus hujus modi inter me et Theburgim firmatum fuerat rescindendo destruxi. Facta est hec redditio Andegavis in frequenti capitulo S. Mauricii, videntibus et audientibus quorum nomina subscripta sunt : Gaufridus decanus, Ulgerius archidiaconus et archischolaster, Normannus et Richardus archidiaconi, Grafio et Obertus et Bernerius, Haimericus et alii plures canonici ; de monachis : Hamelinus abbas S. Albini, Rainaudus, Gubertus, Petrus abbas S. Sergii, Albinus abbas S. Marie de Bosco, Salomon de Mosello. Ex parte Aldeburgis abbatisse sanctimoniales iste fuerunt : Heremburgis decana, Verzelina, Abelina, Eusebia, Gricia, Burgundia ; canonici earumdem : Rainerius, Bernardus ; de laïcis : Matheus, Guito, Marquerius, Guito, Mainoth Bacheloth, Hanelotus, Garinus de Loisdun, Barbotus villicus, Boselinus, David de Castello Brientii, Burgevinus et alii quamplures. Ut autem hec actio nostra majori stabilitate niteretur, cartam istam sigillo meo apposito sigillavi et crucem in ea propria manu impressi ✝. *R*. 6, *C*. 58.

CCXXIII. CONCORDIA INTER MONIALES ET GUIDONEM DE GRATA COXA, DE TERTIO MOLENDINO FACIENDO.

Evidentius posteritati noticie reservatur quicquid litterarum testimonio vel lapidum annotationi commendatur. Posteritati itaque nos-

tre notum fieri decrevimus quod Guido de Grata Coxa, sedatis omnibus querimoniis, fecit convenientiam cum domna Hildeburgi abbatissa S. Marie Caritatis ceterisque sanctimonialibus : talem scilicet quod sanctimoniales permittunt domno Guidoni facere unum molendinum juxta illa duo molendina de Morenna. Et hac prima vice, domnus Guido construet molendinum ex omnibus necessariis quecunque in silva sua fuerint inventa. Si vero aliquid minuerit quod in silva sua inveniri non poterit, de communi supplebitur. Molendino a domno Guidone facto et molente, Guido habebit in tribus molendinis sextam partem dominorum et sextum de inter rota; et deinceps si quid tribus molendinis ad reficiendum opus fuerit, de communi ponetur. Et quia sanctimoniales in suo proprio alodio hoc modo permittunt fieri molendinum, illud molendinum quod Guido minabatur facere subtus illa duo molendina non fiet in perpetuum; et illa beria superius imminens molendinis, sine aliquo impedimento et sine aliqua controversia, serviet utilitati molendinorum amodo et usque in sempiternum. Quod si Guido vel ejus successio istam partem suam molendinorum, qualibet urgente necessitate, vendere vel ingajare voluerit, tantum a sanctimonialibus accipiet quantum a quolibet extraneo accepturus esset. Ut autem ista convenientia pacifice et sine refragatione ab utrinque teneatur, episcopus et sanctimoniales et qui molendinis presunt, assensu capitulorum suorum, donant domno Guidoni IV libras denariorum; et Guido, pro prefata convenientia, in festivitate S. Albini apud Morennam persolvet episcopo et sanctimonialibus censum, VI videlicet denarios. Hoc fuit stabilitum et firmatum in capitulo S. Marie Caritatis, ubi ipse Guido de Grata Coxa et frater ejus Lucas hanc convenientiam propria manu firmaverunt et concesserunt et cum fuste domnam Hildeburgim abbatissam investiverunt et super altare B. Marie donum posuerunt. Hoc viderunt et audierunt, ex parte Guidonis : Odo de Moretum, Garnerius de Villa Canis, Turpinus de Aroesa, Adelardus clericus, Andulfus vicarius, Lambertus Curtus; ex parte dominarum : Burgundia de Castello Gunterii, Verzelina, Eusebia, Amelina de Cauleto, Agnes de Morenna, Boselinus, Philippus, Huguetus filius Barboti vicarii, Arnaldus coquus, Garinus de Braimo, Johannes de Castello Ledi et multi alii. Hoc idem concessit Elisabeth, uxor ipsius Guidonis, in manu domne Agnetis de Morenna. *R.* 5, *C.* 37.

CCXXIV. DE MOLENDINIS BALLATIS AD OCTO ANNOS.

Notum sit omnibus quod sanctimoniales ballaverunt molendinos de Morenna et census Guidoni de Fromentereis et Herveo portario, a festo S. Florentii in qua Gaufridus archidiaconus mortuus fuit usque ad octo annos, reddentibus illis per annum VII libras, medietatem ad Natale alteram ad Pascha. Cujus rei testes sunt : Emma abbatissa, que fecit hoc pactum, Isabel celleraria, Moitia secrestana, Maoht de Fonte Evraudi, Amelina de Mauritania et pluribus aliis; Isembertus siniscallus, Talebotus capellanus, Gaufridus Carpi, Frelonus de Campigneio, Halope de Daumeré et plures alii. Hoc pactum fecerunt Guido et Herveus et Raginaldus filius Guidonis et Lambertus de Molendinis et Stephanus Bonus Amicus. Isti sunt debitores et fidejussores tenendi pactum juste, et reddendi molendinos non pejores quam eos invenerunt. *R*. 3, *C*. 97.

DE MOSTEROLIO.

CCXXV. CALUMNIA MONACHORUM S. NICHOLAI, DE TERRA MUSTEROLII.

Terram Musteroli cum fecisset venalem Rainaldus Castri Gunterii, Junior quidem, nobilissima uxor sua Burgundia, cui ex dote con tingebat, pervasit ultro sanctimonialibus ut emerent. Terra autem illa erat monachis S. Nicholai pignus magne pecunie, et timuerunt sanctimoniales se monachis injuriam facere si hanc emptionem agrederentur. Cumque hoc scrupulo hesitarent, negavit omnino Rainaldus se cum monachis aliquod pactum habere nisi de reddenda pecunia. Burgundia vero dixit : « ne timeatis, quia ego vindicabo loco Caritatis dotem meam. » Nec dum acquievit abbatissa Richildis, donec ab ipsis cognosceret si forte aliquod stabile pactum de hac terra cum Rainaldo haberent. Tunc mandavit Rainaldus abbati Natali ut iret obviam sibi usque Spiniacum. Cumque debuisset abbas jus suum disputare, obtulit LX libras plus quam nos. Quod cum audisset abbatissa prescripta, mandavit abbati calumpniam per Adelelmum canonicum et per Gauterium. Tunc abbas misit monachum suum Fulcoium ad abbatissam, ut veniret ad judicium coram comite Fulcone;

sicque monitu abbatis, misit abbatissa, infirma jacens, Theophaniam et Heluisim cum plerisque clericis et laicis : auditaque ex utraque parte querela, data est hec sententia ut monachis redderetur pecunia sua et haberent sanctimoniales coemptionem, quia Burgundia concedebat S. Marie dotem suam (potius) quam monachis. Inde veniens Rainaldus, posuit donum super altare : teste ipso comite Fulcone et concessore, teste Gelduino de Monte Rebelli, Rainaldo Credonensi, Fulcone Tronello, Clarembaldo, Petro Deformi, Tetberto, Bernardo canonico S. Martini, Augerio canonico S. Marie, Roberto, Rainaldo rustico, Gauterio Adelelmo. *R.* 1, *C.* 55.

CCXXVI. ITEM CALUMNIA EORUMDEM, DE DECIMIS.

De decima Musteroli, post emptionem quam fecerunt sanctimoniales, orta est discordia inter eas et monachos S. Nicholai; cui domnus presul Gaufridus finem cupiens ponere, constituit terminum quo ante eum convenirent monachi et moniales. In primordio narrationis sue, dixerunt monachi se habuisse decimam antequam sanctimoniales emptionem facerent. Que res eis nichil profuit quia in judicio coram comite Fulcone, eis videntibus et audientibus, excepit Rainaldus venditor que non vendebat : videlicet feuum equestre et Radulfum filium Brefredi et vinagium de III quarteriis vinearum ad opus elemosine monachorum. De decima autem in eo judicio nullus sermo habitus est, et quia tunc tacuerunt nunc perdiderunt. Inde, quia repulsi, alium objecerunt nodum, dicentes non esse de dote Burgundie. Sed testes incliti ultro surrexerunt Garinus de S. Quintino et Lisoius Infans, parati probare dotem illius esse. Postremo dixit abbas Natalis se habere testem monachum, Herbertum nomine, quod Burgundia eis concesserat decimam ante emptionem; sed erat in Normannia tunc. Hac tamen avulsa radice, omnis spes monachorum de decima rupta est, judicio archiepiscopi Radulfi et nostri episcopi Gaufridi et thessaurarii Rainaldi. Nomina autem non omnium sed quorumdam qui judicio interfuerunt hec sunt : Marbodus archidiaconus, Garnerius archidiaconus, Lambertus Episcopus, Gaufridus cantor, Bernardus de S. Martino; canonici S. Petri, Heudo Blanchardus, Adelelmus Normannus, Gaufridus Martinus, Harluinus, Herbertus; et de hominibus S. Marie : Fulcoinus, Tetbertus, Rainaldus cellerarius, Gauterius Rufus; de nobilibus : Girorius de Bello Pratello, Fulco Tronellus, Lisoius Infans, Matheus de Plaxeicio, Gos-

bertus Bornius, Garinus de S. Quintino. Demum constituto termino, cum ante Rainaldum et uxorem suam Burgundiam convenisset abbatissa Richildis cum monachis, locutus est ille Herbertus quem supradiximus se audisse Burgundiam concessisse decimam S. Nicholao antequam sanctimoniales emerent. At illa parata fuit tradere hominem qui hoc pro ea juramento negaret, sed monachi noluerunt recipere; testibus his : Bernardo de S. Martino, Tetberto, Fulchardo Juvene, Gaufrido Pictavensi, Gauterio Gaufico. *R*. 1, *C*. 59.

CCXXVII. DE DECIMA MOLENDINI DE MOSTEROL.

Goslenus de Mosterol dedit super altare S. Marie decimam molendini cum cultello, ante abbatissam et ante senescallum S. Marie et ante sacristam Talebotum. *R*. 6, *C*. 21.

CCXXVIII. CONCORDIA INTER MONIALES ET MONACHOS S. ALBINI DE EXCLUSA.

Querela hec diu agitata est inter monachos S. Albini et sanctimoniales S. Marie Caritatis de clusa quadam que est in Meduana, apud Monasteriolum, de qua XII nummos de censu communiter reddere solebant diversis temporibus et diversis dominis et diversis modis. Septem namque nummos communiter reddebant in festivitate sancti Johannis et VI feria Andecava, partim Rogerio Malo Filiastro et partim Josberto de Salconio : ita tamen ut, transmutatis dominis, uno anno sanctimoniales redderent partem Rogerio et alio anno alteri, monachi Rogerio suam partem et sanctimoniales Josberto. Cum autem Rogerius factus esset monachus, dedit suam partem census S. Albino : sanctimoniales autem censum sicuti consueverant persolvebant; pro qua contentione monachi annonam de molendino, que ad eas pertinebat, suamque partem piscium usque ad M anguillas aut eo amplius acceperant. De quibus, cum judicio Fulconis de Matefelone abbatisque S. Sergii aliorumque multorum cumvicti essent quod injuste acceperant, gagiaverunt abbatisse Theburgi quidquid inde acceperant. Sed quia ecclesia pace gaudet, barones assistentes rem ad concordiam reduxerunt hac conditione ut sanctimoniales, dimissis utrobique omnibus querelis, in feria Andegavina quoque anno, de suis VII nummis quos debebant reddere de illo, censum redderent III S. Albino qui Rogerium Malum Filiastrum de sua parte contingebant. Hanc redditionem (Rogerius) filiusque ipse Rogerius Herneisius fieri preceperunt;

abbasque S. Albini, Archembaudus Poquet videlicet, cum monachis suis, Pagano videlicet filio Alerici et multis aliis, se in perpetuum testes futuros de hoc censu plegiaverunt, coram testibus istis. Ex parte S. Marie : Fulcone de Mathefelon, magistro Guiberto, Raginaldo fossario, abbate S. Sergii domno videlicet Gauterio, Ivone priore, Godefredo monacho, Johanne monacho de Maignenia, Giraldo serviente S. Marie, Barbotino de Calvone, Barboto nepote Tetberti, Engelbaudo villano, Tetburge abbatissa, Adeladi de Cameliaco, Garsin de Monasterio. Ex parte autem S. Albini affuerunt qui viderunt et audierunt : Argenbaudus abbas, Paganus Alericus, Rogerius Malus Filiaster, filius ejus Herneisius, Josbertus de Sarconiaco, Jaguelinus de Camatiaco aliique ex utraque parte quam plures. *R.* 1, *C.* 80.

DE ORGINIACO.

CCXXIX. CARTA FULCONIS NERRÆ COMITIS, DE ORGINIACO.

Mundi terminum appropinquantem ruinis crebrescentibus indicia certa manifestant et, ad discutiendas torpentes infidelium mentes, illa dudum in evangeliis a domino predicta oracula incumbere noscuntur. Igitur opere precium est quemcunque prudentem salutem sibi circumspectare et, incertum humane conditionis eventum anticipantem, elemosinarum beneficiis peccatorum vulneribus remedia previdere. Quocirca, in Dei nomine, ego Fulco Andecavorum comes notum fore cupio cunctis sancte Dei ecclesie filiis et maxime futuris successoribus meis quoniam, ad suggestionem et salutarem commonitionem conjugis mee Hildegardis comitisse, complacuit michi monasterio S. Marie Dei genitricis, quod ipsa prope civitatem Andegavam instauratum usque ad congregationem ancillarum Dei augmentaverat, aliquid mearum rerum, pro spe retributionis eterne, delegare et perpetualiter tradere, quod quidem effeci. Concessi igitur Deo et S. Marie ad predictum monasterium quod nominatur Caritatis terram optimam, que nominatur Orginiacus, totam cum universis ad illam pertinentibus, pro redemptione peccatorum meorum et absolutione anime genitoris mei Gaufridi et reliquorum parentum meorum, in usus et perpetuam possessionem augmentumque stipendii earumdem

ancillarum Christi : quatinus et nobis in eterna retributione merces proveniat, et ipsas melius dominum exorare pro me peccatore ac supradictis parentibus meis delectet. *R*. 5, *C*. 28.

CCXXX. DE TERRA APUD ORGINIACUM TRADITA AD ARANDUM.

Tempore domne Theburgis abbatisse, tradita est ad plantandum vineas vacua terra Orginniaci, Eusebia tunc celleraria et Rainaldo Fossardo tunc preposito. Fuit autem posita talis in ea consuetudo ut habentes unoquoque (anno) IV sextarios siliginis de arpenno exsolvant ad feriam Andegavinam, recta et justa mensuratos mina, et ad festum S. Albini, quod est kalendis Martii, reddant census de arpenno tres denarios; et tali retento pacto ut, preter ecclesie S. Marie Caritatis, alicui ecclesie nullatenus vel vendatur vel detur, nec alicui extraneo, nisi tantummodo patri, filio et nepoti, unquam vendatur. Quod si voluerit quis sequenti vendere generationi, submonebit prius abbatissam; et retinebit eam abbatissa si voluerit V solidis minus quam alius. Si autem retinere noluerit, emat quilibet; et habebit abbatissa V solidos de concessione. Hec autem facta est convenientia coram Eusebia et Rainaldo Fossardo et fratre ejus Rainaldo et Gauterio Rufo, Garino de Bremo et Hylario capellano. Qui hoc quod vidit et audivit imbreviavit.

De qua terra recepit sibi Rainaldus, frater Fossardi, I arpentum; Guido faber I arp. et III quarterios; Rainaldus de Monte Bonal, I quart.; Drogo, dimidium arp.; Bernardus, dimid. arp.; Durandus, dimid. arp.; Fulchardus I arp.; Haimericus Chanterellus dimid. arp.; Gosbertus, dimid. arp.; Grossinus, dimid. arp.; Senfredus, dimid. arp.; Rainaldus Bracellus, dimid. arp. et in obitu X solidos pro anima sua; Rainaldus Doeline, I quarterium; Rainaldus de Vercillo, dimid. arp.; David Testardus, dimid. arp.; Gauterius Popine, I quart.; Hubertus, I quart.; Johannes, I quart.; Haimericus, I quart.; Jarnigonus, dimid. arp.; Gauterius de Brisantum, dimid. arp.; Johannes, I quart.; Guihenoc, I quart.; Bodinus, I quart.; Garnerius, I arp. *R*. 5, *C*. 74.

CCXXXI. PACTUM EUDONIS DE BLAZONE, DE TERRA ORGINIACI.

De terra Orginiaci, quam calumpniavit Raginaldus adversus sanctimoniales B. Marie, est plegius Eudo de Blazon : ut amplius non forifaciat ille, nec homo per suum complanctum. Quod si aliquis

forfacere voluerit et ille resciverit, per fidem illud manifestabit. Ipse quoque Raginaldus de hac eadem re, per fidem suam, est plegius, et Landricus frater ejus et Joscelinus et Joffredus nepos istius Raginaldi et Raginaldus homo ejus, qui cognominatur Terram Tenet, et Ulgerius consanguineus ejus. In hoc pacto sunt testes S. Marie : Garinus cellararius, qui accepit fidem Raginaldi, et Robertus prepositus, Berno vicarius, Frogerius de Liant et Galterius Mignardus, Frotmundus. *R.* 3, *C.* 54.

CCXXXII. CENSUS ORGINIACI.

Gauterius filius Morehen, XX denarii; Bonus Homo, XII denar.; Isoardus gener, I denar.; Rainaudus filius Roberti Bicole, XII den.: Gaufridus de Orgeio, IV den.; Berengarius nepos, XII den.; Filii Ernardi, III solidi et IX den.; Girardus XII den.; Paganus de Borgun, VI den.; Gaufridus Ribot, IV den.; Teburgis, VII den.; Garinus Popardus XII den.; Alotinus, IX den.; Radulfus Felequin, III den.; Robertus Blanchardus, XII den.; Popardus filius Hate, VIII den.; Ascelinus, VIII den.; Ruellenus, XII den.; Guillermus, VII den., Riolus, II den.; Ernolus Februarius, II den. et obolum; Radulfus Trefaugere, VI den.; Garnerius de Fonte, IV den. et obolum; Matheus, V den.; Bodinus, IV den. Hugo, VII den.; Fulcoius IV den.; Goscelinus, IV den.; Renardus, VI den.; Frogerius, VI den.; Haimes, III den.; Benedictus, III den.; Gaufridus filius Guiberti VI den.; Johannes, VI den.; Adam, XII den.; Alfre, II den.; Matheus, I den.; Radulfus, VI den.; Petrus, VI den. *R.* 2, *C.* 51.

CCXXXIII. DE TERRA, PRATIS ET COLLIBERTIS DATIS APUD VALLEM CHRISTIANI.

In curte que dicitur Vallis Christiana, donavit S. Marie Ingelgerius miles, cum filia sua Milesende, unam mansuram terre et pratorum arpennos IV et Galterium collibertum cum infantibus suis (et) Otbergam collibertam. *R.* 1, *C.* 10.

CCXXXIV. DE VII ARPENNIS PRATORUM DATIS APUD S. SATURNINUM ET MALVERETUM.

Herbrannus, miles Cenomannicus, instinctu pietatis et instinctu elemosine, dedit Deo et S. Marie, in curte S. Saturnini, pratorum agripenna sex ad censum denariorum XII, favente Hugone filio ejus

et conjuge Richildi. Ivolinus quoque, fidelis procurator ipsius Herbranni, tradidit gloriose Marie arpennum unum sub nomine unius denarii solvendum. Quorum omnium tria sita sunt in ipsa divisione ipsius curtis S. Saturnini, de parte S. Sulpicii, juxta prata Frogerii de Monasteriolo; tria de parte Malvereti secundum prata Raherii militis; unum in ipso medio pratorum Herbranni. Huic donationi affuerunt testes isti : Stabilis serviens S. Marie, Radulphus presbiter, Raginaldus, Hubertus de Vaslon, Hubertus Bastardus, Ivo, Idoius mercator, Waldinus de Malo Cornu. *R.* 1, *C.* 23.

DE PLAXITIO MONIALIUM.

CCXXXV. DONUM PORTUS RABIEI ET PLAXITII JUXTA CASTELLUM NOVUM.

Quoniam mens humana brevi tempore deficit et labitur, ideo quod firmiter et diu retinere desideratur vivaci memorie litterarum perhenniter commendetur. Ne ergo quod facimus per negligentiam oblivioni donetur aut per ignorantiam obscuretur, volumus litteris enucleare quod Fulco, comes Andegavorum, Gauterio Rabiei portum quendam, qui ab illo cognomen accipit, et Plauxeitium juxta Castellum Novum solute et quiete cum tota sui integritate donavit. Predictus vero Gauterius quandam habuit filiam, nomine Lisiam : que in congregatione sanctarum ancillarum ecclesie Caritatis monachalem habitum cupiens recipere, cum dono isto, scilicet cum Portu Rabiei et Plaxeitio, velamen recepit. Quod donum pater suus Gauterius sanctimonialibus ecclesie dedit, solute et quiete cum tota sui integritate, sicuti Fulco comes illi dederat. *R.* 2, *C.* 55; *R.* 6, *C.* 65.

CCXXXVI. DE MARTINIACO, USEI, FERRARIIS ET FAIZ.

Beate memorie vidua Hadois, propter elemosinam mariti sui Walterii qui cognominatur Rabies et suam, tradidit S. Mariæ, cum filia sua puella Lisoia quam sanctimonialem (faciebat), medietatem duorum alodiorum Martiniaci et Usei, inter flumina Sartam ac Meduanam, cum mansionibus ibi intra concidem positis ac terris, vineis, pratis, collibertisque Achardo et Adelaiz sorore ejus cum infantibus eorum.

De uno horum alodiorum, id est de Uxeo, dicimam totam; in ambobus vero his alodiis, de tota parte S. Marie indulsit comes Goffridus Deo et B. Marie, pro elemosina sua, universas consuetudines preter fodriam.

Item ibi prope, ad locum quem vocant Ferrarias, comparaverunt sorores ipsius cenobii unam mansuram terre a Goffrido milite qui dicitur de Vergona, favente Hylgerio Seniore suo dominico vasso.

Rursus in eadem regione, loco qui dicitur Faiz, donavit Radulfus vicecomes S. Marie unam mansuram terre simul cum decimis et sepultura et universa ecclesiastica consuetudine, tam hujus quam illius superioris mansure de Ferrariis, quando filiam suam Theophaniam tradidit virginee professioni. *R.* 1, *C.* 9-11.

CCXXXVII. DONUM ALODII DICTI MARTINGNÉ ET UXÉ.

Omnibus catholicis christicolis per orbem longe lateque diffusis, notum sit quod ego Hadoisa, Henrici regis tempore, ante nobilis principis Gaufridi, tunc cum sua excellentissima matre ac inclita conjuge Agnete Andegavinam urbem regentis, atque earum supradictarum dominarum pluriumque procerum conspectum, jam dudum antequam fieret, locuta sum ut, post mei conjugis mortem, darem Deo, subinde S. Marie Caritatis illiusque congregationi illum locum frequentanti, meum alodium, Martingné videlicet et Uxé : medietatem propter meam quandam natam illo in loco sacratam, alteram vero pro mee animarumque meorum antecessorum, patris scilicet ac matris, redemptione. Quod prorsus, Deo annuente, sine ulla calumpnia postea ante supradictos principes priusquam morerer, uti prediximus, patravi; donumque, illis confirmantibus, super Dei genitricis altare misi. De hoc quidem dono firmiter (tenendo) testes sunt hi quorum nomina infra sunt scripta : supradictus videlicet comes, Fulco de Boderio, Allobros Robertus, Huldoinus prepositus, Robertus ejus successor. *R.* 3, *C.* 46; *R.* 5, *C.* 85.

CCXXXVIII. CALUMNIA SUPRADICTI ALODII.

Subinde, jam magno spatio temporis transacto, quedam femine supradicte filia, Adeleica nomine, maritali conubio usa, post ejus matris mortem calumpnie aliquantulum supradicto dono immisit. Nam in sui tempore supradictum consulem ingressa est : spondens illi sese daturam X nummorum libras atque equm quendam, uti in

duas medietates illam devideret terram; dans alteram partem sibi, alteram consecrate Christo sorori. Redditis tandem nummis multotiens sponsis, terra ex ipsa tractis, precepit matri sue comitisse Hildegaldi abbatisseque Bertrade S. Caritatis Marie, locum illum tum regentibus, quatinus eo pacto duas inter sorores terra divideretur: nuptaque quamdiu viveret dimidium haberet, sub mortem vero suam S. Marie redderet. Qua de re magna vi coartate, tamen equidem supradicto pacto invite permisere. Deinde, post sui mariti mortem, materne donationis reminiscens, adhuc vivens totaque alacris exstans, illam quam S. Marie medietatem abstulerat ipsa spontanea Deo matri remisit, et donum, cum quodam ligno colurno quadrato, super ejus altare posuit cum omnibus costumis quas, VII libris, a predicto consule jamdudum antea emerat: villicaturam scilicet et multonagium ac avenagium, belli duas partes, sanguinis duas partes, et V arpennos vinearum proprios atque dimidium et cum omnibus aliis rebus terrarum illarum pertinentibus, ac omnia que possederat prata illa in terra manentia. Necnon et sancte Dei genitrici suam Changei partem dedit, videlicet oblationes ecclesie terreque, terragii medietatem, decimeque quartam ac sepulture partem. Sed nunc vero quicunque donum hoc posthac contradixerit aut calumpniatus fuerit vel falsus testis aderit, sive vir sive mulier, anathematizetur atque in impiorum consortio computetur, Dathan videlicet et Abiron Judeque traditoris, qui Christum Ihesum tradidit, necnun horum qui dampnandi sunt in die retributionis justorum. De hoc quidem veraciter testes sunt hi quorum nomina in hoc continentur equore: Gaufridus scilicet Minor ac frater ejus Fulco comites, qui tunc infantes erant, Bernerius Bastardus, Stabilis vicarius, Bernardus, Garinus, Robertus prepositus, Primaldus decanus, Radulfus presbiter ac prepositus. *R*. 3, *C*. 47.

CCXXXIX. RESTITUTIO EJUSDEM ALODII.

Omnibus sancte ecclesie filiis, tam futuris quam presentibus, ego Adelaica Garterii Ragi filia notifico me fecisse donationem S. Marie Caritatis, per quoddam lignum goldrillum (1), ex omni terra mea: medietatem videlicet de Plesseit totamque Martigné cum omnibus pratis in ipsa terra existentibus et cum omnibus costumis quas a comite

(1) Melius *coldrinum, colurnum*.

Gaufrido, Fulconis filio, VII libris redemi : villicaturam scilicet multonagium, avenagium, belli duas partes, sanguinis duas partes, ac quinque vinearum arpennos dominicos et dimidium. Necnon dedi meam partem Changee : videlicet oblationis ecclesie medietatem, terreque ac terragii et decime atque sepulture quartam partem. Quicunque hoc donum, Deo devotum ejusque matri, calumpniatus fuerit aut contradixerit seu isti loco subtraxerit, sive vir sive mulier, anathematizetur. *R.* 6, *C.* 5.

CCXL. CALUMNIA HILDEMANNI DE ALSINNIACO.

Sit firmiter in memoria successorum nostrorum, per hujus scripture noticiam, veritas rei : qualiter commovit lites Hildemannus de Assiniaco contra nos sanctimoniales S. Marie de uno molino, quod nominatur Galterii Rabiosi, et de habere mobili Hadoisse vidue, socrus sue, quod illa moriens totum dimiserat S. Marie; et qualiter idem Ildemannus utramque contentionem dimisit, de neutra illarum legem facere ausus nec recipere.

Priori loco de molino sic est vera ratio. Predicta Hadoissa dimiserat illud totum S. Marie pro amore filie sue, Lysoia, quam sacraverat Christo virginem; et tenuerunt illud sanctimoniales longo tempore quiete sine calumpnia. Postmodum impetravit Hildemannus et uxor ejus Adelaiz, per supplicem precem et per intercessionem domne Hildegaldis comitisse, a domna Leudburge abbatissa et reliquis hujus congregationis sororibus, quartam partem ipsius molini, in vita sua tantummodo et uxoris sue : ita ut nullus heres ibi hereditatem clamaret post eos; per talem convenientiam ut ille molinum illud liberaret de cenagio quod illic clamabat Hubertus Sturlincus, et faceret ibi molere villanos de terra sua per bannium, et suppeditaret illis materiam de suo bosco ad illud molinum necessariam. Post aliquot annos postquam particeps factus est, movit de eodem molino calumpniam, clamans totam medietatem ejus hereditario jure per uxorem suam, supradicte Haduisse filiam. Prebuit se testem Radulfus presbiter in plena curia quod vidisset S. Mariam tenere molinum illud uno anno et uno die sine calumpnia, et postea interfuisset conventioni ubi Hyldemannus gratanter quartam partem ejus recepisset ab abbatissa, ad vitam suam et uxoris sue tantummodo, per suprascriptam conventionem; et hoc testimonium suum volente Radulpho presbitero per jusjurandum confirmare, calumpniatus est illud Hildemannus per

duellum campionum. Ventum est ad terminum. Habuit Radulfus campionem suum paratum. Videns hoc Hildemannus, non ausus est duellum facere, sed constituit se judicium Dei recipere. Iterum ad terminum statutum recepit Frotmundum hominem Radulfi in custodiam suam, ad judicium Dei portandum, et tenuit illum per dies tres. Postea, nolens judicium recipere, hominem dimisit abire et sic, calumpnia sua non effecta, ad priorem quartam partem reversus est habendam in vita sua et uxoris sue.

De peccunia mobili sic est ratio. Hadois in vita sua, suscipiens sanctum velamen, delegavit S. Marie omnia bona sua et alodium et edificamenta et pecuniam mobilem. Post mortem ejus, reclamavit Hyldemannus et uxor ejus medietatem omnium. Ventum est in judicium comitis. Adjudicavit curia ejus Hyldemanno medietatem alodii et edificamentorum; iterum alteram medietatem et totum habere mobile S. Marie. Quod ubi factum est, percepit Hildemannus medietatem illam et de mobili pecunia per longum tempus conticuit, hoc est per annos circiter septem. Postea, putans judicium in oblivionem jam venisse, iterum reclamavit medietatem mobilis pecunie et invasit inde culcitras octo. Ubi ventum est in judicium, fecit se testem Radulfus presbiter quod ipse vidisset et audisset prius judicamentum: ubi adjudicata fuisset (coram) Hildemanno tota mobilis pecunia Hadoisse et nolente eo adjurare. Hyldemannus rursus et Drogo filius ejus, calumpniatus jusjurandum, constituit inde facere duellum. Cum ventum est ad terminum, habuit Radulfus paratum campionem suum; nec tunc venit (Hildemannus) ad placitum illud nec exonium ullum mandavit: unde coactus est legibus culcitras quas ceperat cum lege sua reddere, et postea de querela illa tacere.

Hec jura comes Gaufridus dijudicavit. Hii autem interfuerunt: Adelardus, Alo de Losduno, Gaufridus prepositus, Hilduinus prepositus, Ingelgerius Adidos, Raerius miles, Marcuardus, Fromundus de Fano, Ebo de Castro. Ad supradictum duellum faciendum fuerunt parati campiones: Garnerius, Giraldus Halopez, Andreas. Illud autem viderunt et audierunt: canonici S. Marie Primaldus archipresbiter, Radulfus presbiter, Albertus, Adelelmus, Andreas vicarius, Garnerius, Admanus, Gitbertus, Frotmundus, Fulcuinus, Ascelinus Tancidus, Daniel, Stephanus, Bernaldus coquus. *R.* 1, *C.* 52.

CCXLI. DE BURGO FACIENDO IN VIRGULTO GAUTERII RABIEI.

Sanctorum venerabilium patrum ammonitione et sapientium virorum traditione, monemur res bene gestas et sano animo ecclesiis Dei a religiosis viris sponte concessas posterorum memorie mandare : ut, dum humana mens per diversa vagatur, aliqua oblivione vel oppressione aut senio gravata, (non) valeat amittere quod valde útile est, ut diximus, posteris commendare. Tempore igitur Fulconis, beate memorie Andegavorum comitis, Gauterius Rabies dedit sponte sua virgultum cum filia sua Lisia, quando fecit eam monialem, Deo et B. Marie Caritatis et monialibus ibidem Deo servientibus. Quod virgultum Richildi Fulco comes concessit et conventui S. Marie, ad hominum edificia et domos, solutum et liberum ab omni costuma; et hoc ecclesia S. Marie tenuit liberum et solutum et quietum, tempore predicti Fulconis et Martelli successoris ejus et Fulconis regis Jerusalem et Richildis abbatisse et Theburgis et Mabile et Hildeburgis et tempore Ogerii Forrarii et Odonis et Ivonis, et tota pars villicature comitis que erat in terra predicti Gauterii. Hoc donum vidit et audivit Hertaudus de Briolé et Gauffridus ejus ..... et Eusebius episcopus et Albericus capellanus.

Gauterius Rabies S. Marie caritatis dimidiam villam Plaxicii et suum virgultum, quando Lisiam filiam suam monacham fecit, donavit et sano animo concessit. In quo virgulto Fulco comes domorum edificia et burgum fieri precepit et conclusit, et a forragio ceterisque costumis ad se pertinentibus predictum burgum cum suprafacta villa libere absolvit et in perpetuum liberam esse concessit. R. 2, *C.* 64.

CCXLII. JUDICIUM DE FORRO VILLANORUM PLAXITII.

Tempore quo Robertus prepositus adhuc vivebat, qui et lapidibus atque fustibus postea mactatus expiravit, Ivelinus Vetarius Lisoiam monacham, que tunc temporis villicationem apud Plaxitium exequebatur, de forro comitis causatus est. Querebat itaque forrum de his : de Isemberto de Faiso, Radulfo Constantino, Lamberto Birgerio, Joberto Ortolano, Rainaldo Jostohino, Roberto Russet, Bernaldo de Chambillis. Itum est inde in jus. In cujus juditii examinatione advocati fuerunt cum preposito comitis, videlicet Roberto supranotato : Robertus Allobros, Guillermus de Javardulio, Albericus de Forceia, Babinus de Raes. Ex parte vero dominarum affuit : Fulcoinus Veta-

rius, Giraldus Calvellus. Perhorruit (1) igitur Lisoia monacha supra dictos ruricolas, nec in tempore Goffridi Martelli nec antea, hanc forri consuetudinem reddidisse. Unde, facto juditio, dedit sententia hanc de qua diximus cosdumam nequaquam reddi neque expeti debere que nunquam reddita fuerat; sicque quieta domina illa cum suis villanis remansit in pace. *R.* 2, *C.* 65; *R.* 1, *C.* 3.

CCXLIII. LIBERTATES ET IMMUNITATES RERUM ET HOMINUM S. MARIÆ.

Mentibus posterorum inserere memoriter voluimus quod Liseia, S. Marie sanctimonialis, deseruit burgum Caprarias solutum et quietum de farragine, illam partem videlicet que est ante domum de Plesseio, cum Ivone et Gauterio vicariis comitis qui clamabant ibi, injuste tamen, forragium esse capiendum; qui merito devicti sunt judicio. Hoc vidit Robertus Mariscallus, qui tunc temporis erat Andegavis prepositus,et Guillermus de Javardulio. Ex parte abbatisse fuerunt : Fulcoius Godoet, Fraaudus Bos, Garinus de Plesseio, Raginaldus forestarius. Ex altera parte autem ipsius Plesseii, est domus Bernardi de Cambillis et domus Lamberti Bergarii et domus Raginaldi forestarii et domus Gosleni Ni Qui Venit de Cambillis, que omnes solute sunt et quiete a farragine. Ortolanus (2) qui etiam stat ante portam de Plesseio est solutus ab omni costuma. Paagium totius terre que est de Plesseio solutum (est) et quietum monialibus S. Marie de hominibus earum. De rebus pertinentibus ad villicationem si quis acceperit bellum, due partes de districtione erunt monialium. Si quis percusserit cum armis ferreis, II solidos et dimidium emendabit. De incendio iterum habebunt duas partes et de rapto similiter. Si quis de clientibus S. Marie in domo per latrocinium aliquid forisfecerit, totum forisfactum erit sanctimonialium nisi extra portam illud detulerit. Terra de Travalleio, que fuit Rosce, soluta est et quieta omni cosduma, excepta farragine et exceptis II solidis et obolo de censu qui redditur domino de Javardellio. Tota terra de Ferreriis soluta et quieta (est) monialibus S. Marie. Apud Areiunt habent moniales unum bordagium terre et quarterium vinee solutum et quietum. De terra quam Guillermus de Auxiniaco abstulit abbatisse, panis, candela, decima, sepultura reditur monialibus. Ad Briesartam habent

(1) Var. *Promisit.*
(2) Melius *Hortulus.*

unum molendinum quietum, excepto rivulo, quem abstulit eis Haimo Guvardi summa violentia. *R.* 5, *C.* 99.

CCXLIV. JUDICIUM DE CALUMNIA GUILLERMI DE ALSINNIACO.

Terram Gauterii qui dictus est Rabies et uxoris sue Haduis tenuerunt sanctimoniales femine Caritatis ecclesie longo tempore absque calumpnia : donec, Fulcone comite Andegavensibus dominante, nepote magni principis Gaufridi, Guillermus, filius Gauslini de Alsinniaco, fecit clamorem Fulconi comiti de sanctimonialibus. Tunc comes, constituto termino, fecit in camera sua convenire Guillermum et sanctimoniales. Deinde, discussa ab utraque parte querela, rectum esse invenerunt judices ut judicio probaretur res his verbis, comprehenso sacramento : « Audi homo, qui per manum me tenes, illo pacto jussit comes Gaufridus ut redderetur ista terra Adelaidi ut, post mortem ipsius, rediret ad S. Mariam; hoc sciente Hildemanno viro suo. » Hujus autem judicii fuerunt actores : ipse comes Fulco, Robertus Allobros, Rainardus filius ejus, Hamo de Valle, Hugo Meduane. Et statuerunt ut homo S. Marie juraret sacramentum, deinde portaret judicium : concedente Guillermo, vidente et audiente Alberico de Lainiaco, Gauslino de Puzia, Odrico filio Herberti Esturlinci, Hisembardo de Ulliaco, Fulcoino vicario, Stabulo vicario, Tetberto, Cristiano de Spiniaco, Gaufrido Daniele, Rainaldo cellerario; canonicis : Angerio, Roberto Adelelmo, Garino de Plesseicio. Ad terminum vero judicii, parati fuerunt quinque legitimi viri de hominibus S. Marie, ut quemcunque de his eligeret Guillermus reciperet ad judicium portandum, scilicet : Christianus de Spiniaco, Fulcoius frater Rainaldi, Robertus de Spiniaco, Lambertus Pastor Ovium, Rainaldus de Plexeicio. Hos homines obtulerunt Tetbertus, Fulcoinus et Stabulus; testibus : Giraldo preposito, Roberto marescallo, Garino cellerario, Rainaldo Burgevino, Stephano cellerario comitis; sed non fuit qui reciperet : matri etenim ipsius Guillermi fuerunt oblati, in domo Gaufridi Piqueloti. *R.* 1, *C.* 54; *R.* 3, *C.* 15; *R.* 5, *C.* 88.

CCXLV. DONUM TERRARUM DE TRAVAILLEIO ET DE HAIA.

Notum sit tam presentibus quam futuris quod Hugo Antiquus de Jarvardeil sanctimonialibus S. Marie Andegavis terram de Travailleio et de Haia dedit, ipsis singulis annis in festo S. Johannis II solidos de censu sibi reddentibus. Post mortem vero Hugonis, Guillermus

filius suus, jure succedens hereditario, donum patris sui dedit et concessit et confirmavit; et cum Matilde matre sua, in congregatione B. Marie cum reliquis sororibus monialem habitum recipiente, census illos supplicavit et ad unum obolum in festivitate S. Johannis reddendum. *R.* 2, *C.* 35.

CCXLVI. DE INJURIIS ILLATIS AB HUGONE DE GAVARDULIO.

Quando Hugo de Gavardil interfecit hominem episcopi, cepit Radulfum de Fail et redemit eum XL solidis, et armiger suus habuit inde V solidos; et abstulit ei duos boves precii L solidorum et tantum rapine quod valebat XXV solidos, (et) terram quam habuit S. Maria ad Travailli, quam libere temporibus antecessorum sic tenuerunt sanctimoniales ut nichil inde unquam alicui, neque Guillermo patri suo neque alicui antecessorum suorum, redderet, exceptis II solidis et obolo. Modo autem domnus Hugo, per violentiam suam, injustam consuetudinem ibi posuit, accipiens lenagium et vendas et pedagium; ducitque eos in equitaturas suas, quod nunquam amplius fuit consuetudo. Rainerio quoque, meditario S. Marie, quia in exercitum propter jussum suum ire noluit, suos boves abstulit, redemitque eos vicarius suus VI solidis. In Capite Jejunii, fregit quandam domum in terra S. Marie et abstulit Landrico duos boves. Lambertus quoque armiger ejus furatus est noctu Raginaldo Bordel porcos suos : quos ille insequens, invenit eos in potestate vicarii sui Hivonis, nec eos habere potuit; affectusque verberibus, rebus infectis, recessit. Garnerius de Fontiniaco fecit proclamationem contra homines S. Marie in curia sanctimonialium. De quo, cum sibi jus facere nollent, iratus recessit accepitque boves Bernardi Barre, bubuculumque suum misit per fiduciam et boves per plegium. Querit etiam ab hominibus ut faciant sibi, in castro suo, balcheiam, contra jus atque consuetudinem. De qua re sanctimoniales in curia comitis sive episcopi, de cujus feodo res est, jus ei offerunt; sed ille vult eas in curia sua cogere : atque ideo injuriose terram earum atque homines non cessat gravare quibuscunque modis potest. *R.* 3, *C.* 14.

CCXLVII. DE EMENDATIONE INJURIARUM SUPRADICTI HUGONIS.

Quoniam, caritate multorum tepescente habundanteque iniquitate, presens etas, a bona priscorum virorum propagine degenerans,

ea omnia ecclesie Dei per fascinus auferre molitur que illi, ad opus in ea Deo militantium, majores nostri, viri religiosissimi, religione contulerant, litterarum monimentis tradere curavimus qualiter Hugo de Javardeillio coram Raginaldo Juniore, Andecavorum episcopo, in claustro S. Marcelli apud Brioletum, de omnibus querelis quas adversus eum (sanctimoniales) habebant, ipse in eas, Goffrido domino ipsius prefati castri multisque aliis videntibus, concordiam fecerit. Cum enim Radulfum de Fail, quendam agricolam S. Marie, cepisset eumque redemisset nec super injuria sufficientem rationem reddere posset, gagiavit domne Theburgi abbatisse quicquid ei injuriose abstulerat. De Travalliaco item pedagium, quia illud de extraneis hominibus clamabat, acceperat; cumque se juste fecisse probare niteretur nec posset, gagiavit forfactum in manu abbatisse predicte, unde ipsa accepit IV denarios eosque, in rei geste memoriam, secum detulit. Clamabat quoque in terra S. Marie de Plaxeio balceias ad suum castrum faciendum atque pontem suum. Cumque hoc in antiquiorum virorum, qui rei veritatem atque consuetudines cognoscebant, inquisitione positum esset, asseruit, videntibus omnibus qui aderant, Lisiardus de Castulo, qui tunc natu major atque in curia credibilior habebatur, licet ex sua parte esset, se nunquam hanc costumam in terra illa habuisse. Addidit etiam quod jure in terra illa nichil clamare poterat, exceptis II solidis et obolo de censu qui de terra Travalliaci sibi debebantur. Acceperat quoque Fraaudus Bos, vicarius suus, V solidos de homine S. Marie, quia in exercitum propter suum jussum ire noluerat. Hos item Tetburgi abbatisse gagiavit : decretumque est, ab episcopo et baronibus astantibus, quod ipse homines S. Marie in expeditionem neque exercitum cogere poterat; sed si consul in publicam expeditionem ire volebat, ipse moneri facere servientem S. Marie debebat ut eos ad exercitum cogeret. Has autem omnes contentiones finierunt sanctimoniales apud S. Marcellum Brioleto, coram episcopo Raginaldo atque Goffredo de Brioleto; videntibus his, ex parte S. Marie : Guitone de Civitate, Goffrido Burgundione, Gauterio Cornuto, Guiberto, magistro Raginaldo Fossardo, Galterio Rufo, Ernaldo coquo, Guillermo archidiacono, Garnerio archidiacono, Richardo decano, Stephano cantore, Alberico capellano. De monialibus iste interfuerunt : Orieldis secrestena, Constantia, Adeladis de Camiliaco, Hersendis de Valleia. Cum eo fuit : Fraaudus Bos, Lisiardus de Castellone, Ivelinus mulnerius. *R.* 2, *C.* 2.

CCXLVIII. DIMISSIO CALUMNIÆ FRAAUDI BOS.

Quoniam, errore vel negligentia humani animi, multa preteritorum virorum gesta considerantur oblivioni esse tradita, ne similiter errorem eorum incurrisse videamur, volumus ea que agimus litteris commendare, et ita tenaci memoria firmiter retinere. Volumus igitur omnibus hominibus manifestare quod Fraaudus Bos calumpniabat mansionem Roberti Rufi et quarterium terre quod erat proprie proprium dominarum S. Marie. De qua calumpnia venit ad placitum ante Theburgim, S. Marie tunc temporis abbatissam, et ante Hugonem de Javardellio; et inde cepit judicium manu propria. De quo judicio, tempore constituto, defecit et calumpniam supradictam solidam et quietam clamavit et, palam omnibus astantibus, se injuste calumpniam fecisse confirmavit. Pro qua calumpnia violenter facta, affidavit fidem suam Raginaldo Fossardo, jussu Hugonis qui ibi aderat, quod omnes cosdumas et omnes divisas de terra S. Marie, sicut ille qui bene noverat, abbatisse vel hominibus suis ostenderet. Hoc viderunt et audierunt moniales que erant cum abbatissa : Adeleldis de Camilliaco, Hersendis, Hugo de Javardellio et Meno pelletario, Moricius Goherius, Adelardus filius Garini, Raginaldus forestarius, Lambertus Cauda Leporis, Fromundus marescallus et Rainerius clericus. *R.* 6, *C.* 18.

CCXLIX. DE DECIMA SUHARDI DE BAÏVO.

Notum sit tam presentibus quam futuris quod Suhardus de Baïvo vendidit quandam decimam monialibus S. Marie, de qua debuerunt ei dare XX libras; sed clamavit eis C solidos quietos pro molendino Guinoarii, quod debebat eis facere pro filia sua quam (monialem) acceperant. Alios C solidos clamavit quietos quod receperunt eum et uxorem et filios in beneficio S. Marie; Bernardus vero de Gastinis, cliens ipsius Suhardi, recepit X libras. Et ut hec ventio rata esset, confirmavit eam ipse Suardus ponendo baculum super altare S. Marie. Hoc vidit Tebertus prefectus et Raginaldus Fossardus et Bernardus de Gastinis et alii plures. *R.* 5, *C.* 17.

CCL. DE DECIMIS BERNARDI ET SUHARDI DE GASTINIS.

Hoc etiam volumus notare quod Bernardus de Gastinis dedit monialibus S. Marie decimam totius terre sue, tam pecudum quam alia-

rum rerum, quia moniales acceperunt eum in beneficio S. Marie. *R.* 5, *C.* 18.

Decimam emit abbatissa, consilio sororum, de Suhardo Gastine de VI mansuris terre et de VIII arpentis vinearum, datis X libris : eo pacto ut ipse faceret annuere dominis de quibus tenet decimam infra propinquiorem Nativitatem Domini, et ipse et uxor sua et filius ejus reciperentur in beneficio ecclesie et, cum obierint, auferrentur huc cum donis que sponte suo funeri disposuerint. Teste Hardreto Calumnie, Fulcardo Juvene, Hugone Aquila, Teberto, Garino preposito, Gauterio canonico, Rainaldo cellerario. *R.* 1, *C.* 18.

CCLI. DONUM SUHARDI DE BAÏF, DE DECIMA ET PRATIS.

Scribendo notum facimus presentibus et futuris fidelibus quod Suhardus dedit sanctimonialibus ecclesie Caritatis totam decimam de Gastineriis et prata de Portu Rabiei, cum Johanna filia sua ipsa earum habitum suscipiente. *R.* 2, *C.* 62.

CCLII. DIMISSIO TERRÆ DE CONTIGNEIO.

Galterius de Jugneio, mercerius, et Maria uxor ejus dimiserunt terram de Contigneio, super librum S. Marie Andegavensis, pro XXV solidis; et scriba dedit eis panem et vinum in hospitio suo, quando reddidit denarios. *R.* 6, *C.* 20.

CCLIII. DONUM RADULFI, VICECOMITIS DE S. SUZANNA, APUD CONTINEUM ET FAÉ.

Modernis et posteris cognitum fiat Radulfum, vicecomitem de Sancta Subsanna, sanctimonialibus ecclesie S. Marie Caritatis unum bordagium terre ad Contineum et quandam terre masuram ad Faé dedisse, cum Godoholde filia sua monialem habitum recipiente. *R.* 2, *C.* 56.

CCLIV. CONCESSIO VICECOMITIS DE LUSDIO APUD CONTINIACUM.

Sciendum est presentibus et futuris Radulfum, vicecomitem de Bodio (1), terram de Fait nemusque de Vergal et quicquid sanctimonialibus (et) cenobio Caritatis in parrochia Continiaci calumpniabatur, pro beneficio societatis monasterii et pro X denariorum libris

(1) Sic.

quas a Richilde abbatissa habuit, in crastino S. Mauricii festivitatis, pleno capitulo, perpetualiter S. Marie locique sororibus concessisse, donationemque super altare manu propria posuisse; testibus : Hugone de S. Laudo, Johanne decano, Bernardo canonico, Godefredo Normanno, Garino de Plessitiaco, Caraduc, Roberto de Castello Briencii, Gaufrido Daniel, Rainaldo de Brachesac, Rainaldo vicario. *R.* 1, *C.* 90.

CCLV. DE CENSU QUEM DEDIT ERNESIUS BOISSEL APUD FAIL.

Ne incuria preteritum oblivioni tradatur, tam presentium tam futurorum memorie scriptum relinquimus quod Ernesius Boissel dedit dominabus in ecclesia S. Marie Caritatis Deo militantibus, pro anime fratris sui Raginaldi interfecti remedio, quem honorifice in cimiterio suo humaverant, ac sue antecessorumque atque amicorum suorum, duos solidos de censu quos ipse, in Nativitate Domini, ad Fail sibi debebant. Et quia ad recompensationem suscepti beneficii hoc parum sibi videbatur, fere ex instinctu pietatis lacrimans, se adhuc copiose, pro facultatum suarum possibilitate, emendaturum promisit. Utque hoc quod eis dederat de jure proprio libere absque omni calumpnia in perpetuum cum tranquillitate obtinere valerent, hoc donum ipse super altare posuit, videntibus testibus istis; ex parte S. Marie : Giraldo canonico, Raginaldo cellerario, Stephano, Fromundo, Burdino; Theburge abbatissa, Maide, Adelaide de Camiliaco, Fabiana, Milesende celleraria; ex parte vero sua : uxore sua Bileilde, Godefredo suo vicario. Utque adhuc firmiori stabilitate solidaretur, promisit se facturum concedere fratres suos omnesque amicos suos quoscunque ille postularent. *R.* 1, *C.* 86.

CCLVI. QUALITER TERRA DE FAI TRADITA EST AD MEDIUM LUCRUM.

Res scripta memoriale est et diuturnum et non inutile. Notum sit igitur tam posteris quam presentibus quod Emma de Lavalle, S. Marie Andegavensis abbatissa, et conventus ejusdem ecclesie tradiderunt terram de Fai Horrico de Fai et filio suo medio lucri, quantum eam legitime colere valebunt, ipsis monialibus nichil mittentibus in illa terra nec in bobus nec in aliis extrinsecis, preter seminis medium. Cujus rei testes sunt : ipsa abbatissa, Milesendis de Chimilleio, Mabot decana, Eremburgis, Bernada; Isembertus siniscallus, Emenotus ca-

pellanus, Raginaldus Andegavensis, Barrilerius, Talebotus capellanus abbatisse, Cofide, Guillermus cenerarius et plures alii. *R.* 5, *C.* 35.

CCLVII. DONUM TERRÆ DE FERRARIIS.

Notum fieri decrevimus, tam futuris quam presentibus, quod Guillermus Anxiotus sanctimonibus ecclesie Caritatis, pro suorum remissione peccatorum, terram de Ferreriis dedit. *R.* 2, *C.* 61.

CCLVIII. CALUMNIA DE TERRA FERRARIARUM.

Apud Ferrarias uxor Starcharii filieque ejus nobis jam dudum vendiderunt quamdam terram, Ingelgerio dominico vasso auctorizante, de cujus est fisco. Quam calumpniavit quidam miles nomine Hubertus, ob quam calumpniam LXVI solidos illi dedimus : qui protinus clamavit eam solidam et quittam per XII annos. His autem peractis, surrexit quidam equitarius nomine Josbertus, filius Guigerii, calumpnians ipsam terram per quandam mulierem quam sibi acceperat uxorem. Nos tamen, Dei fidentes auxilio ejusque genitricis, apud comitem fecimus clamorem istius calumpnie. Qui inclitus comes, quanvis gravi tunc teneretur infirmitate, tamen istos duos milites, Hubertum atque Josbertum, sibi assistere precepit : jubens principibus suis ex hoc tenere placitum. Hubertus autem illico se denegavit recepisse a nobis LXVI solidos supradictos, atque omnem convenientiam quam nobiscum firmaverat prorsus abnuit. Tunc surgens procurator noster Radulfus, obtulit se (ad) Dei judicium ferendum quod omnino assereret non verum; quod Hubertus renuit, se duello offerens. Qui convictus ab omni caterva principum, tamen recognovit S. Marie ancillarumque ejus rectum. Annuit ergo ipsam quam hactenus calumpniaverat terram, presente Guillelmo Roberti qui, per inanem concupiscenciam, frustra calumpniam immiserat. Hec vero acta sunt videntibus et audientibus his testibus : Roberto fratre Gervasii presulis, Guidone fratre Roberti Burgundionum, Ivone de Jallia, Fulcone de Boeria, Tetbaldo Florenti, Hamelino de Corzeio, Roberto filio Frogerii, Lamberto canonico S. Martini, Ulrico preposito de Brachesac, Stabilis vicarius S. Marie aliique quam plurimi. *R.* 1, *C.* 59.

CCLIX. CALUMNIA DE TERRA AD MONTEM BAIEN.

Quoniam quidem mortale hominum genus diu stare non potest et

omnia que in mundo sunt, more fluentis aque, pretereuntia sunt, superest ut illorum gesta memorie nostre commendemus que forsitan bona nobis aliqua providenter propagaverunt. Unde nos memorabile quoddam succedenti profuturum evo, litterarum notulis, assignavimus : pravam scilicet et omnino eradicandam consuetudinem quam Adelardus de Selona in terra S. Marie que est ad Montem Baïen mittere nitebatur. Arripuerat ergo Andream nomine, mediatorem illius terre, boves quoque et annonam ipsius. Unde clamore facto, ventum est ad judicium ad Selonam, coram Raginaldo episcopo : et causa ex utraque parte ventilata et vanno curie cribrata, judicatum est quod Adelardus super res ab antecessoribus suis et a se ipso ecclesie B. Marie concessas vim mittere nequaquam deberet; quod vero male egerat, per emendationem corrigeret. Vadiavit itaque Adelardus hoc forfactum in manu Tetburgis abbatisse, cum anulo episcopi, et que abstulerat soluta reddidit : pro quo vadio Adelardus ille episcopum cum tota pene curia in petitionem adversus abbatissam misit ut ei, non ultra tale quid facturo, condonare dignaretur. Quorum peticionibus domna abbatissa humiliata, pie quesita misericordia, donavit affectu. Necdum vero bene securus de malefacto suo quia matrem domini, immo dominum in matre, offenderat, censum ejusdem terre B. Marie condonavit cum anulo episcopi. Quod viderunt et audierunt : episcopus Rainaldus, Radulfus ipsius capellanus, Stephanus cantor, Peloquinus, Paganus, Barbotus; abbatissa Tetburgis, Burgundia de Castro Gunterii, Haduisa de Sanceio, Richildis de Danfront et mater; Giraldus Vetarius, Menna, Warinus Vetarius, Bos, Robertus de Jovinniaco, Papinus filius Adelardi de Selona qui hoc concessit, Hugo de Jarvardulio, Guido de Castellulo et multi alii. *R.* 2, *C.* 4.

CCLX. CONCORDIA INTER MONIALES ET GAUTERIUM DE LATEIO.

Gauterius de Lateio habuit terram patris sui Tetbaldi et totum ejus feodum et feodum Giraldi Jovencelli. De hujus predicti Gauterii feodo, abbatissa et sanctimoniales ecclesie B. Marie de Caritate de eo quedam, sed cum conventione habebant. Finita vero ad ultimum contentione que in alterutrum habebatur, multis tamen antea ex utraque parte hominum multociens conventionibus ad placitandum paratis, veritati et eorum rectitudini diu fallaciter detente acquiescens, que eis auferebat tandem in pace habere concessit. Hujus insuper feodi, quod sibi proprium retinuerat, si aliquid de manu sua,

dono vel vadimonio vel venditione, eiceret (1), predicte ecclesie et sanctimonialibus adjudicavit dimittendum. Pro hac itaque concessione et dono perhenniter futuro, dedit ei abbatissa XXX solidos. Et si in loco propinquo moreretur, sine aliquo dato precio, corpus ejus honorifice tradere sepulture promisit; si vero, propter loci absentiam, ad ecclesiam non posset afferri, sicut pro aliis ecclesie benefactoribus, omnis sanctimonialium conventus pro ejus anima debitas Deo redderet orationes; dum autem viveret, caritatem de ecclesia, scilicet III michas et III justas, unoquoque anno, si peteret, in hujus doni reciperet memoria. Facta, ut dictum est, hujus dissensionis concordia, ipse Gauterius donum fecit (et) Theburgim abbatissam inde cum baculo saisivit. Goffridus vero de Brioleio, predicti feodi dominus, qui ibi aderat, hoc concessit. Viderunt et isti subscripti testes : Goffredus Hasletus, Giraudus prepositus, Goffridus Burgundius, Tetbertus, Rainaldus Fossardus, Babinus filius Robo, Goffridus nepos Osanne de S. Cruce. Sanctimoniales que cum abbatissa venerant viderunt ista : Burgundia mater Adelardi, Warsendis Cenomannica, Hersendis de Lavalle, Adelais de Chimilleio. *R*. 2, *C*. 1.

CCLXI. DONA LISIARDI ET PICAUDI AD PLESSEITIUM.

Quoniam que litteris commendatur prudentes majoris auctoritatis esse testantur, dignum fore arbitramur elemosinam quandam B. Marie de Caritate, ad Plesseitium, datam vivaci et legitimo litterarum testimonio commendare. Innotescat itaque posteritati fidelium quod Robertus Lisiardi pariterque uxor ejus, villicatum quem a grandibus portis sanctimonialium usque ad domum earumdem habebant, cum tota occupatione rerum ibidem adjacentium, B. Marie in elemosinam dederunt; et, ad caritative elemosine confirmationem, ipse XV solidos, uxor sua III a sanctimonialibus acceperunt. Hoc autem concesserunt : Papinus de Sanonis cum uxore sua et filio suo Adelardo, de quorum feodo res erat. Hujus rei sunt testes : Goffridus de Castaneio, Dionisius Albinus, Landricus, Garinellus de Martiniaco, Bernardus Belline. Sciendum est postea quod Silvester Picaudi, ad supradictum Plesseitium, unam decimam dedit B. Marie in elemosinam. Hoc donum uxor sua concessit que, ad elemosine confirmationem, V solidos a sanctimonialibus accepit et maritus ejus XX. Hujus doni

(1) Melius *ejiceret*.

sunt testes : Lambertus Garini, Bernardus ejus filius, Benedictus Crispini, Aubertus de Ligniaco, Garinus de Molcenaria, Boselinus dapifer, Marquerius prepositus. *R.* 4, *C.* 15.

CCLXII. DE TERRAGIO DIMISSO A NORMANNO DE RUFARIA.

Presencium et futurorum noticie fiat cognitum quod Normannus de Rufaria illud terragium, de quo fuerat controversia inter ipsum et Agnetem de Plesseciaco, tali conditione ecclesie S. Marie donavit et concessit ut ipse et uxor sua et parentes ipsius in omne beneficium predicte ecclesie reciperentur; et hoc dono (ecclesiam) S. Marie, sigillo Ameline abbatisse, investivit et libere in perpetuum habere concessit. Hoc viderunt et audierunt isti testes : de Monte Fauteri decanus Adelardus Barre, Silvester Picaut, Radulfus et Menardus canonici; Mainerius dapifer, Undeleisius pistor, Odo cellerarius, Agnes sacristana, Osanna celleraria. *R.* 2, *C.* 19.

CCLXIII. JUDICIUM DE TALLEATA IN TERRA PORTUS RABIEI.

Modernis et posteris cognitum fiat Bichetellam cum sanctimonialibus ecclesie Caritatis longam habuisse contentionem; nam in terra de Portu Rabiei XII denarios talleate reclamabat. Quapropter ad Castrum Novum, in curiam regis, ad rectum convenerunt : et ex utraque parte audita ratione, judices judicaverunt quod sanctimoniales de terra illa nisi III obolos non debebant reddere; et ei in curia obtulerunt. Et isti adjudicatores fuerunt : Hugo de Turonis, tunc temporis siniscallus, Fulco de Cleers, Nichol, Orricus de Estriché, Mauritius de Plaxitio, Herveus portitor, Isembertus de Rupe Forti et plures alii. *R.* 2, *C.* 72.

CCLXIV. COMMUTATIO QUARUMDAM TERRARUM.

Notum sit omnibus quod Stephanus dedit se et terram suam sanctimonialibus S. Marie Andegavis; quam terram sanctimoniales muaverunt cum Albino de Plesseiz cum quadam alia terra, reddentibus sanctimonialibus per annum Albino XII denarios de censu. Cujus rei testes sunt isti : Emma abbatissa, Moitia segrestana, Isabel celleraria, Albina, Margarita de Castro Gunterii; magister Guido, Tesun, Hengenor, Gauterius de S. Lazaro, Hissembertus siniscallus, Petrus Garini, Brito coquus, Guillermus cellerarius, Bodinus, Brun de Esculei, Pasquerius, Menardus et plures alii. *R.* 4, *C.* 81.

CCLXV. CARTA THEPHANIÆ ABBATISSÆ, DE CONCESSIONE TRIUM MOLENDINORUM ET CUJUSDAM VINEÆ.

Litterali monimento ad noticiam posterorum transmittere res memoratu dignas, antiquorum et prudentium virorum probabilis instituit auctoritas. Eapropter ego Thephania, Dei permissu B. Marie Caritatis apud Andegavum abbatissa, presentibus atque futuris certum et constans esse desidero me, cum assensu capituli nostri, dedisse Stephano de Brioleto, qui Francigena cognominatur, quicquid habebamus in exclusa et molendino de Portu Ragio, ad vitam suam termino : nam post obitum ejus res ad nos revertetur; pro qua re reddet ecclesie nostre et capitulo singulis annis XX solidos ad festum sancti Albini. Dedimus etiam ei quicquid habebamus in exclusa et molendino de Pontibus, hereditario jure possidendum sibi et ut faceret de eo quicquid vellet et pro hac re redderet annuatim capitulo nostro in Pascha XX solidos. Preterea dedimus ei et heredibus suis, perhenniter possidendum et ad faciendum quod vellet, quicquid habebamus in exclusa et molendino de Columbello; pro quo reddet annui census X solidos capitulo nostro ad festum omnium sanctorum. Insuper dedimus ei arpentum vinee inculte ad Pineam Rocham ad faciendum quod voluerit. Hec omnia, facta in capitulo nostro, viderunt et audierunt isti : Gaufridus Bevinus canonicus B. Mauritii, Garnerius capellanus ejusdem ecclesie, Pasquerius presbiter, Ermenjadis cellaria, Milisendis decana, Oitia sacristana, Tephania elemosinaria, Guiotus dapifer earum, Laurentius de Leone, Rainaldus celararius, Gorranus camerarius, Gaufridus Garnerii, Guillermus de Brientione. Actum anno ab incarnatione domini MCLIV°, Henrico duce Normannie et Aquitanie, et Andegavie comite. *R.* 5, *C.* 39.

CCLXVI. EMPTIO MOLENDINI APUD BRIESARTAM.

Inter alias coemptiones quas S. Marie Caritatis sanctimoniales fecerunt in feuo Bernardi filii Gaufridi Festuce, per ipsius concessum, sine ulla calumpnia emerunt de Johanne, Germani filio, dimidium molendinum Briesartis cum domo illi pertinente, et IV arpentos terre ad habendum sibi perpetualiter. Quapropter XI libras denariorum sanctimoniales dederunt, videntibus et annuentibus sorore illius venditoris et marito ejus Giraldo, filio Hildemanni; teste Eusebio Andecavorum episcopo, ante cujus conspectum hec emptio facta fuit,

teste Gaufrido thesaurario; teste magistro Raginaldo; teste Gaufrido Andecavorum preposito: teste Fulcoino vicario: teste Stabili vicario; teste Fromundo Gardone; teste Johanne; teste Stephano Pedis Amputatore; teste Theberto. *R*. 5, *C*. 41.

De Guillelmo Raslo comparaverunt sanctimoniales S. Marie dimidium molinum in Sarta. *R*. 1, *C*. 21.

CCLXVII. JUDICIUM DE CALUMNIA SUPRADICTI MOLENDINI.

Erat Brisesarte sclusa, molinum, piscaria que possederamus longa temporum per spacia et in diebus Rigildis et Thetburgis postmodum; et perveniebat multum nobis in die commodum. Dum Theburgis tamen nostri ferret gubernacula, surrexerunt sicophante ponentes obstacula; et quod nostrum tenebamus bona quietudine, hoc maligno pretemptabant auferre molimine. Cumque fecissent Lamberti filii calumpniam, qui ejusdem rei partem clamabant dimidiam ex materno sibi jure, constituto termino affuimus hinc et illinc coram feui domino. Is Joffredus vocabatur Haslet. Cujus curia judicavit ut, si nobis foret hec audatia ut possemus hec probare, per Dei judicia, nos per anni tenuisse dieique spacium in vita Lamberti patris, hoc calumpniantium nec calumpniantis quicquam (1), (sed) tenenti Plauxitium domine vel servienti, nostrum foret proprium. Quod concessimus secundum dicta judicantium. Nam Lamberti Gilduinus major natu filius, in ancillas summi regis contumax et impius, nil pavescens ut incurrat iram sancte virginis, dexteram Martini nostri sigillavit hominis; et tam diu fuit manus linco sub carcere donec Gilduinus eam traxit, nolens parcere. Inde ventum est ad aque ferventis examina, qua reorum occultata deteguntur crimina. Hic Martinum Gilduino nostrum presentavimus, et reliquias ad sanctas hunc offerre fecimus. Cumque properaret illi sacramentum reddere quod in curia Joffredi jubebatur facere, sicuti fuit judicatum renuit accipere: unde grates Deo nostro cepimus exsolvere atque gloriosam ejus matrem benedicere, que suis dignata fuit ancillis succurrere. Legem tamen offerentes, nunquam nos removimus donec aquam calefactam expandi conspeximus. Tunc Joffridus Haslet dixit, coram tota curia que collecta in eadem fuerat ecclesia: « Quia iste non est ausus hanc legem recipere quam sententia nostrorum concordavit

(1) Melius *cuiquam*.

facere, ex hoc patet quod ejusdem rei sit culpabilis et quod ad calumpniandum ultra non sit habilis. Igitur hinc in futurum expugnata teneant moniales, et eisdem clamatores careant. » Horum placuit inscribere nomina, quia eos nominare non est gravis sarcina : Gilduinus major natu suusque fraterculus, et Mauritius post eos vocatus Caudarius. Nec tacebo qui fuerunt hujus cause judices ut tu, lector, nescienti leviter notifices. Affuit : Hugo Guulfus, unus e judicibus, et Erneisus Buxellus, Facundus et Letbertus de Morenna cum Helia pariter; Stephanus David affuit similiter. Abbatissa Caritatis, Thetburgis ex nomine, hanc portare faciebat legem misso homine et suarum monacharum stipata solamine. Decertabat exorando pura natum virgine. Promptuariique custos affuit Eusebia et Odelina de Valle Guichensis, Avenia, Godehildis quoque nata Lusdi vicecomitis, Camiliacensis Petri soror Adelaidis et Hersendis et Gosberta magistra Plaxicii, quas abbatissa conduxit ad legem judicii. Convenerunt sacerdotes undique finitimi qui tenentur in hac esse causa perlegitimi; sed in primis nominabo Joffredum de Ingria, quo decano illucescit illa tota patria, et post illum collocabo Josbertum presbiterum et Rogerium capela in eadem alterum. Jabardulii sacerdos hoc vidit Remigius, et Robertus de Morenna, domnus et Ernulius qui tunc erat Briesarte sacerdos egregius, Danielque de Chirreio. Et ego Hilarius quidquid vidi, quod audivi, retinere studui et per scripta successuris commendare volui. Properemus laicorum nomina percurrere, ut ad finem hujus rei valeamus tendere. Ergo Hugo nominandus est de Jarbardulio et Gauterius post illum de Ductu Salvagio, Guido Glamabocus atque Rainaldus Buxulus et Burgundus de Selona, Hato de Salandria atque plures in eadem commorantes patria : Haimericus Charmallardus, Thetbertus prepositus et Rainardus Fossardus, Engelbaudus rusticus, de Charleio Paganus, Martinus Bomarius, Guillermus Rufus et Menna noviter prepositus, Gosfridus Osanne nepos et Andree filius, Adelart de Brionello Rufusque Gauterius, Almaguinus Mango nec non et Tebaudus Obolus, Fromundus Burdinus atque tunc coqus Ernaudus. Post hos nitet Adelardus villicus Plauxicii et Lambertus frater ejus, juvenes peroptimi, Menardus, Lebertus Fullo Robertusque Barbulus, Robertus Tres Valet atque Iseline, Glaius, Robertus sutor, Josbertus ex Vallino genitus, Rainaldus Grosse natus Landrici, Ernulius. *R*. 2, *C*. 6.

CCLXVIII. DE MOLENDINO FACIENDO IN EXCLUSA BRIESARTÆ.

Ne oblivione deleatur, voluimus posteris nostris significare quod Theburgis, S. Marie Caritatis abbatissa, dedit Goffrido Hasle unam exclusam ad Briesartam, que erat propria S. Marie : tali pacto quod faceret ibi molendinum et reficeret exclusam; et quando molendinum moleret, abbatissa emeret unam molam et ipse alteram, et deinde molendinum et exclusa essent communia; et abbatissa mitteret suum mulnerium et si ipse forisfaceret, abbatissa forisfactum, si vellet, condonaret vel caperet et Goffridus tunc dimidiam partem forisfacti haberet. Goffridus vero dedit et concessit boscum suum et terram et petram terre sue ad exclusam faciendam omnibus. Terram etiam quam mulnerius antea habuerat concessit molendino, ita quod traderetur cosduma. Et concessit multuram terre sue; et dordellum aque, quod ibi habebat, proprium concessit in commune et etiam piscaturam. Concessit etiam ut, quantum aqua caveret, terram semper insequeretur et faceret exclusam. Hoc tenebit ita de abbatissa quod non potest facere donum alicui ecclesie; et si ipse moreretur sine uxoris herede, molendinum et exclusa et quicquid ibi fecisset esset proprium S. Marie, pro beneficio anime sue. Hoc factum est in capitulo S. Marie Caritatis, IV° nonas Aprilis, Fulcone Juniore Andegavensium comite, Raginaldo episcopo eorumdem. Hujus rei testes sunt, ex parte Goffridi : Artusius filius Suhardi de Cheffa, Isembardus de Baraceio; ex parte S. Marie : Raginaldus Fossardus, Marquerius Amauguini, Emgelbaudus villanus, Gaufridus cellerarius, Moyses et alii plures. *R.* 3, *C.* 23; *R.* 4, *C.* 2.

DE SANCTA FIDE.

CCLXIX. DE CONSTRUCTIONE ECCLESIÆ SANCTÆ FIDEI ET LIBERTATIBUS VICULI EJUSDEM.

Cum domna Richildis, abbatissa S. Marie Caritatis edificasset et dedicasset ecclesiolam Sancte Fidei virgini et martyri, in parrochia Sancti Lamberti martiris in loco inculto et aspero, quadam die sollempni domnus Fulco comes, nepos Gaufridi Martelli Senioris ex

sorore, precatu ejusdem abbatisse et multorum nobilium qui ejus petitioni suffragabantur, donavit in elemosinam Sancte Fidei ut viculus ejus liber et quietus et absolutus foret in perpetuum ab omnibus servitiis et exactionibus, et si qua alia pertinebant ad comitem secundum consuetudinem regionis illius. Aderat vir fortis Clarembaldus, qui eo tempore castellum tenebat quod Rupes Fortis vocatur, rogans cum ipsa abbatissa ut ei annueretur; et ipse pro parte sua hilariter annuebat. Factum est et laudatum ab omnibus, utique scientibus quod aliter non posset quibuslibet pauperibus locum illum incolere.

Post annos duodeviginti, Fulco comes Junior, filius supradicti comitis Fulconis, confirmavit donationem patris sui, domna Heluide, cognata ejus ex matertera, suggerente, premonita et rogata a sanctimonialibus. Jussit etiam ipse comes scribi, ne quis in posterum calumpniaretur, et eos qui videbant et audiebant pro testibus annotari. Factum est et confirmatum VIII° kalendas Maii, in claustro ligne sub lauro, ante porticum S. Stephani prothomartiris. Hujus confirmationis testes fuerunt : Herveus prepositus cognomento Rotundellus, Rainerius canonicus S. Marie, Bernardus filius Anscherii, prepositus S. Marie, Halenous, Guillermus frater Bernardi canonici S. Marie, Harduinus de Gena et alii; domna abbatissa Tetburgis, domna Heluidis abbatissa Suessionensis, Orieldis secretaria, Eusebia celleraria, Matildis cognata domni Raginaldi presulis, Emma Lexoviensis cum maxima parte conventus S. Marie.

Dominus castelli supranominati Abbo, vir nobilis, procul aberat, nec potuit rogari ut faustor adesset et testis. Audito, cepit reniti: dicens sui juris esse datum; cassandum esse quod factum fuerat. Annua dilatione interposita, recogitans, immo rogatus a conjuge sua inclita et honestissima femina Agnete nomine, venit ad ecclesiam Sancte Fidis et donavit Deo sancteque virgini quicquid pertinebat ad se in illo viculo : ponens, pro signo, stilum ferreum complicitum super altare. *R.* 5, *C.* 59.

Anno quo nobilis comes Fulco iturus erat Jerosolimam, contigit sororem suam Ermengardim, venerabilem scilicet comitissam, causa disponendi itineris fratris sui, a partibus Britannie advenisse. Que, inter cetera que sancte religionis proposito pertinebant, ad memoriam reducens qualiter pater suus, comes scilicet Fulco, concesserat Deo et sue sanctissime genitrici Marie et sanctimonialibus in

cenobio ejusdem virginis degentibus, quicquid servitii et exactionis et juris in viculo illo Sancte Fidis habere videbatur, persuasit fratri suo, qui hoc idem jam dudum concesserat, ut filium suum, Goffridum scilicet, ad initium bonorum, hanc libertatis prerogativam concedere faceret. Qui vocatus, quod avus et pater suus concesserat concessit. et viculum S. Fidis ab omni exactionis jugo liberum esse instituit. Hoc viderunt et audierunt : Goffridus de Ramo Forti et multi alii ex parte comitis; ex parte abbatisse : Barbotus vicarius, Bernardus, domna Beatrix et multi alii, Amelina de Chauleto, domna Beatrix soror abbatisse. *R.* 5, *C*, 78.

CCLXX. DE QUODAM CENSU EIDEM REDDENDO ECCLESIÆ.

Quoniam ea que non scribuntur cito a memoria labuntur, notificamus litteris tam presentibus quam futuris quod domna Hildeburgis, S. Marie Caritatis abbatissa, et omne capitulum terram quam Petrus, Mauritanie dominus, dederat cum uxore sua Heluide et filia sua Lucia, hanc dederunt Normanno Berengerio et fratri suo Bernardo Laidet XL solidos census reddendo ecclesie S. Fidis, cui supradicta abbatissa omnisque conventus hanc terram concesserunt. Constitutum vero est in capitulo ut, sicuti fruges terre habuerat, sic eidem ecclesie census reddantur : XX in Purificatione S. Marie aliosque XX in festivitate S. Johannis Baptiste. Hujus rei testes sunt : Bernerius canonicus et Raginaldus sacerdos S. Fidis, Garinus Losdun. Gaufridus de Luet, Raaldus vicarius, Asceliuus cellerarius, Robertus pelletarius, Odo pistor. Quicunque ergo hos census surripuerit S. Fidis vel defraudaverit, anathema sit. *R.* 5, *C*. 56.

DE SANCTO GEORGIO ET SANCTO GERMANO.

CCLXXI. DONUM GARINI DE S. QUINTINO IN PARROCHIA S. GEORGII.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod Garinus de S. Quintino et Ermengardis uxor ejus dederunt Deo et ecclesie B. Marie de Caritate, cum filia sua Amelina in sancta congregatione bonarum feminarum monachalem habitum recipiente, octavam partem altaris S. Georgii : videlicet de nummis et candelis et panibus et

omnibus oblationibus, et octavam partem decime et censuum necnon et primitiarum, scilicet de agnis et de porcis et de vitulis. Super hec autem quandam mansuram terre dederunt. Et isti testes affuerunt : ipse Garinus et Ermenjardis uxor ejus, Richardus filius ejus et Obran et complures. *R.* 2, *C.* 68.

CCLXXII. LITTERÆ PACIS FACTÆ INTER ABBATEM S. GEORGII ET EMMAM ABBATISSAM.

Erga tot et tantas mundi hujus sollicitudines, sensus et mens hominis tociens agitatur et tot terrenorum perturbationibus circumquaque pulsa confunditur, quod si forte inter aliquos rei alicujus conditio aliqua fiat quam jugi memoria reservari semper oporteat, tam cito labitur illa ab humana et fragili mente quod, si in posterum velit et necessarium sit retractare quomodo et quibus presentibus aut a quibus factum est, aut vix aut nunquam sine litterarum traditione ad cognitionem rei illius poterit amplius pervenire. Et quia mortalium etas atque memoria, labendo semper et absque reditu transeundo, sic evanescit, antiqua majorum sollertia providendo decrevit litteris memorialibus commendare quicquid per se non poterat fragilis homo retinere. Nos igitur, in nomine sancte et individue trinitatis incipientes, memorie tam futurorum quam presentium intimamus concordiam et pacem quam Johannes, secundus abbas S. Georgii supra Ligerim, et Emma S. Marie Caritatis Andegavensis abbatissa, con consilio et assensu utriusque capituli, ad invicem composuerunt. Quicquid enim in ecclesia S. Georgii diu acclamaverant sanctimoniales et quicquid in censibus veteris cimiterii et decimis parrochie participaverant, illud totum prefato abbati predicta abbatissa, capitulo suo assentiente, retentis tamen quotannis solidis V ad Andegavinam, quietum et solutum concessit. Facta autem inter eos querele pace continua, istius pacificationem suam cartule cyrographo assignare commendaverunt. Cartulam vero, cyrographo biparbito et utriusque capituli sigillorum munitam presidiis, confirmaverunt; ne pacis istius integritas, in eternum mansura, in posterum aliqua malignorum violaretur astucia. Et ut apud eos amodo pax hec inviolata maneret et inter utrosque, non tantum carnalis sed spiritualis, dilectio major fieret, beneficia sua communicantes, utrinque spoponderunt per singulos annos pro defunctis suis quoddam septenarium se facturos : quod, post Virginis virginum Nativitatem monache incipientes, ca-

nonici vero illud post octabas S. Augustini facientes, devote complevissent. Concessit preterea predictus sanctimonialium conventus supradicto abbati, in die defunctionis sue, totum, tanquam sorori professe, beneficium et anniversarium suum singulis annis recolendum. Factum est hoc in capitulo S. Marie Andegavensis ecclesie, istis videntibus et audientibus : Guillermo de Messuncellis, Tessum, Enjenot, Radulfo capellano abbatisse, Taleboto notario, Isemberto tunc siniscallo, Laurentio de Leum tunc vicario, Letardo Cambitori, Raginaldo Andegavino, Petro Martini; Gaufrido episcopo Andegavorum, Ludovico rege Francorum; existente Enrico rege Anglorum et duce Normannorum (et) duce Aquitanorum et comite Andegavorum, anno ab incarnatione domini MCLXIII°. *R.* 5, *C.* 91; *R.* 6, *C.* 45.

CCLXXIII. DONUM ALTARIS ET ECCLESIÆ S. GERMANI.

Istud etiam memoriter est tenendum quod Josbertus, cognominatus Bornio, dedit S. Marie quartam partem altaris S. Germani cum filia sua nomine Lucia, quam moniali jugo subjugavit, filiis suis volentibus atque concedentibus : Garino scilicet et Raginaldo et Petro. Postea vero ipse Josbertus, volens fieri monachus suam quoque uxorem nomine Heluysin Dei servicio sub monachali habitu dedicare, dedit S. Marie et aliam partem ejusdem ecclesie S. Germani quam ipse et filii ejus adhuc obtinebant, voluntate et assensu eorumdem filiorum; qui et ipsi, ut firmum esset et immutabile, utriusque partis donationem, per baculum unum, super altare S. Marie fecerunt patre suo Josberto hoc volente et disponente : quia illa pars ecclesie ex matrimonio filios suos contingebat, ideoque congruum erat ut ipsi, non pater, donum super altare ponerent. Que donatio his testibus fuit confirmata : quatuor canonicis S. Marie Gauterio, Adelelmo, Roberto, Godefrido; Raginaldo de Brachesaco, Hugone de S. Laudo, Raginaldo de Fossis, Raginaldo villano, Thetberto preposito. Hanc igitur donationem postea concessit donnus Girorius de Bello Pratello, quia de casamento suo erat, deprecatu donne abbatisse Richeldis sed et (pro) remedio anime sue et parentum suorum, datis sibi inde XL solidis ea conventione ut hoc ipsum filium suum, citra proximum Natale Domini, faceret concedere. Unde et ipse baculum unum, signum firme concessionis, super altare posuit, (sub) testimonio multorum, tam clericorum quam laïcorum qui affuerunt, quorum habentur nomina : Radulfus

de Monte Johannis, Goffridus filius Hugonis de Meduana, Hugo de S. Laudo, quatuor canonici S. Marie, Letardus de S. Lamberto, Herneisus, Raginaldus de Fossis, Raginaldus de Brachesaco. *R.* 1, *C.* 68.

CCLXXIV. DONUM HATONIS DE MONTE JOHANNIS.

Hato de Monte Johannis dedit et vendidit quandam terram, quam habebat juxta campum Hervei Rauci, et VI denarios de censu monialibus S. Marie Caritatis; et posuit donum et ventionem super altare cum baculo et postea in manu Theburgis abbatisse. Quod vidit Bardulfus Morelli, de cujus feodo terra erat illa, et concessit. Et filius Hatonis illud concessit et alter miles qui venerat cum illo, et pacti sunt quod uxor sua hoc concederet Sancte Cruci cuidam monialium, quia non poterat huc venire, et inde dedit in plegium quandam censivam quam moniales ei debent, scilicet V solidos; unde sunt isti testes : Bernardus Angerii tunc prefectus, Barbotus villicus, Engelbaudus villanus, Robertus de Juinniaco, Girardus coccus, Babinus, Harduinus cellerarius, Johannes pistor, Rainerius canonicus. *R.* 2, *C.* 50.

CCLXXV. DONUM GUILLERMI DE VERNEIA.

Necessarium et valde utile esse judicamus ut ea que diu retinere volumus, perpetue litterarum memorie commendemus. Litterarum igitur memorie vel noticie commendavimus quod Guillermus de Verneia dedit Deo et S. Marie Caritatis, pro anima patris sui et parentum suorum et sua, partem villicationis quam habebat in terra que est juxta campum Hervei Rauci; et posuit donum super altare cum ramo buxi, et inde revestivit Theburgim abbatissam. Hoc viderunt : canonici Rainerius, Hylarius; Gosbertus de Salconiaco, Adelardus de Mallé, Frogerius presbiter de Mariniaco, Robertus de Jugniaco, Engelbaudus villanus, Babinus, Garinus Hyldeberti, Johannes filius Porcharii, Guillermus de Plesseio, Hugo Sancti Aniani et alii plures. *R.* 2, *C.* 78.

DE SANCTO MICHAELE DE FAMIBUS.

CCLXXVI. DONUM ECCLESIOLÆ FAMIS.

Quoniam quecunque acta sunt, litteris commendata, sine oblivione melius conservantur, dignum nobis visum est tradere cartule qualiter Gauterius de Ductili Silvestri dedit filiam suam Theophaniam perpetue virginitati consecrandam in ecclesia S. Marie Caritatis. In primis ecclesiolam Famis, quam ipse a parentibus suis jure laïco tenebat, voluit S. Marie dare quietam; sed occurrente episcopali calumpnia, diu res imperfecta remansit. Postremo Gauterius, veniens ad episcopum Raginaldum, tradidit ecclesiam et, in manu ipsius episcopi, quicquid in ea habebat; et abbatissa Theburgis accepit de manu episcopi : talique auctoritate pervenit tota ecclesia Famis in possessione sanctimonialium S. Marie Caritatis, tali pacto ut omni anno, in festivitate S. Mauricii, reddant duos solidos episcopo Andegavensi sanctimoniales, a quo acceperunt ecclesiam a laïco concessam. Dedit etiam, in fidejussionem hujus conventionis tenende in perpetuum, hoc quod proprium habebat in ecclesia Sillene. Huic conventioni affuit domnus Garnerius archidiaconus concessor et testis quia, quanvis concessisset Adelardus de Castro Gunterii, non tamen potuit res ad effectum perduci propter episcopi archidiaconique calumpniam. Hujus confirmationis testes sunt : Hubertus cantor S. Mauricii, Fromundus de Jailla, Robertus filius Mariscalli, Girbaudus de Aquaria, Rainaldus Burgevinus, Rainaldus fossarius, Maino; filius etiam ipsius Gauterii primogenitus, testis et concessor et fidejussor (est), jubente patre suo. *R*. 1, *C*. 83.

CCLXXVII. DE CIMITERIO SANCTI MICHAELIS DE FAMIBUS.

Omnibus fidelibus sit notum futuris atque presentibus quod abbatissa S. Marie de Caritate ecclesiam S. Michaelis de Famibus in proprio suo tenore tenebat, in qua sanctimoniales, terre necessitate coacte, cimiterium facere non poterant; quousque Fulco Barreac ejusque mater Claricia de terra sua, que propinquior erat ecclesie, sanctimonialibus ad cimiterium faciendum dederunt : tali conditione quatinus, de censibus cimiterii, dimidiam partem sanctimoniales haberent Fulcoque Barre alteram; et quod unusquisque, in termino

accipiendi census, famulum suum proprium, marsupium tenentem vel nummos recipientem, haberet; et si aliquis in termino census non redderet, unusquisque, ut supra, dimidiam partem forisfacti haberet; testibus subscriptis audientibus : Ulgerio Andegavensi episcopo amore cujus ipse Fulco Barre sex tesas terre in illo (pacto dedit), Guillermo de Ebrone clerico, Roberto de Ebrone clerico; ac supradicte ecclesie canonicis Radulfo sacrista, Gaufrido Barreio; Turonensi Goslino. *R*. 3, *C*. 89.

DE SAPONARIIS.

CCLXXVIII. DE ANDILLIACO ET TREDENTO.

Habet Sancta Maria in curte Saponaria, in loco Andilliaco, mansum terre, quem dederunt, pro elemosina sua, Rainerius et Rannulphus valvassores, per auctoritatem senioris sui Huberti. *R*. 1, *C*. 14.

Item habet apud Tredentum mansum terre, quem comparavit domna abbatissa Bertarda de Mainardo equite, faventibus Adelelmo et Alberico senioribus suis. *R*. 1, *C*. 15.

CCLXXIX. DE QUITATIONE TERRÆ ANDILLIACI.

Quoniam humana negotia cito et sine noticia labuntur nisi memorie litterarum tradantur, volumus hoc litteris commendare et per hoc in perpetuum retinere. Sciamus itaque quod Mauricius de Sancto Quintino clamavit Deo et S. Marie Caritatis quandam terram solidam et quietam ab omni cosduma preter decimam, videlicet terram de Andeliaco que erat de feodo suo, in qua terra querebat caballum pro servitio et talleiam et submonitionem hominum in equitatu suo; et hec et alia, preter decimam, dimisit in manu Theburgis abbatisse in capitulo : et revestivit eam cum libro, et ipsa revestivit eum de ecclesie beneficio. Et concessionem istius rei posuit super altare cum baculo et promisit se istud defendere et aquitare ab omni impugnatore; videntibus et audientibus istis testibus : Normanno Pochino, Rainerio canonico, Gauterio presbitero de Sancta Cruce, Eudo sacristario, Bernardo Andegavensi prefecto, Barboto villico. *R*. 2, *C*. 93.

12

CCLXXX. DE DECIMIS MANSURÆ QUÆ EST CITRA EBRIONEM.

Cum habuissent longam contentionem agitatam inter se sanctimoniales B. Marie et quidam (milites), ecclesiam vici Saponarie tenentes, pro decimis unius mansure terre que est citra rivulum Ebrionem, calumpniantibus eam predictis militibus atque ad parrochiam Saponarie vertere conantibus, sanctimonialibus autem diutina ipsam vestitura tenentibus; tandem, judicante comite Gaufrido, ad hoc perventum est ut deberent decertare per campiones cui parti rectius cedere deberent decime ille. Quod quidem certamen predicti homines facere non ausi, pacem fecerunt inde hujusmodi. Venerunt simul omnes ad monasterium Sancte virginis virginum Marie, et fecerunt super sanctum altare donationem, immo potius guurpum, totius illius rei de qua lis fuerat : ita ut nunquam deinceps ibi quicquam juris ibi reclamarent, nec illi nec heredes illorum. Et propter firmiorem stabilitatem facti in posterum, recepti sunt a donna abbatissa Bertrada ceterisque sororibus in participationem orationum et beneficientie loci, tam illi quam uxores illorum. Et hec (sunt) nomina eorum qui simul omnes guurpium istud fecerunt, sicuti prius calumpniam pariter faciebant : Richardus de S. Quintino, Rainerius Cornu Capre, Galcherius filius ejus, Brunellus, Rainaldus de Ardenai, Engelbaldus Mozellus, Ingelgerius, Galterius. Isti sunt testes qui affuerunt et viderunt : Fulchardus de Rupe Forte, Hilduinus prepositus, Algerius de Morenna, Racherius de Lugeio, Robertus filius Frogerii, Rotbertus Mischin, Fridaldus, Radulfus presbiter, Primaldus presbiter, Adelelmus, Garnerius de Brachesac, Gaufridus campio, Gleu, Chazdoreth. *R.* 3, *C.* 32.

DE SPINACIO.

CCLXXXI. DONUM ALODII DE SPINATIO.

Alodium de Spinatio dedit Fuco comes et comitissa Hildiardis solutum et quietum et omne quod ibi habebant.

De quodam latrone habuit Engelbaudus villanus II solidos, et dimidium de Picaudo vicario. Ad Carleium tenebat Engelbaudus IV

quarterios terre de S. Maria ipso vivente, quos reddidit ad vineas, ad reddendum III minas sigle; post mortem suam costumam concedens S. Marie. Barbotus vicarius tenet in vita sua V arpennos et III quarterios. Post obitum vero ejus erunt S. Marie, hoc est de feuo Forgis.

Bovetus, V solidos; Albericus Salvete, V solidos; Fulbertus pelleper, IV solidos; Joffridus Bone, XII denarios.

Albericus Fossart habet I arpennum et reddet IV sextarios siliginis. Post mortem ejus et uxoris erit S. Marie. Engelbaudus villanus ad Tiremont habebat II arpenta pratorum, unde redduntur VIII denarii de censu heredi de Carleio ad festum S. Johannis, que sunt S. Marie post decessum suum. Flandina, uxor Adelardi, habebat III arpenta pratorum de Maleur in vita sua; et post decessum suum erunt S. Marie. *R.* 3, *C.* 73.

CCLXXXII. DE CALUMPNIA QUAM FACIEBAT EUDO DE BLAZON DE PASCUIS.

Notum sit omnibus hominibus, tam presentibus quam futuris, quod Eudo de Blazone faciebat injuriam sanctimonialibus S. Marie Caritatis, de pascuis que sunt a divisione de Spinat usque ad Turrem de Verz. Que pascua sanctimoniales longum tempus sine calumpnia habuerant, et non potuerunt habere pascua sine clamore; et fecerunt clamorem ad Fulconem consulem et ad Gaufridum episcopum Turonis, et isti fecerunt Eudonem venire apud Andegavim in curia episcopi. Eudo autem de Blazone mandavit Martinum suum prepositum, qui comparaverat pascua de Eudone XXVII solidis. Tunc curia judicavit quod abbatisse Richildi et sanctimonialibus redderentur pascua, sicuti prius habuerant; et Eudo donavit pascua et concessit, tali modo ut Martinus suus prepositus, habuisset suos XXVII solidos, quos dederat pro pascuis. Et audierunt isti testes : Adelelmus Gula Anseris et Robertus Ostricerius et Droinus de Rogiaco, qui tunc erat suus siniscallus. Et Martinus de Conteneaco vidit et audivit et habuit suos XXVII solidos. Ex parte abbatisse isti sunt : Tebertus prepositus et Hugo de S. Laudo et Lambertus Episcopus et Hubertus Pincerata; et Adelelmus et Gauterius Cornutus, qui sunt canonici S. Marie; et Gauterius Rufus, Raginaldus de Brachesac et alii complures. *R.* 3, *C.* 29, 53 *et* 69.

CCLXXXIII. DE CALUMNIA PRATI ENJOFREDI APUD CANTANEIUM.

Enjofredus dedit sanctimonialibus unum arpentum atque dimidium de prato, cum uxore sua quam fecit monacham. Et santimoniales tenuerunt per longum tempus sine calumpnia, in temporibus alterorum prepositorum, cum censu VII denariorum, usque dum Martinus venit apud Canteneium, qui accepit uxorem que fuerat conjunx alterius prepositi; et iste Martinus abstulit prata per mandatum Eudonis de Blazone. Unde sanctimoniales fecerunt clamorem ad Eudonem de Blazone. Ipse vero venit ad S. Mariam cum Martino suo preposito, et reddidit prata S. Marie Caritatis; et ad intersignum sue concessionis, misit cultellum suum super altare. *R.* 3, *C.* 28, 36 *et* 68.

CCLXXXIV. CONCORDIA INTER ROBERTUM DE SPINIACO ET ABBATISSAM.

Robertus de Spiniaco omnia debita et querelas quas habebat adversus sanctimoniales perdonavit, in presentia domne abbatisse Richildis. Terram etiam, quam de ipsis tenebat in vita sua, dimisit eis sponte sua; pro qua re tamen dedit ei abbatissa IV libras denariorum et XX solidos prestitit, testibus his : Hugone de S. Laudo, Huberto Piterrata, Gauterio canonico, Thetberto, Adelelmo canonico, Gauterio Rufo. *R.* 1, *C.* 69.

CCLXXXV. CALUMNIA RAINERII ET JOHANNIS, DE MOLENDINIS SPINATII.

Quoniam res et ecclesiarum possessiones, juxta instituta sanctorum patrum, debent esse solute et quiete ab omni hereditaria reclamatione, nullus debet presumere patrimonio vel paterna hereditate aliquam calumpniam in rebus ecclesiasticis nullatenus facere. Unde posterorum memorie memoriter commendare (voluimus) quod cum Rainerius et Johannes frater ejus calumpniarent patrimonio molendinos de Spinatio, scilicet multuram, scilicet quintum bossellum et quintum piscem, factum est eis juditium in quo diffinitum est quod, paterna hereditate, nichil poterant ibi reclamare. Itaque venerunt in capitulum S. Marie Caritatis : et ibi ipsi et Judiquellus Pelos guirpiverunt calumpniam, in manu abbatisse Teburgis, et omne illud quod in molendinis ex patrimonio clamabant. Unde sunt testes isti qui pre-

sentes fuerunt; ex parte abbatisse : Abelina, Amelina, Solitia, Richildis, omne capitulum; canonici : Rainerius, Giraldus; laici : Hugo Turonensis, Guitto, Marquerius, Meno, Fulbertus pelliparius, Garinus Losduni, Bernardus Anger, Barbotus villicus, Engelbaudus villanus, Lebertus, Hubertus Frigida Bucca, Garnerius Gastel, Goffridus li Bellus, Aubaudus pistor, Garinus Hildeberti, Giraldus coqus, Johannes de Valeia, Hamericus Tibart, Durandus mulnerius; ex parte mulneriorum : Burchardus de Greio, et sacerdos de Marinniaco avunculus eorum et alii. *R.* 2, *C.* 52.

CCLXXXVI. DE RECTITUDINIBUS QUAS CLAMABAT GAUDINUS DE HESPINAT.

Gaudinus de Hespinat clamabat et accipiebat quasdam rectitudines B. Marie erga abbatissam et sanctimoniales ejusdem ecclesie : peregrinos scilicet quietos, et ad sex ferias anni ad unamquamque II solidos, et lucum B. Marie ad suam voluntatem accipere viridem et siccum, et cum famulo dominarum ad mestivas accipiendas ire ut quando predictus famulus mestivas acciperet ipse similiter et suas. Inde abbatissa ei rectitudinem requisivit, et acceperunt inde communem terminum. In die vero termini, requisivit abbatissa rectitudinem, et cognovit Gaudinus ejus rectitudinem et fecit. Cognovit etiam quod injuste tenuerat, et omnia illa in curia sua abbatisse dimisit, preter duas ferias anni, Pentecosten et B. Marie Nativitatem, ut in unaquaque illarum II solidos haberet. Hec rectitudo facta fuit Theburgi tunc abbatisse. Quod viderunt et audierunt isti : Isobia tunc celleraria, Milesendis tunc elemosinaria, Manerius de S. Laudo, Giraldus prepositus, Malquerius filius Amalguini, Garinus Losdun, Giraldus villicus, Ernulfus de Nevertio, Hanelodus, Menna Bachelot, Barbotus nepos Teberti, Robertus de Jugneio, Ingelbaudus villanus, Adelmus de super Pontem, Garinus Hildeberti, Babinus Robo, Meinardus de Spiniaco, Ascelinus pistor, Guido de Elemosina, Rainaldus frater Gaudini, Balduinus Beesus sororgius ejus. Tunc dixit ei predicta abbatissa quod in portu nichil habebat nisi in vita sua; audientibus istis testibus qui nominati sunt, sine contradicto quod inde Gaudinus faceret. Et quia dixit quod non faceret rectitudinem pro preposito B. Marie, tunc Garino Losdun, ibi statim juditio curie gajavit ei inde X solidos. *R.* 2, *C.* 43.

CCLXXXVII. DE DONO TEOBAUDI DE BLAZONE.

Quoniam mortales et mortalium facta pretereunt et scuto oblivionis obnubilantur in cursu, presenti carta interprete, ad posterorum noticiam notificare curavimus quod Teobaudus de Blazone dedit Deo et ecclesie S. Marie Caritatis et concessit in perpetuum quedam pascua et quandam noam, pro remedio anime sue et pro anima antecessorum suorum, Eudonis avunculi sui scilicet et Johannis patris sui, qui Eudo supradictus ante in vita sua donaverat. Hoc donum posuit Teobaldus super altare dominicum cum quadam palma, videntibus istis : Rainerio canonico, Bernardo canonico, Adam canonico, Rainaldo de Cepia, Raaldo vicario, Josleno de Turonis, Rannulfo Morello, Alnaldo coco, Mainerio sacrista, Hildeburgis abbatissa, Juliana decana, Aremburgis prior, Dionisia, Theophania de Docto Salvagio, Albulgi celleraria. Ex parte Teobaudi affuerunt : Hugo de Mozerio, Rainaldo mariscallo. *R*. 5, *C*. 95.

CCLXXXVIII. DE REBUS VENDITIS PHILIPPO DE SPINATIO.

Quoniam antecessores nostri ea que audiebant et videbant memoria retinere non poterant, considerantes subsequatium hominum animum laxiorem esse, quod de factis suis aut dictis memoramus, scripto tradere (curaverunt); nos vero, secundum ingenii nostri posse, eorum acta prudenter sequentes, ne posteritatis nostre in aliquo memoria fraudetur, quod volumus eam scire penne offitio commendamus. Ideoque sic debet fieri ne, mente plura preteritorum et presentium oblivioni tradente, aliqua controversia, quod persepe evenit, oriatur. Sit igitur notum tam posteris quam presentibus Philippum de Spinatio de domna Hildeburgi abbatissa, concessu totius conventus, vineam de Girbauderia et eam quam possedit Lambertus de S. Laurentio et II arpenta de terra deserta, causa edificandi, emisse; et XI libras pro eis dedisse atque venditiones. Ipse vero Philippus unoquoque anno censum abbatisse et sanctimonialibus, scilicet IV solidos, reddet. Supradicta itaque abbatissa Philippum de Spinatio et uxorem ejus, cum ramo, in capitulo de vineis commemoratis et de duobus arpentis terre deserte sessivit : tali pacto quod, si vendere vellet, ecclesie S. Marie venderet vel daret vel quibuslibet aliis preter alii ecclesie; his ista audientibus et videntibus monialibus : abbatissa Hildeburgi rem disserente, Emmelina decana, Eremburgi

priore et Richeldi sorore sua et Margarita totoque conventu concedente. Isti etiam homines affuere tum in capitulo, quando hec emptio facta est et concessa fuit : Radulfus sacrista, Raaldus villicus, Laurentius de Leone et uxor sua, et Moysan et plures de famulis S. Marie quos longum est enumerare. Enimvero Philippus de Spinatio, ut sibi et suis hec emptio firmiter teneretur, concessit abbatisse et conventui ecclesie censum habere quem sibi reddebat faber Hubertus unoquoque anno, scilicet XVIII denarios. *R.* 1, *C.* 19.

CCLXXXIX. DE REBUS DATIS A SUPRADICTO PHILIPPO.

Presentes scire et posteros simul volumus Philippum de Spinatio Deo et S. Marie XXII solidos censive et ventas et corvatas dedisse. Hoc donum dedit et concessit ipse Philippus et Johannes filius ejus, pro amore Dei et pro salute animarum suarum et amore uxoris sue. Postea concessum Theobaudi Blazonii, in cujus feodo censiva erat et vente, pepigit. Cujus rei pactio si apud eum effectum non posset invenire, omnes res suas in feodo S. Marie habitas, pro elemosina data tenenda in perpetuum et tuenda, in plegium concessit. Hujus elemosine donum coram Amelina abbatissa factum est, et coram Petronilla celleraria et Theophania sacrista et Petronilla decana et Maria Grossa Oculos et Milesende nepte abbatisse; et Radulfo sacrista et Gauterio sacerdote S. Lazari et Manerio dapifero et Turpino vicario, Arturo coquo et Renaudo cellerario et Odone cellerario et Johanne Lobo. *R.* 1, *C.* 6.

CCXC. DE REBUS CONCESSIS RUSSELLO DE SPINIACO.

Modernis et posteris declarari voluimus Russellum de Spiniaco, dum quedam jura adversus abbatissam hereditario jure clamaret, cum ea reconciliatum fuisse : conditione tali ut, in unaquaque duarum feriarum anni, II solidos acciperet, in Pentecosten et in Andegavinam, et siccum nemus ad se calefaciendum mensurate per annum optineret; et tanquam famulus, querendo equm suum, abbatissam quocunque vellet ire et eum ducere sequeretur; peracto termino nemus dimitteret : de quo si vellet in causam ingredi, devestitus et desessitus peroraret; testibus istis audientibus : Amelina abbatissa, Osanna celleraria, Maria, Milesendis de Cholet, magistro Meinardo canonico, Durando canonico, Pipino de Turono, Turpino villico, Menerio dapifero, mariscallo Roberto, Ranulfo coquo, Vendeleisio

pistore, Raginaudo de Sepe victrico suo, Raginaudo Roimer avunculo suo. *R.* 2, *C.* 53.

CCXCI. DE RESTITUTIONE PRATORUM QUÆ GUILLERMUS DE BLAZON ABSTULERAT.

Scribendo notum facimus presentibus et futuris fidelibus quod Guillermus de Blazone sanctimonialibus ecclesie Caritatis, de pascuis que sunt a divisione de Espinat usque ad Turrem de Ver, quandam faciebat injuriam. Que pascua sanctimoniales, per longum tempus, sine calumpnia tenuerant; tempore vero Guillermi, pascua illa habere non potuerunt. Ad domnum Goslenum, regis dapiferum, clamorem fecerunt. Goslenus vero apud Andegavim, in curiam suam, Guillermum, de injuria sua sanctimonialibus responsurum paratum, venire coegit. Sanctimoniales vero in curia, cum scriptis et testibus suis, jura volentes appropriare, Guillermus vero recognoscens se contra eas male egisse, in capitulum S. Marie, ante presentiam Orsandis abbatisse tociusque conventus ecclesie, venit : et pro sue matris anima, et ut in martirologio bonarum feminarum esset scriptus, sicuti prius pascua per nemus et planicies habuerant itaque reddidit et dedit et concessit et, cum uno libro, donum in manu Orsandis abbatisse posuit : conditione tali ut sanctimoniales singulis annis, in die S. Johannis vel infra tercium diem post, IV solidos et IV (denarios) de censu sibi reddidissent. Sanctimoniales autem, pro dono et concessione ista, predicto Guillermo XXX solidos de caritate, et Theobaudo fratri suo X solidos dederunt. Conventioni huic interfuerunt : Orsandis abbatissa, Herdegardis celleraria, Milesendis de Carta, Oisce sacrista et totus conventus; ex parte sui : ipse Guillermus, Nivardus de Rupe Forti, Jordanus de Denet, Jaquelinus de Chamazeio, Giraldus Barre; de canonicis : magister Guido, magister Menardus, Tesso, Guillermus de Messuncelles; et de aliis clericis : Raginaldus sacrista, Goffridus abbatisse capellanus, Guillermus sacrista S. Laurentii; de laïcis : Isembertus tunc abbatisse senescallus, Laurentius de Leone tunc vicarius, Garinus de Turonis, Petrus filius Garini et complures. *R.* 3, *C.* 38.

CCXCII. DE MOLENDINIS ET EXCLUSA SPINATII, DATIS AD RESTAURANDUM.

Anno ab incarnatione domini MCLXXXIII°, ego Emma, Dei gratia

S. Marie Andegavensis abbatissa, assensu tocius capituli nostri, tradidi domne Villane sanctimoniali nostre molendinos nostros et exclusam de Espinat ad restaurandum, a Nativitate Dei genitricis usque ad quatuor annos : tali videlicet pactione quod predicti molendini et exclusa de tribus partibus emolumenti se acquitaverint; et quartam partem, pro servicio circa molendinos impenso, famuli ejus habebunt. Si vero infra predictum terminum redditus molendinorum se non acquitaverint, aut residuum impense sibi reddatur, aut usque ad totam expensam suam habuerit molendinos possideat. Sciendum preterea quod si predicta eadem Villana infra prefatum terminum obierit, pactum istius Renerio et Mauricio, concedente omni capitulo, ad possidendum reliquit. Preterea de nemoribus abbatie ipsa Villana, ad opus molendinorum et excluse, que necessaria fuerint accipiet, et abbatia cum biano suo usque ad ripam adducet; videntibus istis : Ruellano canonico tunc senescallo, Taleboto sacrista, Guidone de S. Laurentio, Herberto canonico, Roberto Capello, Hereardo scriba, Hersendi de Sablolio; Aanor decana, Hamelina sacristana, Mathea, Ada, Hudeburgis, Boves, Emma Juvenis, Juliana de Savoneriis. *R.* 6, *C.* 58.

DE VERNOLIO.

CCXCIII. DONUM ECCLESIÆ DE VERNEILO.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Goffridus Fulcredi et uxor mea Amelina, memores novissimorum (peccatorum) nostrorum, juxta modum humane fragilitatis, donamus et concedimus Deo et sancte genitrici ejus Marie et sanctimonialibus in monasterio quod dicitur Caritatis, sub sancto proposito, degentibus, illam ecclesiam de Verneilo; et quicquid juris in ea, tam in oblationibus quam decimis, possidemus, in nostrorum remissionem peccatorum, Deo et sanctimonialibus in perpetuum relinquimus. Hoc donum ita dispositum et a nostris filiis concessum, in capitulo S. Marie Caritatis coram positi, in manibus Richildis abbatisse facimus, et super altare B. Marie, cum cultello, firmamus. Si vero quilibet nostre generationis hoc donum reclamare temptaverit, perpetuo anathemate dampnetur, nec ei facultas nostram destruendi elemosinam

concedatur, Hujus doni concessionem viderunt et audierunt, ex parte S. Marie : Yberga cellararia, Yberga elemosinaria, Organdis decana, Orieldis sacristana et alie multe; Tebertus prefectus, Rainaldus Fossardus, Gaufridus de Cartis et alii multi; ex parte Gaufridi Fulcredi : Paganus filius Bernerii, Johannes Vendosmel prefectus, cujus vinea post mortem suam deputata fuit tunc ad servitium sanctimonialium et sic postea contigit, et multi alii. *R*. 3, *C*. 7.

CCXCIV. CONFIRMATIO ECCLESIARUM DE VERNEIL.

In nomine sancte trinitatis et individue. Ego Gaufridus Fulcardus, in Jerosolimitanam peregrinationem sive expeditionem vadens, in salvationem anime mee, reddo et concedo S. Marie de Caritate Andegavensi et sanctimonialibus ecclesias de Verneil, sicut pater meus donavit, etiam cum augmentis quos ego ipse ipsis ecclesiis adauxi, hoc est decimam vini et forrum; preter burgum, quod ideo michi retineo quoniam femine ad tuendum tale quid impotentes dinoscuntur. Hoc videlicet taliter dico seu facio, si me dominus meus Jhesus Christus ab hac luce de via ista qua proficiscor subtraxerit, quod matri mee Ameline et fratri meo Haimerico et item Haimerico consororio meo et ceteris consanguineis meis mando et precipio ut faciant : scilicet ut predictas ecclesias sine contradictione reddant et concedant sicuti superius dictum est; scilicet si (in) ista quam subeo profectione, sicut supra ratiocinatum est, obiero. *R*. 2, *C*. 47; *R*. 3, *C*. 3 et 29.

CCXCV. PRÆCEPTUM ALEXANDRI PAPÆ DE ECCLESIA VERNOLII.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Cenomannensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Pervenit ad nos, ex conquestione dilectarum in Christo filiarum abbatisse et monialium S. Marie Andegavensis, quod abbas et fratres Mauleonenses eis ecclesiam de Vernolio, ab ipsis diu detentam, sine judicio et causa rationabili abstulerunt. Quoniam igitur eisdem sororibus tanto amplius in suo jure debemus adesse quanto minus, pro fragilitate sexus, sua possunt jura tueri, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus prefatum abbatem et fratres moneas et, nostra fretus auctoritate, compellas ut eidem abbatisse et sororibus prescriptam ecclesiam sine difficultate restituant et in pace dimittant; vel eis coram te, sublato appellationis obstaculo, justicie non

differant plenitudinem exibere. Datum Velletri, nonis Februarii. *R.* 6, *C.* 56.

DE REBUS SITIS IN VARIIS LOCIS.

CCXCVI. CONCORDIA INTER PETRUM DE FULGERÉ ET ABBATISSAM RICHILDIM.

Amodo usque in sempiternum perhenni memorie traditum est quod, sicut domnus Petrus de Fulgeriaco et filius ejus Rainerius solidam et quietam ab omni calumpnia clamaverunt et concesserunt monialibus S. Marie illam terram quam eis calumpniabant et donum etiam fecerunt super altare dominicum B. Marie, Petrus cum folio pargameni, Rainerius cum cutello : sic concessit apud Fulgeriacum uxor ejus Barbota, et concesserunt filii sui omnes Engelgerius, Goffridus, Petrus, Eustochius et soror eorum Alexandria illam terram simili modo, solutam et quietam ab omni calumpnia omni tempore secli; et omnes eodem modo donum fecerunt cum folio et cultello supradicto, garentibus istis qui ibi affuerunt et qui hoc viderunt et audierunt; ex parte domni Petri : Henricus de Montibus, Petrus Flocellus, Robertus de Restiniaco, Lambertus famulus ipsius Petri, Martinus de Mazeria, Galterius clericus, Rainaldus mariscallus; ex parte S. Marie : Hildegardis tunc existens cellaria, que apud Fulgeriacum donum supradictum de domna Barbota et a filiis suis supranominatis recepit, Rainaldus Fossarius, Rohodus clericus, Rainaldus mariscallus, Engebertus mariscallus. *R.* 1, *C.* 62.

CCXCVII. DE MEDIATORIA DE LANDA CONCESSA ASCELINÆ.

Notum sit omnibus, tam posteris quam presentibus, quod Ama de Lavalle, B. Marie Andegavis abbatissa, et capitulum ejusdem ecclesie concesserunt mediatoriam de Landa Asceline uxori Calopini et heredibus suis, ipsis reddentibus per annum XX solidis de censu B. Marie in die Epyphanie. Pro qua concessione ipsi dederunt, pro caritate, C solidos abbatie; et abbatissa et capitulum sigillo capituli hoc confirmaverunt, istis videntibus et audientibus : Isemberto siniscallo, Raginaldo Andegavensi presule preside (1), Guillermo vicario, Savi-

(1) Sic.

nel, Richerio Bordini, Gaufrido fratre ejus, Stephano Armel et Hugone fratre ejus; de monialibus : Oicia sacristana, Milesendis de Chimileio, Lejardis de Chimilleio celleraria, Maoth decana; Johannes Cadem, Guillermus clericus siniscalli, Petrus Valini preses Andegavensis, et ipsa uxor Calopini et Johannes filius ejus et plures alii. *R.* 3, *C.* 88.

CCXCVIII. DE TERRA APUD LINEAM DATA A GUILLERMO DE BOEL.

Notum est omnibus quod Guillermus de Boel dedit Deo et S. Marie Caritatis terram quam habebat apud Lineam, pro anima uxoris sue : tali pacto ut mitteretur in martirologio et in beneficio ecclesie. Inde revestivit Hysiliam sanctimonialem et Amelinam sororem suam cum baculo. Hoc vidit et audivit Hamericus gener ejus et concessit, et Vivianus et Normannus de Choleto et Pastorellus; et Millesendis filia Guillermi concessit et filius ejus et partem suam dedit. Hoc audivit Petrus sacerdos et Ernulfus filius Fossardi et alii complures. *R.* 2, *C.* 34.

CCXCIX. CONCESSIO FROMUNDI FAMULI APUD MASTILIACUM.

Fromundus, serviens S. Marie, cum esset multorum debitorum obnoxius erga domnam abbatissam et sorores congregationis nec emendare ea posset, in compositionem ipsorum omnium guirpivit S. Marie, post decessum suum integre in perpetuum possidendam, mansuram unam terre in loco qui dicitur Mastiliacus, sicut eam tenere videtur, ad censum solvendum, hoc est solidos IV denariorum in natale sancti Albini, Kalendis Martii; et intra ipsam mansuram, V quarterios vinee et VII arpennos prati. Et est convenientia ut eam dimittat bene garnitam de bobus et aliis bestiis que erunt in terra. Et propter istam conventionem, si eam dimittat minus garnitam et si (male) fecerit, perdat illam in vita sua. Testes qui interfuerunt : Marcuinus, Primaldus, Radulfus, Herveus, Robertus filius Frogerii, Roscelinus frater ejus, Bernardus cocus, Josbertus cellerarius, Vassaulus. *R.* 3, *C.* 52.

CCC. DONUM DECIMÆ DE PLEISSEIO LAMBERTI BASTARDI.

Significare volumus posteris nostris quod Johannes Guitonis dedit Deo et S. Marie Caritatis decimam quam habebat in Pleisseio Lamberti Bastardi. Et Goslenus, frater ejus, concessit illud donum super

altare et concessionem, pro anima fratris sui et sua. Testes hujus rei : Guillermus notarius, Johannes de Plesseio, Raginaldus de Sartrino, Gauterius frater ejus et Robertus frater ejus. *R*. 2, *C*. 82.

DE QUIBUSDAM MOLENDINIS.

CCCI. DE MOLENDINO BALGIACI.

Venerabilis comitissa Hildegardis dedit S. Marie molinum unum in stangno Balgiaci castri, in tempore Fulconis comitis. Cui postmodum, sub Gaufrido comite, calumpniam misit Sanctus, nepos Airaldi prepositi, habens in uxorem filiam Ternarii. Sed cum idem Sanctus a comite Gaufrido postularet prepositurам castri quod dicitur Locas, quesivit ab eo comes in pretium summam pecunie quantum sibi visum est. Quam cum ille pepigisset et solvere jam cepisset, convenit inter eos ut perdonaret ei comes de summa illa solidos nummorum CCC : tali pacto ut ipse et uxor sua calumpniam totam guurpirent quam in molinum faciebant. Si quidem dedit Sanctus ipse uxori sue concambium, quod illa gratanter suscepit, pro molino quod per illam reclamabat. Hujus rei testes videntes fuerunt isti : Gaufridus de Poceio, Bernerius de Sancto Aniano, Goffridus Datus, Thetbaldus de Garzeio, Hugolinus camerarius, David camerarius sanguinis minutor. *R*. 1, *C*. 25.

CCCII. DE MOLENDINIS BARRACHIACI ET PONTIS.

Bone memorie vir Sequualus laicus, moriens, dedit S. Marie dimidium molinum in Lido, ad Barrachiacum, cum uno quartario terre censilis. *R*. 1, *C*. 21.

Tetildis vidua, quando velavit se, tradidit S. Marie dimidium molinum similiter in Lido, in loco qui dicitur Pons, cum uno agripenno terre censilis, et vinearum agripennos IV in loco qui dicitur Pireus. *R*. 1. *C*. 22.

CCCIII. DE MOLENDINO DE GENNEIO.

Res scripta memoriale est et diuturnum et non inutile. Notum sit igitur tam futuris quam presentibus quod Emma, abbatissa S. Marie

Caritatis, conventusque ejusdem ecclesie concesserunt molendinum de Genneio Johanni de Aubance et Odoni Salienti et heredibus suis, et concesserunt bracas et rivum similiter; reddentibus unoquoque anno ad Andegavinam XXV solidos. Unde (sunt) fidejussores : Escharin de Brachesac et Johannes Forbom, Daniel de Sancto Alemando, Urvonius de S. Alemando et Lambertus de Avrileio; istis testibus viventibus et audientibus : Moicia secrestaria, Hisabel Caorcina, Lejarde de Chimileio, Milesende de Chimilleio; Isemberto siniscallo, Gaufrido Buart. Abraam de Leone. Roberto de Vaus, Giraldo Belliotem, Laurentio de Leone, Secardo secrestario, Caleto de Brachesac et pluribus aliis, anno ab incarnatione domini MCLXIV°. *R.* 5, *C.* 87.

CCCIV. DONUM MOLENDINORUM MORNIACI.

Ascelinus, pater Petri de Lengiaco, donavit S. Marie Caritatis quod habebat proprium Braimo, per manum comitis Fulconis. Petrus ejus filius habebat duo molendina Morniaci quorum dedit medietatem S. Marie pro escambio de maritali terra quam habebat Filgeriaci, quam volebat dare S. Marie Adelais uxor ejus. Et (annuerunt ejus) filii Gaufridus et Guido et Noe et Hamelina uxor Gaufridi filii Rorgonis Oti; (testibus) : Fromundo Fanonoci, et Ansberto Brunello et Ingelmaro, Heinesio de Gradu, Gauterio de Calvono, Augerio sacerdote, et Roberto canonico, Adelelmo canonico, Bosone, Stabulo vicario, Roberto qui tunc erat prepositus comitis, Fulcoino vicario, Christiano de Spiniaco, Theberto homine S. Marie, Gosberto de Legione. Hoc donum prescriptum et emptionem concessit Petrus de Lengiaco et filii ejus et uxor ejus, et insuper quodcunque potuerint sanctimoniales in toto suo casamento (acquirere); teste : Artaldo Brioliaci, Maurino de Alneriis, Gaufrido filio Artardi, Garino de Breimo, Gauterio Ruffo, Rainaldo cellerario, Fulcoino fratre ejus, Johanne marescallo, Gauterio, Gaufrido. His videntibus et audientibus, fuit firmatum donum et coemptio in capitulo S. Marie, et de capitulo fuit deportatum super altare. *R.* 1, *C.* 46.

Fromundus de Fanoco, volens filiam Deo et sacre virginitati dicare, oravit abbatissam et ceteras domnas ut eam reciperent, eo pacto ut ipse esset in auxilium necessariis rebus S. Marie. Dedit de suis rebus medietatem partis illius quam habebat in molendinis Morniaci, et medietatem ejusdem portus et mediatorum pratorum que ibidem habebat, et pasnagium C porcorum in perpetuum, et honera

XL quadrigarum de silva omni anno semel, per concessionem filiorum suorum et uxoris sue; testibus : Ansberto Brunello, Ingelmaro, Herneiso de Gradu. Giraldo Calvello, Augerio canonico, Roberto canonico, Adelelmo, Stabili vicario, Fulcoino, Lamberto Episcopo, Thetberto, Gosberto de Legione, Christiano de Spinatio, Roberto de Spiniaco, Rainaldo cellerario, Rainaldo rustico. *R.* 1, *C.* 49.

CCCV. CONCORDIA INTER MONIALES ET HAIMONEM GUISCHARDI, DE MOLENDINIS MORNIACI.

Non est silentio opprimendum sed memorie eterne commendandum qualiter Hamo Guischardus non (solum) cessavit huic ecclesie malefacere, sed etiam omnem calumpniam tam molendinorum quam pratorum Morniaci dimisit. Hec molendina habuerant sanctimoniales cum matre Rainerii de Turre, que se in presenti ecclesia sacro habitui reddiderat. Hamo vero Guischardus, non rectitudini sed virtuti proprie rapacitatique confidens, abstulerat molendina cum pratis; adhuc et molendinum de Briesarta, quod tenuerant sanctimoniales de Bernardo Festuca. Hec omnia reddidit libere S. Marie sicut antea tenuerat ecclesia, ponens donum super dominicum altare, concedente uxore sua Berta et fratre suo Roberto et Hilduino de Baraciaco; testibus his : Rainaldo Burgevino, Garino Gemello, Rainaldo cellerario, Garino Doblello, Rainaldo Grossino ipsius Hamonis milite, Rainaldo de Fossis, Hugone de S. Laudo, Stabulo vicario. *R.* 1, *C.* 56.

De illius dissensionis lite quam diu inter se Haimo Guischardus et Caritatis abbatissa, Richildis nomine, monialesque monasterii, pro molendinis de Murniaco quos ipse calumpniabatur, habuerunt, ad hanc tandem, divina moderante clementia, pacis concordiam, in B. Marie virginis capitulum, III° idus Septembris, convenerunt. Concesserunt enim abbatissa et sanctimoniales predicto Haimoni Guischardo suisque heredibus medietatem totius predictorum molendinorum exitus, annone scilicet et adjacentium pratorum, piscium quoque ac portus omniumque que inibi habebant : eo siquidem tenore ut ipse heredesque sui, sicut dimidium proficuum habere voluerint, ita ad omnia, ad molas videlicet comparandas, ad faciendos reficiendosque molendinos, ad clusam tenendam, ad pratorum procurationem et ad cetera quecunque rei usus poposcerit suppeditanda, medietatem omnium necessariorum exibeant et rectam societatem erga eas teneant fidelesque in omnibus amici et auxiliatores perma-

neant. Et si quando eis bellum ab aliqua parte, de quo prepositos molendinos defendere nequeant, ingruerit, ad partem monialium ut aliquid inde capiant non redibunt; sed eis suam portionem, sicut pacis tempore habebant, licebit habere quietam. Hec igitur conventio in capitulo, sicut supra scripta est, recordata et confirmata fuit ab uxore filioque Haimonis, (et) plene concessa a Goffrido Borgonis filio sicut iste idem Gischardus pepigit cencedenda. Illud autem silendum non est quod de illis D solidis quos iste Haimo Guischardus, pro illa concordia que inter se et monachas longe ante istam facta fuit, quam ipse tenere noluit, CCC solidos redditurum se per tres terminos, dato inde fidejussore Burguini filio, sanctimonialibus annuit; testibus ex S. Marie parte existentibus istis : Hugone de S. Laudo, Adelelmo, Johanne atque Godefrido canonicis, Raginaldo de Brachesac, Raginaldo vicario de Fossis, Raginaldo villano, Theberto preposito, Gauterio Rufo. *R.* 1, *C.* 71.

CCCVI. DE MOLENDINIS ROSSERII.

Cognoscatis itaque omnes fideles quod Garinus Allec, pro suorum remissione delictorum, sanctimonialibus S. Marie Andegavis decimam suorum molendinorum de Roseros dedit et concessit. *R.* 2, *C.* 65.

Si ea que agimus firmiter retinere volumus, scripturarum memorie commendare debemus, ne in eternum oblivione deleantur. Quapropter ego Agnes filia Garnerii Bodini, facta sanctimonialis, dedi Deo et S. Marie Caritatis mecum dimidietatem duorum molendinorum de Rosserio cum piscatura et exclusa, solute et quiete, preter IX denarios de censiva que solventur in feria Andegavina vel post infra VIII dies in manu Hugonis Gooldi vel heredum suorum. Dedi etiam duas mansuras terre in Morenneio : unam ad Montem Gileberti de qua est decima S. Marie de Podio, et aliam ad Campellandam de qua est decima et terragium S. Marie Caritatis. Hoc donum concessit Raginaudus Andegavensis episcopus, de cujus feodo erat, et Leschardus de Sablulio et Capraria uxor sua. Concessit etiam Hugo Gooldus et plegiavit garentare in capitulo S. Marie, et donum et concessionem posuit super altare et Matheus filius ejus. Hoc viderunt isti : Paganus Gooldus, Ulgerius nepos magistri Ulgerii, Rainerius canonicus, Barbotus villicus, Gauterius de Castellis, Stephanus cellerarius, Amauricus, Ernodus Pidoculus. *R.* 2, *C.* 98.

Memorie commendare nequaquam superfluum credimus quod domnus Pipinus, Andegavis prefectus, XX solidos censive, pro molendinis Rosii (1) et quadam exclusa nondum facta, se nobis singulis annis redditurum suosque successores promisit et firmiter stabilivit. Hujus censive initium Agnes de Plexiaco, (quando) facta est monialis, nobis donavit; sed parentes ipsius, ejus donum calumpniantes, in hanc concordiam nos adduxerunt ut XX solidos de prefatis molendinis, sicut dictum est, nobis redderent et, cum exclusa facta fuerit, X solidos de exclusa et de molendinis X. Hoc factum est coram Amelina abbatissa; presente Turpino ejus vicario, Mainerio dapifero, Osanna celleraria, Petronilla decana, Agnete sacristana, Durando canonico, Adam canonico, Menardo canonico, Radulfo canonico. *R*. 3, *C*. 2.

CCCVII. DE MOLENDINO ET TERRA DATIS AB ADUISA.

Aduisa dedit Deo et S. Marie quoddam molendinum sine calumpnia, quod a patre suo et a fratre nomine Gausleno datum illi fuerat, in perpetuum tenendum, cum duobus arpennis terre, ad censum solvendum VIII denarios Basilie et Raginaldo absque ulla costuma; se ipsa auctorizante cum omnibus suis nepotibus : tali tenore ut excommunicetur ab omnipotenti Deo atque ab ejus genitrice Maria atque omnibus sanctis atque christianis quicunque illud calumpniare voluerit aut aliquam consuetudinem immittere. *R*. 3, *C*. 59.

CCCVIII. DE MOLENDINARIIS CONCESSIS HARDUINO DE VALS, CALOPINO ET HULDERICO.

Ad confirmandam legitimorum virorum institutionem, presentem cartam scribimus recitandam. Statutum fuit a legitimis viris, in claustro S. Marie infra cameram Hildeburgis abbatisse, quatinus ipsa concederet Harduino de Vals molendinariam unius molendini tota vita : ipso reddente unoquoque anno XX solidos, scilicet ad festum Sancti Johannis Baptiste. Hoc concessum est illi quamdiu vivens recte se haberet erga domnam abbatissam et omnem conventum S. Marie. Hujus rei sic statute astans carta retinet testes : Hildeburgis abbatissa, Verzelina, Iselia, Amelina de S. Quintinio, Amelina de Choleth, Stephania de Doc Salvage, Garinus Losdun, Boselinus, Barbotus

(1) Melius *Roserii*.

vicarius, Robertus presbiter de Hespireio, Bernardus de S. Lamberto, Isembertus pontis custos, Barbotus Aubodi filius, Hilderius Britelli filius, Calopinus Hamelini filius. *R.* 4, *C.* 19.

Ad confirmationem veri testimonii, noscat vestra prudentia quatinus Audeburgis, congregationis S. Marie abbatissa, Calopino filio Hamelini et Hulderico filio Britelli duas molendinarias duum molendinorum usque ad finem vite sue, quamdiu legitime erga dominas se haberent, concessit; his testibus : Audeburgi abbatissa, Beatrice sorore sua, Isilia celleraria, Verzelina sacrista, Isobia, Amelina de Choleto, Garino Losduno, Barboto vicario, Boselino dapifero, Garino de Bremo, Pipino de Turone, Fossardo vicario, Isembardo de Bucca Meduane, Barduino de Vallibus, Herveo filio Algardis. *R.* 4, *C.* 20.

DE QUIBUSDAM VINEIS.

CCCIX. DE VINEIS DATIS IN FICO IVONI DE S. SATURNINO.

Ivo de S. Saturnino accepit, sequenti die sollempnitatis Omnium Sanctorum, ab abbatissa B.... omnique congregatione, in fico, IX quarterios vinee : tali pacto ut, post decessum ejus, in jus rursum S. Marie redeant. Quas, si affuerit filius illius fidelis ac prudens quem congregatio genitricis Dei dilectum habeat, requirat per misericordiam itidem ab eis; que si noluerint, sileat. Ipso dedit die idem Ivo S. Marie VI quarterios vinee, quos ipse a fratre Guiburgis, monacho Nannetensi, comparavit : tali pacto ut in die obitus sui S. Marie C solidos det vel que melius voluerint, aut C solidos aut vineas. Hii testes affuerunt : Primaldus, Albertus, Guillermus, Rainaldus, Herbertus, Stabilis, Adrianus. *R.* 5, *C.* 90.

CCCX. DE VINEIS ANDEFREDI.

Tempore Gaufridi comitis Minoris, calumpniatus est Gaufridus Banarius uxori Haimerici fratris Andefridi vineas quas dedit S. Marie post (decessum) mariti sui. Has vero acquitavit Andefredus, per hoc quod paratus fuit ante supradictum comitem faciendi bellum contra eum quod falsam sibi intulerat calumpniam. Et propter hoc quod non potuit facere prelium, ipse Gaufridus evagiavit forfactum; quod

fecit ante comitem ad Giraldum Calvulum per concessum abbatisse, testibus his : Israelo, Guillelmo Normanno fratreque ejus Giraldo, Garino celerario, Giraldo Calvulo, Andrea telonario, Bernardo pontonario, Roberto pellitario, Fulberto monetario, Huberto corvesario, Stabili vicario, Rivualdo scriptore, omnibus astantibus ad placitum apud S. Mauricium. *R.* 1, *C.* 29.

CCCXI. CONVENIENTIA DE VINEA STABILIS VICARII.

Hec est convenientia vinee quam Stabilis vicarius mercatus est de Rainaldo Joculatore et de Jordano Sellatore. Istam vineam sepe calumpniaverunt Teobaudus Tanator omnesque filii ejus, tempore comitis Gaufridi Aldoinique prepositi. De quo falso calumpnio accepit Jordanus Sellator duas leges de Teobaudo Tanatore, judicante Alduino preposito; ibique perfecit Jordanus vineam Stabili vicario absque ullo calumpnio coram preposito Alduino. Iterum erepxit calumpnium tempore comitis Gaufridi, successoris alterius Gaufridi; de quo precepit Gaufridus comes Roberto preposito ut rectum faceret, et ipse fecit. De quo calumpnio accepit Teobaudus judicium, (sed) non fecisse et minime portare ausus est : propter quod dedit Theobaudus vadium, scilicet VII solidos et dimidium, Stabili vicario et X solidos Roberto preposito de judicio minime facto. Quo facto, petiverunt Tetbaudus et filii ejus misericordiam, ut ipsis misereretur Stabilis. Et misertus est et dedit Stabilis V solidos, videntibus his quorum nomina infra sunt scripta : Robertus prepositus, Fulcoius vicarius, Andefridus mercator, Giraldus Calvellus, Giraldus mercator, Galterius Bercotus, Rainaldus mercator, Guinebaldus Sutor, Goffridus Tanator fraterque ejus Frogerius, Goffridus forestarius, Ermenaldus frater ejus, Galterius filius Ulgerii, Engelbaudus faber, Andreas Goellus et omnes homines qui aderant ante portam monasterii S. Marie Caritatis, die dominico. Istud pactum annuerunt Tetbaudus et uxor ejus et omnes filii ejus et filia, Garinus, Rainardus, Johannes, Albericus, Radulfus, Andefridus, Johannes Minor, Stabilis. Et in illo die dedit Stabilis vicarius pastum comedendum Teobaldo et uxori ejus et filiis ac filiabus, ad prandium et ad cenam. *R.* 5, *C.* 84.

CCCXII. DE VINAGIO CONCESSO GOFFRIDO PRÆCENTORI.

Quicquid in evum durare posse credimus, per litteras vivaci memorie commendare dignum judicamus. Igitur ego Goffridus, Ande-

gavensis ecclesie precentor dictus, notum fieri cupio tam futuris quam presentibus quod ego diu quesitam a domina mea Richildi abbatissa et a sanctimonialibus in monasterio sancte Dei genitricis Marie die noctuque, ea qua possunt non qua debent devotione, Deo servientibus, tandem impetravi postulationem : scilicet ut michi tantummodo in vita mea concederent vinagium unius arpenti vinee et illam partem terragii relique terre que illis pertinere videtur. Hec itaque donatio tali pacto firmetur ut nemo vel parentum vel amicorum meorum cui terra illa, post obitum meum, remanebit hanc donationem terragii et vinagii, quam domine mee gratuita bonitate michi immerito tantummodo in vita concedunt, jure reclamare possit. *R.* 5, *C.* 87.

Gaufridus, cantor S. Mauricii, habuit vinagium vinearum, in vita sua, de abbatissa Richelde. Post cujus mortem Rogerius, cognomine Bucca Orlata, cepit ipsum vinagium; de qua re fecerunt sanctimoniales clamorem ad episcopum Gaufridum. Cumque nollet, propter episcopum, reddere vinagium, monuit episcopus Goffredum de Brioleto ut adduceret supradictum Rogerium ad rectum faciendum. Tunc quidem gagiavit in manu episcopi, et accepit abbatissa Teburgis unum denarium de denariis de lege; et ipse (dedit) fidem suam, in manu Theberti prepositi, ne umquam amplius acciperet illud vinagium; vidente : Fulcoio serviente S. Marie, Maguario filio Amalguini, Isembardo fratre Gauterii Rufi, Hamelino filio Gauterii Rufi. *R.* 5, *C.* 69.

CCCXIII. DE VINEIS ARNULFI AMARÆ FARINÆ.

Sic scriptum est quod, tempore Fulconis comitis, Arnulfus emit arpentum vinee a Goffrido filio Adelelmi XXV libras. Quod concessit Goffridus ipse Arnulfo solidum et quietum omni tempore ab omni calumpnia, ad vendendum et ad dispendendum omnibus modis, insuper uxore Gaufridi et filio suo Goffrido concedentibus Arnulfo simili modo vineam illam, fueruntque ipsi plegii et omnes res eorum Ernulfo pro vinea illa. Insuper plegii sunt erga Elnulfum de vinea illa : Morinus Savinellus, Petrus filius Fulcouini et mater ejus et Lambertus de Furnilio. Quod viderunt et audierunt isti : Bernaldus frater Ernulfi, Erveus et Rainaldus, Picardus nepos ipsius Ernulfi et Britellus, qui erant famuli Ernulfi; Guibardus carnifex et filius suus Tetgerius, Benedictus Follus. Omnesque isti fuerunt ad bibragium

inde redditum in domo ipsius Goffridi, ibique concesserunt Ernulfo vineam illam omnes filii Goffridi sicut ipse Goffridus, videntibus supradictis. *R*. 1, *C*. 1.

Ernulfus de Amara Farina, moriens, dimisit S. Marie tres quartarios vinearum quos dedit abbatissa filiis ipsius Ernulfi in feuo, solommodo in vita eorum. Cum autem morientur, hii tres quartarii ad S. Mariam redeant, et alie vinee quas tenent de patrimonio sint similiter S. Marie si non habuerint sobolem de uxore. Hujus rei testes sunt : Fulcoinus vicarius, Stabulus vicarius, Gaufridus filius Adelelmi, Tebertus prepositus. *R*. 1, *C*. 51.

Ernulfus, Amara Farina cognominatus, S. Marie monasterio vineas suas, post mortem filiorum suorum Laurentii et Frogerii, si absque liberis migrarent a seculo, in perpetuum concessit. Quibus nullo herede remanente defunctis, Gaufridus Adelelmi filius Tetbertusque prepositus, Odilarius atque Lambertus, sese heredes illius propinquitate generis asserentes donationemque illam irritam fore debere proclamantes, predictis vineis calumpniam imposuerunt; quod in curia S. Marie, ante Richidem abbatissam, veraces sublimesque persone quarum nomina subtus scribuntur, aperte lege probandum fore dijudicaverunt. Qui videlicet calumpniatores hominem suum, Hernaldum nomine, sicut dijudicatum fuerat in S. Trinitatis ecclesiam, ubi calefiebat aqua, adduxerunt. Sed Deus, omnipotens judex et rectus, S. Marie matris sue virginis famularum tantam non patiens injuriam detrimenti, nec viri fidelis volens elemosinam remanere in manibus iniquorum, aperto manifestavit judicio illos predictarum injuste calumpniatores extitisse vinearum. Nam predictus Ernaldus, missa celebrata corporisque Christi ac sanguinis communione percepta nec non et jurejurando super sanctorum reliquias pro more persoluto, ita oculorum lumine privatus erat ut vix ad sartaginem in quam manum missurus erat, sicut ipse postea omnibus qui aderant retulit, accedere potuisset. Immissam vero manum ita ex aqua coctam retraxit ut et ipse non solum in manu verum etiam interius, pene usque ad intima cordis, se combustum confiteretur; et illi magistri sui, predicti calumpniatores scilicet, reatum suum cognoscere signi virtute cogerentur. Qui etiam dum in manum, sicut mos est, sigillare permitteret rogaretur, aiebat se nullatenus, pre dolore, pati ut aliquid manum illam contingeret. Servatus tamen manu nuda usque in diem tercium, inflatam admodum et excoriatam sanieque jam carne putri effluen-

tem, dexteram invitus ostendit. Ita divinitus ostensa veritate et falsitate dejecta, recte acquisite omnino remanserunt sancto sue cenobio vinee. Nomina testium sive judicum : Gaufridus de Meduana, Clarembaldus atque frater ejus Adelardus, Gaufridus Martinus, Hugo de S. Laudo, Guido Guinomarus, Bartholomeus prepositus et alii quamplures. *R.* 1, *C.* 89.

Quoniam mens humana brevi tempore deficit et labitur, ideo quod firmiter et firmius retineri desideratur vivaci memorie litterarum perhenniter commendetur. Ne ergo quod facimus per negligentiam obscuretur aut per ignorantiam oblivioni donetur, volumus enucleare quod Fulco Junior, Andegavensium comes, dedit Orieldi sacristane, que multa beneficia ei fecerat in pueritia sua, et etiam pro amore Ademi nepotis sui, comitis nutricii, II modios vinagii et dimidium, ad eam vestiendam, quos debebant moniales comiti de vineis Amare Farine, et etiam custodem ipsarum vinearum immunem esse statuit ab omni exercitu suo et costuma. Postea, admonitione ipsius Ademi, dedit et concessit comes supradictum donum perhenniter habendum ad altare serviendum; et misit per ipsum Ademum cultellum, concessionem doni, in capitulum S. Marie. Deinde Ademus posuit cultellum super altare, ex parte comitis, quasi ipse manu propria poneret; et abbatissa Theburgis recepit et, ad signum hujus rei, complicari precepit. Unde sunt testes isti : Guillermus de Lochon, Ademus, Pipinus camerarius comitis, Benedictus de Seio; ex parte abbatisse (1) : totum capitulum, Marquerius Amaugini, Giraldus coqus, Garnerius Gastel, Rainerius canonicus, Girardus canonicus, Hamericus sacerdos, Babinus presbiter. *R.* 2, *C.* 32; *R.* 5, *C.* 40.

Apud Carleium, de censu vinearum Amare Farine, que sunt de altari, reddimus XVII denarios. *R.* 2, *C.* 26.

CCCXIV. DE VINEA PAGANI ET TIETBERTI.

Dederunt Paganus filius Fulberti et Tietbertus, pro anima patris et sororis sue uxoris ejusdem Tietberti, arpentum vinee servientibus Deo in cenobio S. Marie Caritatis : eo pacto ut in martirologio uterque scriberentur. Hujus rei testes habemus : Gaufridum Borez, Raginaldum Fossart et ipsum Tietbertum cum Barbotino nepote suo et

(1) Omne capitulum, Giradus canonicus, Hylarius, Rainerius, Eudo secretarius, Hainricus sacerdos, Rainaldus Teberti filius, Babinus. *R.* 5, *C.* 40.

Maino. Hoc donum suscepit abbatissa Teburgis ab altari, cernentibus Hildeburge cellaria cum Osanna et Heluide. *R*. 5, *C*. 82.

CCCXV. DE VINEIS TRADITIS AD COLENDUM.

Abbatissa Tietburgis tradidit vineas Morini carpentarii Fulcoio, quarterium et medium : eo pacto ut, quamdiu ipse optime eam operaretur aut ipsi placeret, tam longe eam possideret. Tantumdem Gauterius cellarius medium arpennum habet iterum, et similiter Gauterius Esperun. Hoc autem non est factum in capitulo, sed tantummodo privato consilio. *R*. 5, *C*. 84.

CCCXVI. CALUMNIA DE VINEA AUSENDIS.

Tempore Theburgis abbatisse, Gauterius filius Fromundi de Baudon rectavit Ausendem de vinea sua, quam ipsa Ausendis et vir ejus Joscelinus de illo emerat; et ipsam vineam cupiens habere, eo pacto dixit se vendidisse ut post mortem utriusque eam haberet. Hoc Ausendis per legalem hominem verum esse negavit et, termino astante, ipse Gauterius vitande veritati adesse noluit. Hujus rei testes fuerunt : Raginaldus, Morinus. *R*. 5, *C*. 85.

CCCXVII. DE VINEA APUD VILETAM, CONCESSA GERVASIO DE TROEIA.

Quoniam, precipue nostris temporibus, complures, nequicie spiritu ducti, res ecclesiasticas persecuntur, depredantur et minuunt, attentius inveniendi sunt amici divine dilectionis emuli, et quadam rerum ecclesiasticarum obligatione retinendi. Unde ego Hildeburgis, humilis S. Marie Caritatis abbatissa, communis assensu capituli, ob causam dilectionis et nostre ecclesie defensionis, dono et concedo domno Gervasio de Troeia V quarterios vinee, quos habemus apud Viletam : tali conventione quatinus ipse Gervasius teneat istam vineam in sua vita; et post suam mortem vinea, sicut erit, nulla interposita occasione, ecclesie S. Marie Caritatis restituatur. Et ne vinea ista a nostri integritate tenoris aliquo modo aliquam patiatur alienationem, nos per singulos annos censum, ut nostre rei, persolvemus, et ut nostram hereditatem, si necesse fuerit, defendemus. Hanc conventionem et concessionem audierunt et viderunt quedam sanctimoniales et quidam homines S. Marie, et Fulco camerarius et Gorronus et Robinus filius Hisembardi de Ambezia. *R*. 5, *C*. 6.

CCCXVIII. EMPTIO CUJUSDAM VINEÆ ET ROCHÆ.

Enucleare conamur quia Stephanus Letardus atque Chotardus quandam vineam rocham quoque ab Hildeburgi abbatissa emerunt: ita ut singulis annis X et VIII nummos pro censu redderent. Quod concesserunt Hamelina de Choleit, Heremburgis de Gloria, Heudegardis filia Babionis, Richodis cellaria, deinceps totus conventus. Iste autem census apud Baugeium cum aliis reddetur. Inde sunt testes : Rabaut villicus, Gaufridus Amaurius, Moyses subvillicus, Ascelinus, Ranulfus cocus, ceteri quoque clientes. *R.* 6, *C.* 14.

CCCXIX. DE VINEA DE PIRI ET DE REBUS GARINI DOLII.

Notum sit presentibus atque futuris quod Amelina, S. Marie de Caritate abbatissa, totusque conventus Garino Dolio concesserunt quicquid Guillermus de Cartis, frater suus, ab ecclesia S. Marie tenuerat; excepto uno arpenno vinee, que vinea Piri dicitur, vinum cujus vinee priorissa, ad dispensationem domus, semper habebit. Concessum est etiam Garino predicto quod filie sue Richeldi, cognomento Morhibrete, dimidium arpentum vinee vel quadrum donaret et arpentum terre. Cetera vero omnia, quecunque habebat vel acquisiturus erat, post suum obitum S. Marie concessit et donavit. Et ut esset stabile et firmum donum istud, super altare S. Marie posuit; videntibus hoc subscriptis testibus et audientibus : Turpino vicario, Menerio dapifero, Rainaldo picerna, Bruando, Goffrido Bocerio, Vendelex, Roberto stabulario, Odone cellerario, Gosberto silvano, Hudererio molendinario, Dinando. *R.* 5, *C.* 55.

CCCXX. DE TRIBUS ARPENTIS VINEARUM VENDITIS ISEMBERTO DE PORTU.

Quoniam mens humana brevi tempore deficit et labitur, ideo quod firmiter et diu retinere desideratur, vicaci memorie litterarum perhenniter commendatur. Ne ergo quod facimus per negligentiam obscuretur aut per ignorantiam oblivioni donetur, volumus litteris enucleare quatinus Orsandis abbatissa, assensu et voluntate capituli ecclesie B. Marie de Caritate, III vinearum arpenta cum torculari ad XII denarios de censu (dederat), que Goffridus de Cepia longo tempore tenuerat; post mortem vero ipsius, Isemberto de Portu heredibusque ejus, ad vendendum vel ad dispendendum et ad suam volun-

tatem faciendam, propter M solidos vendiderunt et in communi capitulo predicte ecclesie hanc emptionem concesserunt; et, ut firmius duraret, propriis abbatie sigillis sigillare fecerunt. Et isti testes affuerunt : Orsandis abbatissa, Hildegardis celleraria, Theophania decana, Oiscia sacrista, Guiburgis Parva, Richildis de Jalla, Milesendis de Choleto, Milesendis de Camilleio et plures alie; et ex hominibus : Teson canonicus, Sechardus presbiter, magister Menardus, Matheus presbiter, Moriher presbiter, Petrus Martinus, Hugo nepos Menardi, Gauterius filius Johannis, Borser, Radulfus Isemberti filius, Laurentius de Leone, Garinus de Tur, Gaufridus Buchardus, Robertus de Vallibus, Guillermus cellarius, Christianus de Espinatio prepositus, Raginaudus Bisquenel et cumplures. Hoc factum est anno illo quo rex Anglie, super comitem Teobaldum, castrum Chaumunt cepit et cum Lodovico rege Francorum pacem firmavit; et hoc factum fuit consilio domni Gosleni, regis dapiferi, atque Hugonis de Fixa senescalli, anno ab incarnatione domini MCLXI°. *R*. 5, *C*. 98.

CCCXXI. DE VINEIS PRO QUIBUS REDDITUR CENSUS XXI SOLIDORUM.

Fuco Oberti filius, dimidium arpentum vinee; Giraldus Picois, arp. et dimid.; Angrinus arp. et dimid.; Giraldus vicarius arp. et dimid.; Auquitinus porcarius, dimid. arp.; Bovetus de Bucca Meduane, I arp.; Albericus Salvete, I arp.; Frogerius de Forgis, dimid. arp.; Blancus de Danazeio, II arp. et dimid.; Goffridus de Cartis, II arp. et dimid.; Bohilia, I quarterium; Audesendis dimid. arp.; Rainaldus Roimerus, dimid. arp.; Gaudinus, I arp. et dimid.; Rainaldus Roimer, I arp.; Bauduinus Beesus, dimid. arp.; Garinus Rufus, dimid. arp.; Cantor, dimid. arp.; Andreas Circat Vetulam, dimid. arp.; filius Huberti Rufli, dimid. arp.; Joffridus et Rainaldus, dimid. arp.; Bernaldus Alemandus, II arp.

Et de istis vineis reddet Bernardus XXI solidos S. Marie in vigilia Natalis. *R*. 5, *C*. 72.

CCCXXII. DE VINEA ALBURGIS.

Alburgis, laïca femina, dedit S. Marie, pro elemosina sua, unum arpennum vinee quam tenuerat liberam de consuetudine vinagii. Ipsam postea comparaverunt a monachabus B. Marie Benedictus et Benedicta uxor ejus atque Abertus ejusdem Benedicti filius : tali tenore ut post mortes eorum omnium redeat arpentum illud ipsius (ecclesie)

B. Marie proprium. Hujus rei testes sunt isti : Radulfus presbiter, Bernardus coquus. *R.* 1, *C.* 37.

CCCXXIII. DE ARPENTO VINEARUM DATO AB AUDOENO MONACHO.

In nomine domini Ihesu Christi. Memorie posterorum tradimus quod Audoenus Monachus quoddam arpentum vinearum S. Marie suisque sanctimonialibus, pro sua suorumque parentum animabus, quamdiu hujus secularis vite duraret spatium, solidum et quietum concessit, omni remota calumpnia. Quam concessionem isti, quorum nomina infra denotantur, audientes et videntes ejusdem rei testes existunt : Erneisus prepositus, Barbotinus cellerarius, Vaslinus S. Marie famulus, Girardus Pina, Guiardus, Lambertus de Sarriaco, Barbotinus Tetberti filius, Vivianus homo Clarembaldi, Goffridus Belina, Enchelrandus, Hubertus Curtus, Laurentius Enardi filius, Gilbardus. Et cum istis fuerunt quedam ex sanctimonialibus que illud idem audierunt et viderunt : Milesendis scilicet de Brioleto atque Agnes tunc de S. Cruce existens celleraria, et plures alii qui non sunt recitati. *R.* 4, *C.* 75.

CCCXXIV. DE TRIBUS QUARTERIIS VINEÆ QUOS FULCOINUS VENDIDIT.

Memorie omnium sancte Dei ecclesie curam gerentium et maxime nostre successorum ecclesie tradi oportet qualiter vendidit Fulcoinus Giraldo, S. Martini canonico, tres quarterios vinee quos tenebat de nobis sanctimonialibus S. Marie. Radulfus igitur presbiter, rerum supradicte ecclesie procurator exteriorum, dum fine positus in ultimo domui (1) suæ disposuisset, vendere que habebat pauperumque indigentiis, pro Dei amore suorum etiam pro remedio peccaminum, suos elemosinarios distribuere rogavit. Postmodum vero illo defuncto, cum elemosinarii perficere que vivens postulaverat presbiter inchoassent, arpentum quoddam vinee quod ipsius fuerat Fulcoinus ab eis mercatus est. Sed ad comparandum arpentum cum sibi precium deficeret, petiit (ab) abbatissa et a sanctimonialibus ut sibi licentiam concederent vendendi tres supradictos, quos earum de beneficio habebat quaternos; quod ita fecerunt convenientia eadem : scilicet ut post finem vite sue loco S. Marie et sanctimonialibus inibi Deo servientibus arpentum illud dimitteret. Hanc conventionem in

(1) Melius *elemosinæ*.

se gratanter habuerunt Fulcoinus et abbatissa. Et ut firma validius vigeret, abbatissa in capitulo, presentibus reliquis sororibus, auctorizavit, videntibus qui aderant S. Martini canonicis : Lamberto scilicet tunc temporis priore, Guillermo Bicola, Bernardo Bituricensi, Gauterio, Rainaldo, Otgerio, Andrea, Primaldo, Guiberto; laïcis : Eudone de Blazone, Fulcoino, duobus etiam militibus domni Eudonis. *R.* 5, *C.* 89.

CCCXXV. DE VINEA QUAM EMIT GAUFRIDUS PICTAVINUS.

Gaufridus Pictavinus emit quandam vineam de Letardo nepote Raimberti : (et) IV libras et XIV solidos cum vino habuit ipse Letardus. Huic convenientie testes fuerunt : Letardus et uxor ejus, Garnaldus et uxor ejus, Johannes de Pui, Gaufridus filius Gauterii, Hamo frater Letardi, Odo Pinguis. Hii omnes biberunt vinum de vinea. Et quando hec scripta fuerunt, habebat ipse Gosfridus (per) unum annum habitum et diem sine calumpnia. Et si aliquis calumpniam miserit, ego Gaufridus, qui hanc emi, precipio ut judicium portet quod hec vera sunt que feci scripbere. *R.* 4, *C.* 98.

CCCXXVI. DE EMPTIONE VINEÆ GUNTELDIS.

Gunteldis, post mortem viri sui Sigeberti, vendidit Callido dimidium agripannum vinee (propter) VII libras sibi quitas, annuentibus filiis et filiabus suis qui similiter vendiderunt; qui, ut libenter concederent ac plegiarent, habuerunt : Adelais XII denarios, Rogerius puer camisiam, Mainerius puer sotulares, Girbergis XII denarios, Johannes VI denarios. Parentes autem illorum venditionis istius actores plegiique fuerunt : Odo, Guinebertus, Michael, Gillebertus; qui pro eadem concessione X solidos habuerunt, quibus insuper Callidus iste X solidos prestavit. Cum quibus sunt plegii : Guihomardus Girbergis maritus, Garinus Burgundio, Gaufridus Adelelmi; et dimidium arpentum vinee et domus (confirmaverunt). Quod viderunt et audierunt qui buiragio affuerunt : Radulfus Joici, Gauterius politor, Hugo bombicinarius, Evanus tanator, Evanus mercator, Benedictus de Blazon, Martinus de Bernezai, Goffridus Alte Tonsus, Helio, Durandus tanator, Hylarius hujus cartule scriptor. *R.* 5, *C.* 27, 67.

CCCXXVII. CALUMNIA DE VINEIS VENDITIS HAMELINO TINIOSO.

Presens atque sequens evum sciat Lambertum, Laurentii de Carloto

nepotem, matremque ejus Hamelino Tinioso vineas vendidisse, ipsumque fidejussorem ejus solidas et quietas faciendi fuisse. Mortuo autem Hamelino, iste existimans frustra se inde aliquid lucraturum, Alberico, illius uxorem habenti, supradictas vineas calumpniavit partemque ab eis extrepavit. Albericus igitur, coram Giraudo preposito, eum sibi rem suam injuste calumpniasse convicit; ideoque, quod non recte Robertus calumpniaverat, Alberico vadimonium suum tradidit : de quo ipse unum denarium, ceteris condonatis ob illius memoriam, accepit. Hoc factum est vidente Giraudo preposito, magistro Marbodo et Guillermo de Camilliaco et Tetberto Trans Meduanensi, Raginaldoque de Brachesac et Ernulfo de Gastinis Andefredoque Guidonis filio et Durando Terrore Panis, Ernulfoque milite et Andrea. *R*. 4, *C*, 11.

CCCXXVIII. DE CONFIRMATIONE VINEÆ TETBURGIS.

Notandum est quod Arraudus annuit sanctimonialibus B. Marie vineam quam mater sua Tetburgis dederat eis. Quod factum est in audientia istorum : Josleni Joi, Anselini ejusque fratris Radulfi, Tetberti, Rainaldi vicarii, Rainaldi de Fossis, Rainaldi Calvelli, Glaii cellarii, Joffridi Pictavensis, Marquerii, Rainaldi villani, Garini secretarii, Adelelmi canonici, Josberti canonici. *R*. 1, *C*. 62.

DE MINUTIS DONIS ET EMPTIONIBUS.

CCCXXIX. DE CENSU DATO A GIRALDO JUVENI.

Giraldus Juvenis dedit S. Marie Caritatis XVIII denarios de censu quem reddebant ei sanctimoniales, in manu abbatisse Theburgis; teste : Rainardo Fossardo, Gauterio Rufo, Rainardo fratre Fossardi, Garino Rufo, Galterio Tebaudi qui erat de hominibus Giraldi Juvenis. *R*. 5, *C*. 71.

CCCXXX. DE REBUS DATIS AB ERMENGARDE.

Ermengardis dedit S. Marie, in vita sua, X arpenta terre, et quicquid habebat post excessum suum ; ut in beneficio et orationibus monialium esset posita et, si opus ei fuerit, moniales ei subveniant.

Quod annuit Ernulfus nepos ejus; feceruntque donum super altare, vidente : Mauricio presbitero, Balduino serviente Goffrido Burgensi. *R.* 1, *C.* 27.

CCCXXXI. DIMISSIO CARITATIS A JAQUELINO AUGERII.

Augerius Macellus habebat in ecclesia S. Marie hanc caritatem, tres silicet panes et justas vini tres per annum, pro decima quam eidem dederat simul et vendiderat ecclesie. Quam tenuit filius ejus Jaguelinus, patre Jerosolimam progresso. Periculo itaque anime sue, si hoc diutissime tenuerit, valde pertimescens, ut B. Maria erga filium suum ei foret propicia et benigna adjutrix, hanc caritatem ecclesie dimisit : super altare dono imposito, in conspectu Theburgis abbatisse, Eusebie, Adeladis de Camilliaco, Rainaldi virgiferi, Goffridi Burzesii, Engelbaudi villani, Goffridi de Quartis nepotis Ossanne, Garini de Bremo, Stephani Curti, Tebaldi Rosselli. *R.* 1, *C.* 85.

CCCXXXII. CONCORDIA INTER GILFARDUM DE PRATELLIS ET MONIALES.

Presentium posterorumque noticie intimamus Giphardum de Pratellis, filium Auduini, cum monialibus S. Marie Caritatis, propter decimam quam eis violenter auferebat, diuturnam discordiam habuisse. Tandem vero de hac re ad hanc concordiam pervenerunt quod ipse Giphardus et Normannus frater ejus sororque eorum, nomine..., culpam suam recognoscentes et de injuria ecclesie illata veniam humiliter postulantes, decimam predictam ante altare, pro patris matrisque suarumque animarum remedio, liberam et immunem, omnibus querelis funditus dimissis, ecclesie reliquerunt; eamque super altare, cum cutello Gaufridi famuli sui cognomine Chenleveit, posuerunt, et domnam Tyburgim, ipsius ecclesie abbatissam, eodem cutello revestierunt : que, propter hanc concessionem, dedit eis XXX solidos. Quo facto, orationum (et) ceterorum in capitulo ecclesie beneficiorum communionem a monialibus perceperunt. Huic rei testes affuerunt : Eudo sacrista, Gaufridus cartule compositor, Babinus ejusdem ecclesie capellanus; de laïcis quoque : Mainus Bachelot, tunc temporis monialium prepositus, Robertus de Joviniaco, Barbotus vicarius, Engelbaudus villanus, Garnerius Gastellus et alii quam plures; ex parte Giphardi : ipse Giphardus et Normannus frater

ejus atque Gaufridus eorum famulus, Raginaldus quoque de Leonio. *R.* 2, *C.* 13.

CCCXXXIII. DE CALUMPNIA ROBERTI DE BELLA QUERCU.

Notum sit omnibus etiam fidelibus quod Robertus de Bella Quercu calumpniam quam in terra fecerat que de elemosina matris uxoris sue erat, omnino dimisit et terram illam, annuente uxore sua et filiis, B. Marie solutam et quietam donavit; et ad doni confirmationem, a sanctimonialibus XX solidos accepit. Donum hoc Andegavis, cum baculo uno, super dominicum altare B. Marie, a Roberto preposito, sollempni die lune Pentecostes, confirmatum est. Hoc testantur : Ascelinus, Goffridus Amaurici, Vendelesus, Muschetus, Johannes de Plesseicio, Idreius de Sanona, domina Beatrix soror abbatisse, Iselea celleraria, Amelina de Cauleto. Hec omnia supradicta data sunt B. Marie tempore Theburgis abbatisse et Agnetis de Morenna. *R.* 1, *C.* 11.

CCCXXXIV. DE CALUMNIA GAUFRIDI DE PONTIBUS.

Presentes et futuros scire volumus Goffridum de Pontibus et uxorem ejus talliatam, quam per multos dies calumpniaverunt, Deo et B. Marie et ejusdem ecclesie monialibus dedisse et immuniter concessisse et abbatissam Amelinam de ea super altare investivisse; testibus istis astantibus : Garino de Losduno, Grano, Turpino vicario; ex alia parte : Amelina abbatissa, Osanna celleraria, Agnete sacristana, Petronilla decana, Petronilla de Plaxiciaco. *R.* 2, *C.* 18.

CCCXXXV. COEMPTIO CENSUS MOLENDINI ET PRATI.

In nigro manubrio cultelli scribitur sicut et hic : coemptio census molendini ac prati, facta a filiis Abberici et concessa cum hoc supradicto cultello. *R.* 6, *C.* 10.

CCCXXXVI. DE CENSIBUS QUOS EMMA ABBATISSA EMIT DE LAURENTIA.

Notum sit omnibus quod Emma, S. Marie Andegavis abbatissa, emit III solidos et IV denarios de censu de Laurentia, sorore Gauterii Milonis, quos census abbatissa emit XXXV solidis. Cujus rei testes sunt : ipsa abbatissa, Oicia sacristana, Mahot de Fonte Evraudi decana, Lejardis de Chimilleio cellararia, Milesendis de Chimilleio; magister Menardus, Thessun canonicus, Robertus le Scot, Goslenus

Glei, Isembertus tunc siniscallus, Talebotus capellanus abbatisse et plures alii. *R*. 1, *C*. 95.

CCCXXXVII. DE ACQUISITIONIBUS ISEMBERTI SINISCALLI.

Notum sit tam posteris quam presentibus quod Isembertus siniscallus acquisivit abbatie S. Marie Andegavensis terram David Capel, que valet per annum XL solidos. Terra illa ultra Ligerim est, et costavit XXXV libras.

Iterum acquisivit de heredibus Martini de Veteri Roma XII solidos et dimidium census, et de heredibus Milonis III solidos et IV denarios, et de Radulfo de Mosterol II solidos et dimidium, et de domo Gaufredi Golebacem II solidos, et XVIII solidos de terra Roberti Chenevacher, et III solidos et IV denarios ad Castrum Ledi. *R*. 6. *C*. 1.

CCCXXXVIII. DE VENDITIONE CENSUS XII SOLIDORUM ET DIMIDII.

Notum sit omnibus quod heredes Martini de Veteri Roma, scilicet uxor ejus Laurentia et Stephanus et Hemericus filii ejus, vendiderunt S. Marie XII solidos et dimidium census. Et filii ejus alii et filie annuerunt, scilicet : Aubericus, Guillermus et Goffridus; sorores : Ermengardis, Hosanna; et Fulco burgensis. Huic rei interfuerunt ante Amam abbatissam qui viderunt et audierunt : Isembardus siniscallus, Raginaldus Andegavensis, magister Guido, magister Menardus, Guillermus canonicus, Tesun, Secardus sacrista, Johannes Losduni, Gauterius de S. Lazaro, Michael presbiter, Talebotus capellanus abbatisse, Robertus corduaner, Bertolot signifer, Raginaldus Beurer, Raginaldus Rex, Raginaldus Vetula, Gauterius de Lavallis, Guillermus Garner, Bariler; decana, sacristana, celeraria : Heremburgis, Bernarda decana, Hamelina de Mauritania sacristana, Odiva celeraria. *R*. 6, *C*. 2.

CCCXXXIX. DE CONSUETUDINIBUS ET MARTYROLOGIO EMPTIS A GUILLERMO ET BERNARDO.

Guillermus paltonarius et Bernardus frater ejus dimiserunt huic ecclesie consuetudinem que omni anno reddebatur eis, XVI panes et totidem vini justas, et post mortem eorum martirologium, acceptis XX solidis. Quod si in hac urbe mortui fuerint, cum processione eant sanctimoniales ad eorum obsequium. Et hoc confirmatum est in capitulo S. Marie, in manu domne Theburgis abbatisse, testibus

his : Tetberto preposito, Rainaldo Fossardo et altero Fossardo Juvenc, Gauterio Cornuto, Giraldo canonico, Gaufrido burgensi, Ingelbaudo rustico, Bernàrdo filio Ansgerii, Barboto nepote Tetberti, Hernaldo coco, Gaufrido filio Andree, Piardo pistore, Herveo bissiario. *R.* 1, *C.* 97.

CCCXL. DE TERRA CONCESSA GIRAUDO PIRO.

Abbatissa Theburgis dat terram quam habuit Raginaldus Fossardus Giraudo Piro, in vita sua et successori suo post se; et hunc successorem suum nomine suo nominabit. Ipse etiam successor sacramentum ante altare S. Marie jurabit ut, neque per se neque per consensum alicujus, ipsa terra S. Marie subtrahatur, sicut idem Giraudus, tenente manum suam Raginaldo Fossardo, juravit sub his testibus. Quod si sacramentum jurare noluerit, terram S. Marie reddat. Testibus dixi : abbatissa Milesendi, Martha, Hersendis cellaria, Eusebia, Hildeburgis; Tieberto preposito, Raginaldo Fossardo, Herneiso, Vaslino, Huberto Curto, Lamberto de Serre, Engelbaudo villano, Josberto vacario, Raginaudo, Julita serviente de Ripa. *R.* 5, *C.* 79.

CCCXLI. DE REBUS CONCESSIS ISEMBARDO BARDULO.

Abbatissa dedit Isemberto Bardulo duo arpenta, inter terram et vineam, in vita sua, et aream unam ad domum faciendam : tali tenore ut, post suum decessum, in dominium rediret sanctimonialium. Quod audivit Rainaldus de Brachesac et de hoc dedit advocationem suam Rainardo Fossardo; videntibus istis : Tetberto cellerario, Humberga celleraria, Fulcoio. *R.* 5, *C*, 72.

DE VARIIS REBUS DATIS PRO MONACHATU.

CCCXLII. DE CENSU IN CURTE NOIENT ET DE VINEIS APUD TURONUM.

Rainardus Burdi Oculus dedit S. Marie, cum filia sua Hildeburge unam quartam terre, ad censum solvendum sancto Martino in curte Noient, et apud civitatem Turonum duos arpennos vinearum. *R.* 1, *C.* 17.

CCCXLIII. DE VINEIS AD MONTEM GUNHERII ET LESTRIALEM, ET DE MOLINIS IN SARTA ET MEDUANA.

Item censum, cujus est summa solidi IX, Emma vidua, quando velata est, donavit S. Marie (et) novem quarterios vinee ad Montem Gunherii.

Arnaldus Bastardus tradidit S. Marie filiam suam Basiliam et duos arpennos vinee ad Lestrialem, et dimidium molinum apud Briam Sarte, cum uno quarterio terre censilis ad exclusam faciendam; item in Meduana, apud Monasteriolum, alterius molini quartam partem, cujus alteram quartam postea sanctimoniales comparaverunt de Goffrido filio Ganulfi. *R.* 1, *C.* 19.

CCCXLIV. DE REBUS DATIS AB HUGONE DE CANTOSCIACO.

Aimburgis, mater Hugonis de Cantosciaco, volens se tradere sancte religioni, consilio et assensu filii, elegit cenobium sancte ecclesie Caritatis : ibi quod reliqum erat etatis, post mortem viri sui, Goscelini agere decrevit, petivitque filium suum ut aliquantulum de patrimonio suo S. Marie concederet pro ea; quia ipsa neque aurum neque argentum neque vestimenta, nisi vilia, habebat. Hugo vero filius ejus, cum magno gaudio, quodcunque vellet accipere et plus quam vellet annuit. Tunc convocavit Hugo in capella Sancti Albini, coram altare, quosdam nobilium baronum quorum testimonio faceret tradere carte quod mater accipiebat sibi. Ibique audiente Hosberto Bornio, Hurvoio patre Brientii, Garino de Sancto Quintino, Rainaldo Pochino, scripsit Gauterius Cornutus cartam, nichil addens vel minuens nisi quantum preloquendo Hugo jussit. Illa si quidem, filio suo parcens, minus sibi accepit quam filius offerebat. Accepit ergo in curte Gethne terram Hermonis, et terram Rainaldi Parvi, et hospitium Roberti Caprarii cum terra sua, et quartam partem decime pertinentis ad capellam Sancti Amini et aream domus juxta capellam, dimidium virgultum juxta ecclesiam Gothne (1), et dimidium virgultum ad Ramum Fortem, et hospitium Hugolini vicarii cum terra quam de Hugone tenebat; et ad Cantosciacum domum Huberti qui Pes vocabatur, et granchiam quam ipsa habebat in suburbio Gosberti Bornii, et sextam partem piscature molendinorum. *R.* 3, *C.* 90.

(1) Sic.

CCCXLV. DE DECIMIS ET TERRIS QUAS DEDIT GAUFRIDUS POPINELLE.

Ut dicit apostolus : *qui non habet curam suorum et maxime domesticorum, crudelis est et deterior infideli*. Quapropter Gaufridus Popinelle quandam sororem suam fecit sanctimonialem in ecclesia B. Marie Caritatis. Quam cum sanctimoniales diligentissime suscepissent, ipse volens beneficium illud, pro posse suo, remunerare, dedit sanctimonialibus IX solidos de censu; Haimericus clericus XII denarios et I obolum de Vico Horrici; Adeleia XII den. de Garda; Grossinus X den. de vinea Anseisi; Guillermus Costardus II den.; Elemosina II den.; Andreas Collum III den. et obolum de Vico Horrici; Paganus Boce IX den. : censiva est juxta censivam Costardi. Sancta Maria V den.; Guillermus Gorgart VII den.; Meinardus de Monasteriolo VII den.; Lambertus molendinarius III obolos; Fulqueius III den. et I obolum; Raginaldus Follet II den. et obolum; Paganus Carum Tempus II den. : censiva est in loco qui vocatur Pendu. Giraldus Asinarius II den. de Monasteriolo; Rusellus, III den. ad Majoriolas; Guillermus Subsanne, VIII den. de Burdreio; Gauterius de Ocoeio II den. et Tribam I den. ad Eocium; Radulfus de Rivo Petroso IV den. ad Majoriolas; Meschinus de Perinis I den. ad Perinas. Postea dedit eis quandam terram, que est sita juxta domum Goffridi sacerdotis, et quoddam arpentum in Nucearia, et modicum terre juxta Ponticulum, et quoddam arpentum prati in quadam insula, et quarterium et medietatem quarterii in Insula Brunelli. In omnibus his supradictis dedit Goffridus sanctimonialibus omnia que habebat, excepta consuetudine capitali domini; Meschinus IV denarios de vinea que est in Monte de Perinis. Hos dedit Goffridus Popinelle pro anima matris. *R*. 1, *C*. 72.

CCCXLVI. DE XII DENARIIS ET DE DECIMA MOLENDINORUM.

Adelelmus Bocellus dedit XII denarios S. Marie Andegavensi, cum sua nepte. Guillermus Diore reddebat illos denarios, et dedit decimam de duobus molendinis in quocunque sunt remoti; et domine habebunt decimam sine cosduma. *R*. 6, *C*. 19.

CCCXLVII. DE CENSIVA XX SOLIDORUM IN AQUARIA.

Normannus de Jailleia dedit, cum filia sua, Deo et S. Marie Caritatis XX solidos de censiva in Aquaria et duas metaerias terre. *R*. 2, *C*. 87.

CCCXLVIII. DE COSTUMIS DE BRIOLEIO CUM MILESENDI DATIS.

Notificamus tam futuris quam presentibus quod costumas que erant in terra quam Ingelgerius de Brioleio dedit S. Marie, cum filia sua Milesendi, illas emit Raginaldus de Brachesac de Artaldo et de uxore sua et de Ausendi, cujus patrimonio data erat sibi a sanctimonialibus eadem terra. Et ut libentius concederent, dedit illis duas duodenas lampredarum et duos salmones. Facta etiam homuntione de se, et Milesendi monache dedit tunc V solidos, ad unum scripnium emendum et in unoquoque anno, in Nativitate S. Marie, unam unciam de gingibro. Cujus emptionis sunt testes, ex parte Rainaldi : Rainaldus Fossardus et Raerius S. Marie famulus; ex alia parte : Rainaldus Grossa Barba, Josbertus de Curia, Hato venator, Joffredus Brito, Ranaldus Artaudi et multi alii. *R*. 5, *C*. 38.

CCCXLIX. DONA ENGELBALDI ET VULGRINI, PRO HILDEGARDI ET LUCIA.

Notum sit omnibus hominibus quod Engelbaudus dedit S. Marie, cum filiabus suis Hildegardi et Lucia, quoddam pratum apud villam que dicitur Distré (1). Hoc pratum calumpniavit per longum tempus Goffredus de Lusduno (1): unde monialibus Goffredo episcopo de Meduana clamorem facientibus, venit ille Godefredus, districtu predicti episcopi, ad placitum cum monialibus ad pontem de Baardo qui est apud Lusdunum. In quo placito ille convictus nullum rectum habere in prato illo, clamavit illud pratum S. Marie solutum et quietum ab omni calumpnia. Quod testes isti audierunt et viderunt : Maildis monacha, Hubertus de Locai, Isembertus Bardolus, Sainfredus, Gaufridus filius Hervei, Hugo Barba, Robertus filius Marchoardi, Hubertus Goffers, Rainaldus Castratus, Bernardus Suberan, Herveus presbiter, Thescelinus et Hugo frater ejus, Argerius monacus, Lancelinus presbiter, Adelelmus presbiter. *R*. 6, *C*. 6.

Vulgrinus, filius Engelbaudi Britanni, dedit S. Marie suisque sororibus, Hildegardi et Lucie, dimidiam decimam quam habebat super fluvium Brocum; et reddit II arpentos vinearum quas abstulerat quidam miles; testibus his : Huberto sacerdote, Gauterio de Valle Landardi, Giraldo de Mortariis, Huberto de Locaico. *R*. 1, *C*. 87; *R*. 5, *C*. 13.

(1) Melius *Dissé*, *Lusdum*.

CCCL. DE REBUS DATIS A ROBERTO DE JUINNIACO.

Notum fieri decrevimus tam futuris quam presentibus quod, quando Robertus de Juinniaco, de uxore sua, cum monialibus B. Marie placitum fecit, (convenit) ut, quando vellet, ad ordinem reciperetur; totius mobilis sui dimidium et omnium acquisitionum suarum dedit, domumque suam (cum) cellario propriam post se concessit : tali vero conditione ut et ipse in martirologio poneretur. Hoc autem recordatus est in capitulo coram abbatissa, tunc Teburgi, Eusebia celleraria et Verzelina tunc sacristana et aliis pluribus; videntibus et audientibus : Sibilia filia comitis Fulconis, Mainno Bachelot, Marquerio filio Amauguini, Barboto villico, Engelbaudo villano, Bove de S. Lamberto, Garino filio Hildeberti, Giraldo, Richerio. *R*. 2, *C*. 52.

CCCLI. DE DECIMIS QUAS DEDIT NORMANNUS FERLERIUS.

Normannus Ferlerius et Isabel uxor sua dederunt Deo et S. Marie Caritatis filiam suam Oisciam ut monacharetur; et dederunt de rebus suis pro ea, et suis et parentum suorum animabus : videlicet de duabus metariis quas Loellus tenet de eo, quarum unaqueque est de duobus bobus, universam decimam tam in annona quam in aliis rebus decimariis, et omnem decimam que est de meteria quam tenet Cornutus de ea que est de quatuor bobus, et decimam que est de metaria propria que est de duobus bobus ad Noial; et omnem decimam de meteria Olrici de Solumniaco, que est de quatuor bobus; de Gaufrido Beretario, de Raginaldo de Haia, qui sunt de feodo Loelli, omnem decimam; de Ascelina Bersilla, omnem decimam; et omnem decimam Haligonis. Hoc donum fecit in capitulo et posuit super altare cum cutello suo tracto de vagina, et recepit Theburgis abbatissa. Quod viderunt isti : Isabel uxor ejus et Oiscia eorum filia, que cum eo posuerunt donum super altare. Isti etiam viderunt : Ruellonus de Ver, Bernaldus Angerii, Barbotus villicus, Engelbaudus villanus, Garnerius Gastel, Garinus Hyldeberti. *R*. 2, *C*. 80.

Noverit posteritas filiorum Ade, quod Normannus Ferla promisit sanctimonialibus B. Marie, pro filia sua quam acceperunt in sanctimonialem, se acquietaturum decimam de Leonio, quam calumpniantur monachi de S. Albino, aut decimam de Ver. Quod si non potuerit, persolvet XXX libras sanctimonialibus. Unde sunt fidejus-

sores ipse et uxor ejus et Hubertus de Campigniaco et Bartolomeus filius ejus. *R.* 3, *C.* 82.

CCCLII. DE REBUS DATIS AB IVONE, FRATRE EREMBURGIS.

Pro Eremburge, nepotissa abbatisse Tietburgis, dedit Ivo frater ejus duos arpentos vinearum et medium pratorum et medium burci et census domuum et omnes consuetudines et venditiones et sanguinem. Inde sunt testes : Gaufridus Juvenis filius comitis Fulconis, Petrus filius Orrici, Fromundus de Gallia; ex hominibus S. Marie : Gaufridus Burzez, Gauterius canonicus, Gaufridus Pipinus, Foius cellerarius, Tietbertus cellerarius. *R.* 5, *C.* 81.

CCCLIII. DE SOLICIA, UXORE GAUFRIDI DE LOETH, RECIPIENDA IN SANCTIMONIALEM.

Quia negotia hominum, quadam morte sua, temporis diuturnitate mori videntur nisi, scripto excitante, ad memoriam revocentur, ideo nos, memorie servientes, quiddam memoria dignum memorie tradere, mediante scripto, decrevimus. Non ignoret itaque tam presens quam futura etas Gaufridum de Loeth, disponentem ire Jerusalem, iniisse pactum cum Theoburgi abbatissa S. Marie Caritatis et cum sanctimonialibus ejus : scilicet Soliciam, uxorem ipsius Gaufridi, esse recipiendam in beneficio illarum in sanctimonialem ex quo placeret ipsi Solicie, ipsum vero Gaufridum in fratrem; hac conditione quod ipse Gaufridus daret in primis X libras Andegavensis monete antequam abiret illis dominabus, de parte propria ejusdem Soricie, quam cum Gaufrido adquisierat : cum vero uxor ejus vellet umquam devenire in monacham, tunc tandem daret XX libras ejusdem monete et unum arpentum vinee in Virleta eidem ecclesie. Hoc autem factum est eo anno quo Fulco, filius regine, comes Andegavensium, et Raginaldus de Martigniaco profecti sunt Jerusalem. Hujus autem rei testes sunt isti. Ex parte ecclesie : Maine Bacheloth, Malguerius Almauguini, Robertus de Juigni; ex parte autem Gaufridi et Solitie : Guithonus de Super Ponte, Libertus, Robertus de Gorram et Bernardus filius ejus, Ebradus Mallevilleni, Adernius vicarius, Mauricius clericus et canonicus cognatus ejus. *R.* 3, *C.* 71.

CCCLIV. TESTAMENTUM FULCONIS DE PLAUXICIO IHEROSOLIMAM PROFICISCENTIS.

Antiqua sanctorum patrum eruditione et sapientum virorum con-

suetudine, didicimus res gestas et pactiones sanctarum ecclesiarum noticia litterarum evidentissime designare; ne mens humana, aliqua oppressione diversarum curarum sopita vel oblivione negligentie fuscata vel diuturnitate temporum aut senio gravata, valeat amittere quod ad posterorum memoriam omnimode utile est et valde necessarium assidue revocare. Tempore itaque domni Raginaldi Junioris, Andecavorum episcopi, atque Fulconis eorumdem comitis, ego Fulco de Plauxicio, volens ire Iherosolimam, veni in capitulum S. Marie Caritatis et petii a Theburgi abbatissa et a toto capitulo ut filiam meam secum retinerent et honorifice eam, usque ad tres annos, custodirent; et si, voluntate divina, infra terminum (non) redirem, juxta voluntatem suam et fratrum suorum et aliorum amicorum, aut marito traderetur aut monialis efficeretur. Petivi etiam, si ipsa nollet fieri sanctimonialis, (ut) una neptis mea, loco illius, monacheretur ea lege ut daret pro se X libras denariorum. Quod totum libenter michi concesserunt et de beneficio ecclesie, cum libro, revestierunt. Pro hac itaque peticione et concessione, dedi et concessi ecclesie S. Marie Caritatis, in perpetuum, de Bosco Communali branchiam et boscum mortuum quantum sex asini et due eque (vel) tres quadrige cotidie possent deferre, remota omni costuma. Concessi etiam eis in eodem capitulo quandam decimam de Frigido Fonte, que erat de feodo meo, quam dederat eis Hadoissa uxor Nicholai filii Hugonis Turonis; et dono supradicto revestivi Theburgim abbatissam cum cutello et duo filii mei Matheus et Raginaldus, qui illud donum concesserunt, vidente et audiente omni capitulo. De parte Fulconis viderunt et audierunt : Barnardus de Boileto, Bauduinus de Ver, Fulco de Boeria, Gohardus forestarius, Ernulfus Crassus, Elourinus sacerdos; isti communiter : Guitto de Ponte, Marquerius Almalguini, Robertus de Castro Brientii, David filius ejus; ex parte abbatisse : Rainerius et Hylarius canonici ; de laïcis : Bernardus Augerii tunc prefectus, Barbotus villicus, Meno, Engelbaus villanus, Stephanus Curtus, Robertus de Juinniaco, Johannes de Valeia, Letardus, Richardus, Goffridus Carnotensis, Fromundus de Valle, Mauricius, Gauterius Gastellus, Goffridus Bellus, Garinus Losduni, Lebertus, Loius, Reaudus, Guirgonus Bibens Solem, Ernulfus filius Guidonis Lomber, Raginaldus Roimer, Fromundus Burdini. Ad majorem confirmationem, misi donum super altare cum eodem cutello, videntibus istis supradictis. Concessi etiam ecclesie S. Marie pasnagium de

Bosco Communali, ad porcos cellarii, (per) partem meam et partem matris mee; (per) alias autem partes porcum pro obolo. Hoc donum dedi et feci in eodem capitulo, videntibus et audientibus istis supradictis. *R*. 2, *C*. 28.

CCCLV. TESTAMENTUM BAUDUINI DE VER JERUSALEM PROFICISCENTIS.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod Bauduinus de Ver, antequam Jerusalem perrexisset, cum fratre suo Rualem nomine, de terra sua et de rebus suis omnibus et de uxore sua cum unica ejus filia, quandam conventionem fecit. Ipse enim Bauduinus, quando Jerusalem perrexit, quandam partem de terra sua, quod in sequentibus enumerabimus, fratri suo deseruit; aliam vero partem, ut in sequentibus audietur, uxori sue et etiam filie ejus unice, id est B...., tali pacto quod jam narrabimus deseruit. Nunc autem partem illam quam fratri suo dedit et conventionem quam fratri suo habere concessit audiamus.

Bauduinus iste fratri suo Rualem duas villas, nomine Columbellos, et omnes Buinolles et Cuilum et Laxeageram, quamdiu Jerusalem morabitur, habere concessit. Idem etiam Bauduinus (et) mater sua fratri suo Rualem omnes partes terre illius quam ipse Bauduinus et mater sua inter se diviserunt, concessit absque participatione et mansuram quam ad ecclesiam de Ver habebat, et absque bordariis ubicunque essent, que uxori sue et filie sue deseruit. Omnem etiam terram quam de ipso Bauduino Ernaudus Goimeri filius tenebat, cum omni terra de Gistineilo et cum participatione quam cum Gauterio Plano habebat, et participationem de Grandi Campo idem Bauduinus uxori sue et filie sue deseruit. Omnes autem decimas suas, cum omnibus proficuis de Ver et cum omni ejusdem ville viatura, et omnem carruce sue terram, que ante ipsius Bauduini januam est, cum omni domo sua sicuti parata est et cum omni nemore suo, quod circa domum ipsam est, et omne nemus de Grandi Campo cum omnibus lucis quos in vadimonio de domino suo, nomine Gaufrido, habebat, et omnem terram quam de domino de Poenci, et quicquid de eo tenebat contra illa que in Chaleim, et quicquid habebat ibidem uxori sue et filie sue deseruit. Omnia vero ista supradicta uxori sue habere concessit donec ipsa virum alium, si ipse Bauduinus in via illa moreretur, acciperet, vel donec filia sua virum haberet. Sed si mater puelle prius quam filia sua, defuncto Bauduino, virum acciperet et si illum

amicorum dominorumque suorum consilio et assensu acciperet, filiam illam, donec virum haberet, et omnem terram, sine parte ea quam fratri suo prebuit, in manu domine conjugisque sue deseruit; sed cum filia ista virum acciperet, omnem terram patris sui Bauduini, ubicunque ipsa terra esset, inter puellam illam et Ruualem avunculum suum, absque dotibus matris puelle, per medium dividerent.

Precepit etiam ipse Bauduinus quod ipsa uxor sua terram illam quam de Hugone Estrepara et de ipsius sorore super Laudam emit cum molendino quod de tenore Crucis emit, in quo Rainaldus partem habet, dum ipsa viveret absque participatione filie sue et Rualem possideret. Postquam autem ipsius Bauduini uxor moreretur, partem illius molendini cum terra illa quam Hugoni Estrepera et de ejus sorore emit, ecclesie S. Gervasii de Ver in elemosinam ipse Bauduinus, pro Dei amore, habere concessit. Sed si ipsa uxor sua, antequam filia sua vel alius heres de ambobus genitus, moreretur, illam molendini partem de qua superius locuti fuimus heredi suo, qualiscunque esset de desponsata muliere habitus, habere ipse Bauduinus constituit; sed si conjux ipsius Bauduini sine aliquo herede ab ipso Bauduino genito moreretur, illam supradicti molendini partem predicte ecclesie habere concessit.

De dotibus autem mulieris sue, quas in sequentibus demonstrabimus, precepit quod, illa defuncta, inter filiam suam Esteial et fratrem suum Rualem dotes iste per medium dividerentur. He sunt dotes : medietas de omnibus que in Ver habebat et medietas vinearum quas Andegavim habebat et quicquid ad Briencium suum erat.

Precepit etiam quod si filia sua ante matrem suam moreretur, ne uxor sua aliquid de teneribus ipsius Bauduini, quamdiu viveret B..., per fratrem suum perderet. Statuit idem Bauduinus quatinus si ipse in via illa moreretur, uxor sua, post mortem filie sue, omnes dotes suas cum omnibus que maritus suus (dederat), absque Rualem participatione, quamdiu ipsa viveret possideret. Istas autem dotes, scilicet medietatem ex omnibus que ad Ver habebat et medietatem vinearum quas habebat Andegavis et quicquid ad Brientium suum erat, cum omni domo sua sicut parata est, cum omni carruce sue terra que ante januam ipsius Bauduini est et nemus quod in ejusdem domus circuitu est uxori sue B.... dedit ejusque dominus Gaufridus, eidem uxori ista supradicta habere concessit. De re vero ista sunt

testes : Oliverius Samuelis filius, Odo de Briençun, Normant de Angria, Aleindus de Celli, Albericus de Iré, Gaufridus de Iré, Bernardus Radulfi filius, Robertus de S. Michaele, Maielus de S. Michaele, Ivo de la Galle, qui omnes audierunt ista et viderunt.

In illa autem die (qua) Bauduinus cum fratre suo conventionem istam quam superius diximus fecit, ipse Rualem fratri suo Bauduino et uxori sue nec non et eorum filie, dando (fidem), promisit quod eidem Bauduino et ipsius uxori atque filie eorumdem in omnibus fidelis semper esset. Dedit ei fidem etiam quod quicquid de rebus illis omnibus quas idem Bauduinus, in die illa qua Jerusalem (proficisceretur) uxori sue et filie sue derelinqueret, ipse Rualem ullo modo eis nec auferret nec per aliquem quicquam uxori predicte nec ejus filie auferri pateretur; quin ipse Rualem huic domine et filie sue, (si) aliquis injuriam aliquam eis inferret vel aliquid de rebus suis vel de tenoribus surriperet vel quicquam de redditibus suis defraudaret, illud tanquam si suum esset quocunque modo posset, etiam guerram tanquam pro se ipso faciendo, huic domine et filie sue fideliter auxiliaretur. De conventione autem ista, quod ipse Rualem eam intemeratam semper teneret, istos in fiducia posuit, qui etiam testes habentur et obsides : Oliverius Samuelis filius, Odo de Briençun, Bernaldus Radulfi filius, Ivo de la Gali, Albericus de Iré, Robertus de S. Michaele, Bisoilus de Seilum, Hugo de Vergona, Aleindus de Ceilé. Isti autem hoc pacto in fiducia ista ab ipso Rualem positi sunt quod si ipse Rualem ex ista conventione aliquo modo exiret, quatinus isti, ab ista domina de fide promissa incitati, illum Rualem quocunque modo possent seu guerram faciendo, sed tamen corpus illius hac de causa numquam violarent, seu cum illo diu placitando, ad predictam conventionem redire cogerent. De re etiam ista, quod eam Rualem numquam infringeret, Goffridus ipsius Bauduini dominus et Goffridus de Iré, non per fidem sed plano verbo, obsides se concesserunt. *R*. 5, *C*. 50.

CCCLVI. DE FILIA ET CONJUGE BAUDUINI DE VERNO RECIPIENDIS IN MONASTERIUM.

Quicquid agitur, quia transitorium est, sub tempore Hyldeburgis abbatisse, multociens nebulis oblivionis obfuscatur. Commendemus igitur litterarum noticie, ad posteritatis memoriam, quod Britius Bauduini de Verno et mater sua Hyldeburgis, uxor videlicet Bauduini,

et Rivallonus frater suus faciunt sanctimonialem filiam ipsius Bauduini in monasterio S. Mariæ Caritatis; et donant, et per juncum in manibus abbatisse ab eis positum, Deo et S. Marie et sanctimonialibus in eodem monasterio in perpetuum servientibus, illam partem decime de Verno quam Bauduinus partiebatur cum Gaufrido de Ireio, et alteram partem alterius decime quam Baudoinus partiebatur cum Normanno Ferlo, scilicet de Gastineio et de Mansura Collibertorum : tali pacto quod Bauduinus ponatur in martirologio et mater sua et alia generatio ponetur in ejusdem monasterii beneficio. Puella autem, filia Bauduini, veniet ad monasterium, sicut constitutum est, cum suo palefredo et sua caritate, et efficietur sanctimonialis agno virginum sponso quod (1) adduxerit servitura. Mater vero ejus si habitum mutare voluerit, veniet ad monasterium cum palefredo suo et caritate sua, et similiter recipietur; sin autem in martirologio, sicut vir ejus, ponetur. De decima ita fiet : Britius filius Bauduini de Verno faciet fideliter coadunare istam decimam, et coadunator faciet fidem abbatisse et sanctimonialibus; et aliquis homo ejusdem monasterii, per manum abbatisse, triturabit decimam et sic fideliter reportabitur ad monasterium. Hoc fuit factum et confirmatum in capitulo S. Mauricii, in presencia domni Ulgerii, presente abbatissa et sanctimonialibus, scilicet : Burgundia matre Adelardi de Castello Gunterii et Amelina de Choleto, in quarum manibus juncus doni supradicti fuit positus; videntibus et consentientibus : Goffrido de Engreia S. Mauricii decano et Richardo de Laval archidiacono et aliis ejusdem ecclesie canonicis. Hoc viderunt et audierunt : Raginaudus Rufus, Guichardus filius Hamonis, Loellus Ferlus, Mauricius filius Bernardi filii Radulfi, Albinus de Buignum, Giredus de Saceio, Halocus, Rainerius canonicus, Lambertus de S. Laurentio, Marquerius filius Almauguini, Guito de Super Pontem, Garinus Losdun, David de Castello Brientii, Burgevinus, Barbotus vicarius et alii multi. Facta fuit carta hujus conventionis anno ab incarnatione domini MCXXVI°, inditione IV[a], epacte XXV. *R*. 5, *C*. 4.

CCCLVII. DONUM PETRI DE LUCO COMMUNI.

Sciant presentes atque posteri quod domnus Petrus Andreas et uxor ejus Aremburgis donavit ecclesie S. Marie, cum filia sua, in elemosi-

(1) Sic.

nam pasnagium et pasturam de Luco Communi et desertum saltum et quicquid habent dominicum inter burgum et aquam, excepto molendino et uno orto. Isti viderunt et audierunt : Goffridus canonicus S. Martini, Guillermus Modor, Amelina abbatissa, Petronilla cellaria, Agnes priorissa, Rustica elemosinaria, Petronilla decana, Legardis de Camilliaco, Turpinus vicarius, Menerius dapifer, Mainardus, Richardus presbiter, Gauterius presbiter. *R.* 5, *C.* 55.

CCCLVIII. TESTAMENTUM RENAUDI DE BEREIO PEREGRE PROFICISCENTIS.

Sciant presentes, intelligant futuri Renaudum de Bereio, antequam ad lucrandum peregre proficisceretur, res suas taliter disposuisse. Commendavit enim prefatus Renaudus res suas domno Grano et domne abbatisse, ut de domibus debita sua solverentur. Si vero in barbaris nationibus eum mori contingeret, precepit ut, post debita soluta, cum residuo rerum suarum filia ejus sponso Christo et Virgini matri sue monachali habitu conjugaretur; si autem divina gratia eum repatriare permitteret, res suas ita solutas sicut ipse ante hanc dispositionem possederat haberet. Hoc viderunt et audierunt : Theophania abbatissa, Hugo decanus, Radulfus sacrista, Adam canonicus, Paganus Gode, Garinus de Turonis vicarius, Granus de Super Pontem et Paganus et Johannes filii ejus et David filiaster ejus, Renaudus celerarius. *R.* 5, *C.* 57.

CCCLIX. DE V SOLIDIS DATIS PRO FILIA MARCISCHÆ.

Notum sit presentibus atque futuris quod Marcisca, filia Raginaldi de Columbariis, V solidos ecclesie S. Marie dimisit atque concessit quos ipsa ecclesia, singulis annis, solebat sibi reddere in Cena Domini : conditione tali ut filia predicte Marcische in prefata ecclesia fieret monialis; et si ipsa haberet filium vel aliquem de ejus genere proximum, convenientem personam habentem, ecclesiam que ipsius persone competeret, conventus ecclesie S. Marie sine contradictione sibi donaret. Isti hoc viderunt et audierunt : Goslenus de Turonis senescallus domini regis, Hugo de Cleers senescallus regis de Fissa; Orsandis abbatissa S. Marie, Theophania decana, Hildegardis cellararia, Eremburgis Suberam; Isembertus siniscallus earum, magister Mainardus canonicus et plures alii; ex parte Marcische : Matheus de Baugi, Guillermus Buchart, Radulfus de Sut, Robin de Pringi, Ro-

bertus de Columbariis, Goffridus de Rameforti, Robertus de Vilenetes, Gaufridus de Vilers et plures alii. *R.* 6, *C.* 44.

DE AVENARIIS.

CCCLX. CARTA GARINI DE S. BERTEVINO, DE DONO ECCLESIÆ AVENARIÆ.

In nomine domini. Ego Garinus, pro mee meorumque anime redemptione, dedi Deo et ejus genitrici Marie semper virgini ejusque ancillis sibi servientibus ecclesiam Avenarie, solidam et sine calumpnia cum omni debito, sicut ipse teneo, preter medietatem decime vini que ad eandem pertinet ecclesiam: tali conventione ut quicquid in terra domni Hamonis, Guidonis filii, dono aut mercatu poterunt acquirere ad predictam ecclesiam adveniat. Et ita concessit dominus Hamo de Lavalle, et tali pacto ut, secundum facultatem victus, ibidem sanctimoniales assidue permaneant, et quod superaverit per consilium abbatisse et sororum sibi commissarum tractetur. Boscum vero similiter do eis, ad suos porcos et ad porcos hominum in eodem loco sibi servientium et etiam ad burgum faciendum in terra que est juxta eandem ecclesiam et ad cuncta sibi necessaria. Et si rem et locum, sicut decet, recte et ordine curaverint, habui ego ipse conventionem ut illam decime partem quam retineo dimittam predicto loco. Signum ✝ Garini, S. Fulconis comitis Junioris, S. Drogonis de S. Dionisio, S. Drogonis de Truigniaco, S. Garnerii filii Gentesme, S. Galterii de Buxiaco, S. Guihomari presbiteri. Donnolus notarius rogatus scripsit. *R.* 5, *C.* 95; *R.* 5, *C.* 5.

CCCLXI. DE TERRA ORGIACI DATA AB EODEM GARINO.

Sciendum vero est predictum Garinum, con donationem istam S. Marie suisque monialibus fecisset, terram de Orgiaco, que proprie ad altare ecclesie Avenarie pertinebat, sibi quamdiu presbiter, Fulcoinus nomine, vixit retinuisse. Mortuo autem illo, concessit idem Garinus loco Caritatis et monialibus predictam terram in perpetuum habendam, datis sibi ab eisdem monialibus C solidis. Oravia vero uxor ejus, ut eam conventionem firmiter concederet, habuit

XX solidos. Hec autem conventio facta fuit in domo S. Martini apud S. Bertivinum. Huic igitur conventioni affuerunt : Guihomardus presbiter, Hubertus prepositus atque Garinus filius Gentisme, Vivianus forestarius et Hubertus molinarius necnun et Tetbaudus de Avenariis. *R*. 5, *C*. 5.

CCCLXII. DE OBLATIONE, FERIA, DECIMA ET CONSUETUDINE DATIS AB HAMONE DE LA VALLE GUIDONIS.

Hamo de La Valle Guidonis, precibus suarum sororum Agnetis et Odeline et fidelium suorum adhortatione, S. Marie, in sanctimonialium sustentationem, dedit quasdam sui patrimonii particulas, pro remedio anime sue parentumque suorum, Guidonis videlicet patris sueque matris, annuente ejusdem Hamonis nobilissimo filio Guidone et cum patre donum super altare ponente, uxore etiam sua Hersende astante et annuente : terciam partem oblationis ecclesie Avenariarum in die Assumptionis S. Marie et medietatem ferie ejusdem loci et diei, et decimam vinearum suarum et consuetudinem omnem de propriis hominibus in omnibus feriis et sabbatis; antea enim solummodo sanctimoniales in reliquis diebus de suis hominibus consuetudinem habebant sine murtro et rapto. Dedit autem domnus Hamo ea lege ut obitus patris sni et matris sue Berte et uxoris sue et filiorum, cum advenerit, in martirologio inscribatur et annuatim, sicut decet, ad memoriam revocetur. Qui autem hanc confirmationem auditu et visu non didicit, hujus cartule inditiis doceatur esse testes : Vivianum Infantem, Ivonem Francum, Goslinum Flavum, Adelelmum filium Hugonis, Goffridum de Roseto, Adelardum de Vegia, Hubertum Lupellum, Droconem de Trumniaco, Hubelotum filium Goslini, Garinum de S. Bertevino, Garinum Perticam, Vivianum forestarium, Gormundum de Castelloniaco, Gauslinum de Valle Recta, Gaufridum de Nuliaco, Normannum de Montinniaco; Adelardus de Mala Palude, Guillermus filius Goffridi, Garnerius coccus domni Garini, Tebaldus prepositus earum, Guillermus Maurilanus frater ejus, Fromundus de Platea, Adelelmus, Hamericus filius Gislucie, Ascelinus, Albericus filius Campionis, Hamo Bessonus, Guacius canonicus S. Marie, Galterius Ruffus. *R*. 4, *C*. 74 et 93.

CCCLXIII. DE CONCESSIONE GUIDONIS DE LAVALLE FILII HAMONIS.

Illud vero notandum est quod Guido de Lavalle, accepto honore

patris sui Hamonis post mortem ejus, abstulit S. Marie et monialibus omnia que ab eo, dono patris sui, habere debebant; sed postea omnino, sicut pater ejus donaverat, propter LXX solidos quos illi sanctimoniales dederunt, ut supra in presenti cartula conscribitur, concessit. Uxor autem Dionisia quoniam, sicut vir suus fecerat, concessit habuit XX solidos, Hugo vicarius eorum V solidos, Boscarius dapifer V solidos; testibus : Hugone fratre predicti Guidonis qui etiam concessit, Guihomaro presbitero, Hugone atque Hamone prefati domini capellanis, Huberto quoque presbitero fratre supradicti Hamonis, Johanne de Mairal, Silvestro filio Gualdini de la Voluta, Hugone vicario, Boschario, Johanne camerario, Normando de Montiniaco, Tetbaldo Avenariarum. *R.* 5, *C.* 4.

CCCLXIV. DE COSTUMIS RESTITUTIS AB EODEM GUIDONE.

Hoc iterum notum fieri volumus, tam futuris quam presentibus, quod costumas de suis hominibus jam dudum concessas, quas monialibus S. Marie de Avenariis dominus Guido uxorque ejus Cecilia injuste abstulerant, rursus omnino in perpetuum concesserunt : unde, ad hujus concessionis firmamentum, ipse Guido IV libras ejusque uxor XX solidos habuerunt; quod isti infrascripti testificantur : Guiardus prior S. Martini, Silvester de Voluta, Johannes de Meral, Ivo Rogerii, Johannes Rainerii, Hubertus Tetbaudi pelliparii, Garsilius de Bunon, Albericus vicarius ejusque frater Fulcoius, Normannus de Montinniaco, Tetbaudus prepositus, Tetbaudus Ruffus, Quintinus de Ribello, Popardus molendinarius, Haimericus pistor, Milesendis prior ejusdem loci, Adelaidis scriba hujus scripti. *R.* 5, *C.* 9.

CCCLXV. CONFIRMATIO EJUSDEM ECCLESIÆ A CENOMANNENSI EPISCOPO.

Ernaldus, episcopus Cenomannensis, ad Avenarias venit : et receperunt eum Garinus de S. Bertivino et nonne, curamque illius fecerunt. Et de omnibus rebus que ad altare pertinebant, fecit domnus Garinus episcopo donum facere et, cum uno cultello, posuit super altare illud donum; et propter hoc dederunt nonne unum caballum episcopo. Hoc audierunt et viderunt : Huellus S. Juliani decanus et Engerbertus cantor, Hubertus decanus, Gaudebertus canonicus, Gaufridus Mulot, Garinus canonicus, Bernardus monachus et prior S. Marie de Evron, Engelram monachus, Goslinus de Vege, Herber-

tus de Alta Nosa, et ipse Garinus de S. Bertivino et Hubertus ejus prepositus. *R.* 5, *C.* 8.

CCCLXVI. DE PRESBITERIO AVENARIÆ DATO AB EODEM GARINO.

Cum omnium creaturarum, tam visibilium quam invisibilium, Deum esse actorem nullus dubitat, hominemque ceteris animantibus prestantiorem nemo est qui nesciat; Deus enim creator, volens humanum genus pre cunctis animantibus sublimare, dedit ei animi rationem qua cuncta dissereret, insuper etiam mentem qua ad memoriam cuncta reduceret. Sed quoniam, intervenientibus hujus seculi perturbationibus, per solam hominum memoriam nichil poteterat eternaliter retineri, dedit humano generi litterarum monimenta per que omnia dicta vel facta ab interitu oblivionis essent separata. Scripto igitur commendantes volumus posteros nostros non latere quod Garinus de S. Bertevino (1), inter alia et plurima beneficia que ipse fecerat ecclesie Avenarie, dedit etiam, pro remedio anime sue, monialibus S. Marie Dei genitricis presbiterium ipsius ecclesie, quod ipse in manu sua hactenus retinuerat : ita videlicet ut, post mortem Guihomari presbiteri, quem ipse ibi posuerat, esset in potestate abbatisse et aliarum dominarum ponendi et auferendi sacerdotem quemcunque eis collibuisset. Et ut hoc donum ratum et firmum foret, firmavit hoc donum ipse Garinus super altare ejusdem ecclesie propria manu sua, in festivitate S. Marie de Assumptione. Hujus rei sunt testes : Anna sanctimonialis, que gratia hujus testimonii advenerat, et Stephanus de Continiaco, et alii complures ejusdem loci habitatores. *R.* 4, *C.* 90.

CCCLXVII. CONCORDIA INTER GARINUM ET MONIALES, DE SUPRADICTO PRESBITERIO.

Cum omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus, super suarum salutem animarum curantibus, ipsius ecclesie res et proprietates pertineat defendere, ne aliqua deleretur transeuntium vetustate, hec subsequentia ipsorum fidelium reducere decrevimus memorie. Et ne superne beatitudinis se fore participes dubitent, si ecclesiasticarum et similium rerum defensores extiterint et prout decet christiane religioni veritati deservire studuerint, ipsum beneficiorum remunerato-

(1) *Guido Senex de Lavalle.* Ex transcripto sæculi XIV.

rem, ubi opus fuerit, sic dicentem intelligant : *Venite benedicti patris mei* et cetera. Pateat igitur tam futuris quam presentibus Garinum de S. Bertevino ecclesiam de Avenariis et presbiterium monialibus S. Marie de Caritate, vivente Richildi abbatissa, dedisse et filium ejus Hubertum et uxorem ejus Oraviam annuisse. Sed postquam mortuus fuit Guihummardus presbiter, post obitum cujus predictis monialibus ecclesiam sine aliquo retinaculo dederat, auferre voluit et, in tempore Theburgis abbatisse, eas sine judicio dissaisivit. Quapropter ipse Garinus et Theburgis abbatissa ad placitum in virgultum S. Marie, juxta capud ecclesie, ad Avenarias convenere. Ad placitum vero istud fuit Odo, de Cultura tunc abbas, et Goffredus Cenomannis decanus et Guido de Lavalli et Sicilia uxor ejus et multi alii. Congregatis itaque ob hoc istis omnibus, Raginaldus Fossardus, secundum prius donum quod ipse facere viderat, hujus placiti ex parte abbatisse verba retulit; unde Garinus cum suis hominibus ad consilium ivit et verba, sicut predictus Raginaldus retulerat, quia negare non poterat, rediens de consilio recognovit. Tunc vero, cum ramo buxi, ipse Garinus Teburgim abbatissam de ecclesia et presbiterio resaisivit; et ut ei de injuria quam fecerat rectitudinem faceret, Silvestrum de Volua plegium dedit. Hujus rei et in futurum tenende convenientie Garinus Guidonem de Lavalli, sicut primitus fecerat, iterum plegium dedit. Hoc vidit ipse Garinus et uxor ejus Sicilia et ceteri homines ejus qui subscribuntur : Silvester de Volua, Rainaldus de Cantu Lupi, Senioratus, Guibertus de Loirrun, Robertus Crispus, Albericus Poncius, Odo de Danatio. Ex parte Garini viderunt isti : Guido de Roiseio, Ivo filius Rogerii et Vivianus frater ejus, Robertus filius Ermenaldi, Johannes filius Rainerii, Johannes de Meiral, Hubertus prepositus, Garnerius filius Gentes; ex parte abbatisse : Gauterius Cornutus, Adam de Malo Campo scriptor cartule, Ingelbaudus villanus, Alardus de Plesseiz, Marquerius de S. Aniano, Goffridus nepos Osanne, Goffridus filius Andree, Junior Fossardus, Albericus de Super Pontem; homines de Aveneriis : Thebaudus prepositus, Radulfus de Fonte, Goffridus de Orgeio, Tebaudus de Rubleio, Lambertus Rufus, Adam Haimerici filius, Haimericus Mochardus, Garinus filius Alberici Bodini.

Hanc vero de ecclesia concordiam quam Garinus cum abbatissa Teburgi, videntibus istis suprascriptis, fecit, Hubertus filius ejus concedere noluit donec abbatissa Teburgis inde ei equum falvum tri-

buit et eum ipsi Huberto ipsa per capistrum tradidit et tunc hic pactum quod pater suus Garinus cum abbatissa fecerat, annuit et eam de ecclesia, ut et pater, cum ramo buxi in die S. Mathie apostoli resaisivit. Hoc ipsum fecit et annuit Oravia, mater ejus, ipso die quo filius ejus. Hoc viderunt et audierunt isti : ipse Garinus de S. Bertevino et Guido et Vivianus milites ejus, Alardus frater Radulfi de Monte Securo, Hugo filius Harduini, Hamo homo Garini, Joslinus de Super Stagnum, Garnerius frater ejus, Guido de Roiseio, Johannes de Meral, Robertus Crispus, Hamo Berso, Senioratus, Radulfus de Fonte. Hoc similiter viderunt hi qui cum abbatissa venerunt, quos superius nominavi. Hec omnia que Garinus cum Teburgi abbatissa operatus est, de redditione ecclesie et de presbiterio, vidit et in parte fecit Eusebia tunc priorissa Avenariis et famulus ejus Babinus et concessionem Huberti filii ejus ecclesie et presbiterii sine aliquo retinaculo, pro equo falvo quem dedit ei predicta abbatissa. *R.* 2, *C.* 15; *R.* 5, *C.* 18.

CCCLXVIII. PACIFICATIO VETERIS DISCORDIÆ INTER EOSDEM.

In crastina die festivitatis S. Andree, fecerunt concordiam de veteri discordia Teburgis abbatissa et Garinus de S. Bertivino, per laudem nobilium virorum Lavallensis castelli, concessione et fidejussione domini Guidonis et fratris sui Hugonis. Prestitit ei abbatissa XXX libras Cenomannensis monete; ipse tradidit ei in conguagio unum molendinum apud Avenarias et quandam partem decime vini et consuetudinem torcularis de burgensibus S. Marie et V solidos censuum quoadusque inde receperit supradictam pecuniam, et insuper X libras nove monete in restaurationem dampnorum que ipse fecerat monialibus. Hujus peccunie sunt fidejussores : Guido de Rossoessico de C solidis, Lisiardus frater ejus de C sol., Robertus Crispinus de C sol., Garnerius filius Gentisse de L sol., Guido Melior de L sol., Goffridus filius Raherii de L sol. nove monete, Hubertus decanus et Fulcoius de Altis Ripis de VII libris et dimidia.

Postea dedit domnus Garinus unam aream domus S. Marie in eternum habendam, et peslum ecclesie conjunctum, et totam ejusdem ecclesie suorumque hominum dominationem solidam et quietam in perpetuo habendam, atque insuper libertatem portandi et reportandi hinc quecunque abbatisse placuerit, et justiciam suorum burgensium faciendam. Ut hoc esset firmum, dedit fidem suam ipse

Garinus et filius ejus Hubertus atque uxor ejus Oravia necnun sacramento super altare confirmaverunt. Precepto etiam ipsius Garini, juravit Guido Melior fidelitatem conservandam decime ad utilitatem sanctimonialium de congagio, donec peccunia solveretur. De parte autem quam antea habebant, in perpetuum hujus rei testes sunt : Hugo filius Archembaudi, Gauterius de Vivariis, Johannes de Meral, Renaldus de Chantelo, Vivianus homo Garini, Alardus de Vegia, Silvester de la Voluta, Rannulfus villicus, Garnerius filius Gentisme, Hogo Hosa, Goffridus decanus S. Juliani et fidejussor et testis, Raginardus Fossardus, Gauterius Cornutus et alii plures. *R*. 5, *C*. 11.

CCCLXIX. DE REBUS QUAS DEDIT IDEM GARINUS, PRO FILIA SUA MONACHANDA.

Quando Oravia facta est sanctimonialis, Garinus de S. Bertevino et Hubertus filius ejus dederunt Deo et S. Marie Caritatis, pro ea, dimidietatem molendini de stagno de Avenariis et XII denarios qui eis reddebantur de arpenno vinee de Valle, VI denarios de arpenno prati, decimam de exemplis de foresta que est in parrochia de Avenariis, insuper quecunque adquirerent in parrochia de Avenariis de rebus que eis eveniebant. Hoc concessit Ivo filius Garini. Hoc viderunt et audierunt isti : Gaufridus presbiter de Avenariis, Ivo presbiter, Josceius, Adelardus de Castellis; de parte sanctimonialium : Meno Bacheloth, Engelbaudus villanus, Eudo sacristarius, Barbotus villicus, Raginaldus de Secretaria, Robertus de Juigniaco. *R*. 2, *C*. 98 *bis*; *R*, 5, *C*. 18.

CCCLXX. DE D SOLIDIS COMMODATIS EIDEM GARINO, QUANDO DEBUIT IRE JERUSALEM.

Sciendum est quod, quando Garinus de S. Bertivino debuit ire Jerosolimam, domna abbatissa tradidit ei quinquies centum solidos, pro quibus ipse Garinus tradidit ei multa vadimonia que tam diu haberet donec denarios predictos inde traheret. De denariis vero istis nundum habuit nisi C et IX solidos et IV denarios tantum. Post solutionem autem denariorum istorum, predicta vadimonia habere debuit donec et X libras haberet quas, pro presbiteris qui capti Javardilio fuerunt olim, donavit. *R*. 5, *C*. 36.

CCCLXXI. CONCORDIA INTER MONIALES ET HUBERTUM DE S. BERTEVINO.

Quoniam impiorum malitia semper ecclesiasticis possessionibus insidiatur eisque calumpniando vendicare sibi dolose machinatur, necesse est ut eis cartarum murus obitiatur et, juxta vetus proverbium : *male arboris nodo fortis cuneus requiratur*. Ut ergo commentum totius calumpnie in perpetuum pereat, hujus cartule testimonio, posteritati nostre notum fiat quod Garinus de S. Bertevino S. Marie de Caritate Andegavensis ecclesie ecclesiam plurimaque beneficia apud Avenarias tribuit. Pro quorum concessione abbatissa predicte ecclesie Huberto, prefati Garini filio, unum palefredum promisit promissumque bis reddidit. Sed cum, suadente Gaufrido ecclesie de Avenariis sacerdote tunc tamen capellania sua carente, Hubertus palefredum habuisse denegaret, ideoque paterna dona calumpniaret, Agnes de Credone, Avenariarum priorissa, tercium mannum et, pro apparatu manni, XXX solidos Andegavensis monete Huberto reddidit eique dixit : « dicite michi, domne Huberte, quare vultis hunc palefridum habere ? » Cui ille respondit : « pro omnium rerum concessione quas vobis pater meus prebuit. » Hoc itaque pacto palefredum accipiens, uxori sue tradidit, que ad S. Bertevinum discessit ; ipse vero castellum quod Vallis dicitur ivit. Triginta autem solidos predicta Agnes supradicto presbitero, ad capud cujusdam mense, Huberto precipiente reddidit : hoc intersigno quod idem presbiter marsupium in quo erant denarii, quod erat de tireto viridi, ab Agnete petiit, sed tamen minime habuit. *R*. 3, *C*. 77.

CCCLXXII. DE VILLICATIONE AVENARIÆ PARTIM DATA PARTIM VENDITA.

Hamo de Atramis et Ivo de Talmesino habebant dimidium villicationis istius terre : et domnus Hamo dedit, pro redemptione anime sue atque uxoris, suam partem S. Marie Avenariis, annuente Amelina uxore sua. At Ivo vendidit suam partem sanctimonialibus S. Marie, vidente hoc et audiente Goscelino Rabelo et Huberto preposito atque Tebaudo preposito et Clemente, Martino de Super Barbez et Johanne filio ejus et Haimerico, Garino et Adam filiis ejus, Lisuius filius Ivroini, Alberi Bodin et Daniel frater ejus, Goslinus frater Tetbaudi prepositi. *R*. 4, *C*. 94.

CCCLXXIII. DE DOMO SITA IN CASTELLO VALLIS.

Domna Hildelina donavit S. Marie, cum totis costumis, unam domum quam illa habebat in castello Vallis. Et annuerunt domnus Haimo et uxor ejus et filius ejus, et vidit et audivit domnus Lisiardus de Arquiniaco, Garinus de S. Bertevino et alii plures. *R.* 3, *C.* 94; *R.* 4, *C.* 96.

CCCLXXIV. DE REBUS QUAS DEDIT HERSENDIS, UT MONIALIS EFFICERETUR.

Notum sit legentibus istud quia quando Hersendis, Joffridi draperii filia, Josthonis uxor, sanctimonialem habitum suscepit, sanctimonialibus S. Marie Caritatis unum vinee arpentum totum quitum, annuente Garino de cujus feodo erat, donavit et terram quam pater ejus Joffridus de Gauterio de Monte Griferio comparavit, annuente ipso Gauterio et Arduino et Gervasio de Graverio et Hugone Villico dominis terre. Unde Gauterius, Gervasius, Harduinus prefati, de parte nostra, XV solidos habuerunt, Hugo autem potius orationum nostrarum beneficium adeptus est : atque ita super sanctum altare S. Marie ad Avenarias donum posuerunt. Quod viderunt et audierunt : Hamo de Lavallo, Herveus monachus, Garinus de S. Bertevino, Clarembaldus, Richardus siniscallus, Ermenaldus mercator, Hugo de Curtillis, Hugo frater ejus, Richardus presbiter, Johannes Rainerii filius, Tebaldus prepositus, Clemens, Guillermus Morillant, Garinus cocus, Guvanus armiger, Garinus et Adam Haimerici filii, Lesoius Ebroni filius; de parte nostra : Hugo comitis clericus, Garinus de Plesseit, Erneisus, Stephanus Champiuns, Joffridus de Espinat, Fulcoius, Rainaldus marescallus, Martinus coccus. Notandum etiam quia de supradicto vinee arpenno, dedit nobis Garinus de S. Bertevino totam decimam, eo quod annuimus monachis S. Martini terciam partem decime trium vinee arpennorum que in Monte Griferio sunt. Hoc audivit Hugo comitis clericus, Garinus de Plaisseit, Hubertus prepositus, Tebaudus prepositus. *R.* 4, *C.* 87.

CCCLXXV. DIMISSIO CALUMNIÆ DE TERRA COCONERIÆ.

Sciendum est quod Hugo Villicus et Adam filius ejus illam terram de Coconeria, quam domine abbatisse et sanctimonialibus de Avena-

riis calumpniabant, solidam et quietam dimiserunt, pro quodam arpenno ipsius terre et pro XX solidis quos sanctimoniales eis ob hoc dederunt et eos in suis orationibus acceperunt : tali vero pactione ut ipsi et heredes alii de illis eum tenerent et eis censum suum redderent; illam quoque terram ab omnibus calumpniis que in ea die erant predictis sanctimonialibus adquitandam plevierunt. Hoc fecit et annuit ipse Hugo et filius ejus Adam et Lisiardus frater ejus et soror eorum Billeheldis, quos tres habuit Hugo de filia Compengnoni de Loiron per quam terram clamabant. Hoc placitum fecit Burchardus de Bruslone, qui dominus est illius terre, quod viderunt et audierunt isti : Hamelinus de Alta Noisia, Fulco de Buinone, Clarembaldus de Mota, Normannus Tisonus, Bernardus canonicus S. Marie, Guiummardus sacerdos, Joffridus Burzesius, Tebaudus prepositus et Galterius Minnardus frater ejus, Galterius Gaufis, Barbotinus de S. Lamberto, Herveius de Almona, Quentinus et Tebaldus de Rubleio frater ejus, Gervasius Gravarius. *R.* 3, *C.* 92; *R.* 4, *C.* 88.

CCCLXXVI. CONCORDIA DE TERRA COCONARII.

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod Ivo, filius Goffridi draparii, calumpniabat terram Coconarii et arpennum vinee ecclesie S. Marie et sanctimonialibus. Unde venerunt ad concordiam : ita quod abbatissa et sanctimoniales concesserunt ei terram illam et ipse concessit illis illud arpennum vinee solidum et quietum, et ipse dedit fidem quod garentaret de Adam filio Hugonis et de omnibus heredibus suis, sine aliquo retinaculo, et de omnibus aliis de genere suo jure. Postea concessit quod nulla ecclesia eam haberet, si de manu sua dimitteret vel sui, nisi ecclesia S. Marie de Avenariis. Hoc concessit et plegiavit Hubertus filius Johannis et Hugo frater ejus et senior filius eorum; et Hugo de Matefelone plegiavit, qui fidem accepit loco et utilitate S. Marie. Hanc concordiam et convenientiam vidit et audivit Hugo de Valle, qui tunc dominium tenebat, et Guillermus Capreolus, Rolandus de Credone, Richardus siniscallus, Gaudinus de Vegia, Radulfus de Gré, Normannus Ferleius, Herbertus de Capellanam et Hubertus Pontius, Meno Bachelot, Barbotus villicus, Bernardus Angerii, Robertus de Juniaco, Garinus de Bremo, Bosselinus, Arduinus, Ruellonus frater Meno, Raginardus de Gré, Richardus de Avenariis, Adam, Goofridus de Orgio, Bonus Homo filius Adelmi, Hamo, Popardus mulnarius, Matheus molarius, Goffridus frater ejus,

Lambertus pistor, Johannes Sarracenus, Goffridus presbiter, Josceius diaconus, Rainerius canonicus et alii plures. *R*. 4, *C*. 89.

CCCLXVII. DONUM ECCLESIÆ S. PETRI DE CLAUSO MONTE.

Illud quoque non est oblivioni tradendum quod Hamo Crispus, jam moriens, concessit cenobio Caritatis perpetuo jure tenendam ecclesiam S. Petri de Clauso Monte. Sed filiis suis, videlicet Hugoni Crispo et Roberto fratri suo, post mortem patris eorum calumpniantibus, dederunt moniales, cum beneficio loci, X solidos : iccirco ipsi quietam, sicut pater eorum dederat, ecclesiam concesserunt. Frater vero eorum, Gaufridus nomine, pro consuetudinibus quas ibidem habebat et quas ipse S. Marie et monialibus annuit, III solidos habuit ab eis. Guihomarus sacerdos, Tetbaldus prepositus, Giraldus de Clauso Monte et Archenulfus frater ejus, Gaufridus de Orgiaco, Tetbaldus de Ribleit, Albericus Bodinus et Daniel frater ejus, hi omnes hujus conventionis testes existunt. *R*. 5, *C*, 6.

CCCLXXVIII. DE DIMIDIO MOLINO APUD CLAUSUM MONTEM.

Ermengardis villicana, pro redemptione anime sue, dimidium molini de Clauso Monte monachis S. Petri Culture dederat; et Garinus de S. Bertivino dedit illis monachis de terra sua in Grenort precium illius dimidii molini et illam partem dedit ipse monachabus S. Marie (de) Avenariis. *R*. 5, *C*. 7.

CCCLXXIX. DE VINEA CHRISTIANI ET OSSANNÆ.

Christianus et Ossanna soror sua dederunt vineam suam S. Marie (de) Avenariis cum omnibus vasibus suis, Garino annuente, videntibus hoc et audientibus : Guihomaro presbitero, Garnerio filio Gentesme, Huberto preposito, Tetbaldo preposito et aliis pluribus. *R*. 4, *C*. 97.

CCCLXXX. DE PRATO QUOD PINELLUS DE STROMEIO DEDIT AD GRAVARIUM.

Quoniam ea que ab antecessoribus fiunt, labentibus annuatim temporibus, cito traduntur oblivioni nisi litterarum fuerint commendata memorie, dignum duximus, tam futuris quam presentibus, notificare quod dum domna Burgundia Avenariis preesset, ibidem ratum est contigisse. Pinellus igitur de Stromeio et uxor ejus Christiana Vesosia pratum quoddam ad Gravarium habuerunt quod pre-

dicta Pinelli uxor, ad depositionis sue terminum prior marito suo veniens ipso Pinello, pro redemptione animarum suarum, ecclesie Avenariarum et sanctimonialibus dimisit. Eandem vero concessionem, teste Pichone de Stroneio, idem Pinellus, dum a Petro Heremita quadam die confessionis consilium et penitentie accepisset, confirmavit; hoc ipsum etiam dum ad castrum Meduane captus moreretur, teste confessionis sue Rogerio presbitero, se fecisse recordatus est et concessit. Predictum itaque pratum sanctimoniales longo postea tempore, post mortem ipsorum qui dimiserant, solidum et quietum tenuerunt. Postquam autem predicti Pinelli quedam filia adeo educta fuit ut maritum acciperet, Guillermus de Spina, ambobus filiis defuncti, Tisonis (1) scilicet et Silvestro, pueris existentibus, sororem illorum predictam neptim suam Ade de Avenariis cum prato, calumpniantibus que diu tenuerant sanctimonialibus, donavit. Hanc vero vim atque rapinam diutius clamando perpesse, postquam illi duo fratres militaris vite adepti sunt dignitatem, ancille Christi illatam sibi injuriam illis monstraverunt et ab eis pratum, judicio curie domni Guidonis, recuperaverunt. Hoc viderunt et audierunt testes isti : predicti Guidonis uxor Sicilia, Rainaldus de Cantu Lupi, Guibertus de Loiron, Albericus tunc villicus, Johannes de Mairal, Hamo Bigotus, Ernaldus dominarum famulus, Garinus de Queveio, Pichonus de Stroneio qui testis fuit in curia de hac dimisione, Burgundia, mater Adelardi de Castro Gunterii, que tunc preerat Avenariis, Johanna de Castro Briennii. Postea vero ambo filii Pinelli, Tiso et Silvester, super altare B. Marie donum ipsius prati cum baculo posuerunt, annuente Adam et uxore sua et filio suo qui pratum, licet injuste, habuerant. Quam positionem super altare factam vidit ipsa prior Burgundia et Joana predicta, Teophania de Dulteo Salvagio, Guiburgis de Vilenia, Joffridus presbiter, Joffridus de Orgeio, Hugo carpentarius, Vivianus Bos, Alfredus, Lambertus frater Haimerici, Ernaldus famulus, Raherius clericus, Garinus de S. Bertevino, Taleboz filius Viviani de Guaitis, Guido de Avenariis et Talebot filius ejus, Alardus Cruciatus. Hoc vero pratum isti quatuor, Tiso scilicet et frater ejus Silvester et Adam et uxor ejus, tali conditione reddiderunt ut unoquoque anno predicti Pinelli et uxoris ejus et ipsorum quatuor anniversaria in eadem ecclesia fierent. *R.* 5, *C.* 12.

(1) Melius *Tisone*.

CCCLXXXI. DE TERRA ET ALIIS REBUS EMPTIS AB HAMONE CAPELLANO.

Anno quo mortuus fuit Guido de Lavalle, emit domna Burgundia, parum ante obitum Guidonis predicti, de Hamone capellano terram et omnia alia que Avenariis habebat : tali vero facta conventione quatinus inde prefatus Hamo medietatem, dum viveret, haberet, post mortem autem ejus omnia jure hereditario ecclesie de Avenariis et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus in perpetuum remanerent; habuit enim inde ipse XXXII libras Cenomannensium. Hanc vero emptionem, ut annuerent, Guido VIII libras et Cecilia uxor ejus XL solidos et filius eorum Guido XX solidos habuerunt a dominabus, (scilicet) XI libras, Gervasiusque alius filius XII denarios. Hoc viderunt et audierunt isti : Guido ipse et uxor ejus et filius eorum Guido, Hugo de Lavalle qui et annuit, Adelardus de Castro Gunterii, Hugo de Cretone, Hugo de Mathefelone, Odo de Bor, Paganus de Capella, Renardus de Cantu Lupi, Guibertus de Loirron, Gaudinus de Velua, Albericus Pomcius, Garinus capellanus, Johannes de Meiral, Vivianus filius Suhardi, Guiulus de Bor, Ivo presbiter, Burgundia tunc Avenariis priorissa, Ernaudus tunc ibidem famulus, Goffridus presbiter, Goffridus de Orgeio, Popardus filius Odelini, Gervasius Bota Bovem, Naal bucherius. Hanc postea emptionem annuit Garinus de S. Bertevino, propinquior ejusdem terre dominus. Annuit etiam ut terram de Septem Fontibus, pro hac retinenda, venderetur; unde habuit XL solidos. Quod audierunt isti : Burgundia priorissa, Ernaudus ejus famulus, Popardus Monnerius, Guerricus, Guillermus Morgre, Adelardus Cruciatus. Annuit etiam Hubertus Gaurini filius idem quod et pater ejus fecerat et uxor ejus Margarita, et habuerunt inde IV libras et II solidos. Hoc viderunt isti iterum : Burgundia, Ernaldus, Adam de Avenariis, Symon Poun, Hugo Ragot.

Hanc conventionem supradictam et ventionem Hubertus decanus, frater ejus Hamonis, calumpniabat, sed postea facta est inde concordia. Et concessit illam conventionem et ventionem sicuti Hamo frater suus fecerat; et venit Andegavim et posuit donum super altare et postea in manu Theburgis abbatisse, et quoddam arpennum ipsius terre quod habebat concessit ecclesie de Avenariis et sanctimonialibus ibi servientibus sicut Hamo frater suus supradictam annuerat terram. Et pro concessione et pro arpenno ipsius terre, habuit Hubertus de-

canus XVIII libras et dimidiam Andegavensium. Quod viderunt et audierunt isti : Hamo frater Huberti, Rainerius canonicus, Adam canonicus, Eudo sacristarius, Garnerius Gastel, Robertus de Juviniaco, Babinus, Johannes de Valeia, cum cutello cujus donum positum fuit super altare, item Bernardus Angerii, Engelbaudus villanus, Garinus de Bremo; item de sanctimonialibus : Eusebia cellaria, Martha decana et alie plures; item Gosceius et Hamonellus, nepos Hamonis et Huberti, qui habuit VIII solidos pro concessione. Affuit etiam Odo nepos utriusque. *R.* 2, *C.* 10; *R.* 4, *C.* 17; *R.* 5, *C.* 13 *et* 14.

CCCLXXXII. CONCESSIO HAMONIS DE DICTA TERRA.

Illam terre medietatem que culta erat, quam retinuit Hamo sibi, post multum temporis S. Marie et sanctimonialibus concessit donumque super altare imposuit cum baculo quo benedicta aqua fideles aspergebantur. Pro hac concessione Advenia, tunc priorissa, ei dedit C. solidos Cenomannensis monete. Hoc vidit et audivit Gervasius Bota Bois, Adam, Goffredus de Orgei, Hugo carpentarius, Petrus, Vivianus, Elnulfus, Februarius, Garinus de Fonte, et Gaufridus presbiter qui januas aperuit, Bonus Homo filius Adelelmi, Fulcherius et Radulfus frater ejus, Matheus molarius, et Gaufridus Dru frater ejus, Hamo filius Herburgis et Gaufridus frater ejus, Aufredus et Fulcoius gener ejus. In censu et in decima et in pratorum utilitates retinuit partem sibi; sed anno peracto ab illo negotio, divina pietate monitus, Advenie instinctu, venit Andegavim cum ea et, coram domno Guidone suisque proceris, S. Marie totum concessit nichilque sibi retinuit. Tunc abbatissa Hildeburgis per clamidem eum duxit et ipse manu sua cum cultello donum super altare posuit. Hoc vidit et audivit : Hugo de Cretone, Marquerius, Radulfus de Gré, Maino Bacheloth, Guitun de Ponte, Garinus Laudinus. De sanctimonialibus : abbatissa Hildeburgis Burgundia, Advenia, Eusebia, Verzelina et omnes qui aderant in capitulo. Deinde venit ad Advenarias et iterum reliquit omnia que in illo fisco habuerat et imposuit donum super altare cum cultello Gervasii Botabo. Ad istud donum omnes de eo tenentes convocati sunt : quibus dixit quod sanctimoniales perhenniter omnes utilitates censuum, decimarum et omnia de fisco exeuntia redderent, sicuti sibi reddiderant. Hoc vidit et Albericus Pontius, Herveus filius Lamberti, Gaufridus Riot, Lisiardus decanus, Gaufridus presbiter.

Hugo S. Marie subdiaconus, Helias presbiter. Hubertus de S. Bertivino, de quo sanctimoniales hunc fiscum in elemosina tenebant, ipse etiam annuit sine ullo retentu. Pro hac concessione dedit ei Advenia LX solidos Cenomannensis monete, Margarite uxori sue V solidos. Audierunt et viderunt hoc : Hugo carpentarius, Gaufridus de Orgi, Popardus, Adam, Gaufridus, Hamo, Vivianus, Lambertus Rufus, Lambertus Parvus, Herbertus Quintinius et frater ejus Guillermus, Bonus Homo, Radulfus Dalibart, Fulcherius, Gervasius filius Daniel et Gaufridus frater ejus, Garnerius de Fonte, Februarius, Rainaldus et Johannes filii Haimerici, Mud Homo filius Guillermi de Riblei, Hubertus Fauveta. *R.* 5, *C.* 19.

CCCLXXXIII. JUDICIUM DE CALUMNIA EJUSDEM HAMONIS.

Quanvis multa antecessorum gesta sub legalium testium auctoritate noverimus esse disposita, quedam tamen, horum scripto atque memorie titulo carentia, multociens irrita atque penitus adnullata audivimus et vidimus. Quare, ne hoc irritum fieret quod agimus ut ad irritum et nichilum redigeretur, libuit ut scripto memorie perhenniter haberetur quod Hammo, capellanus de Lavallo, consilio Avene et ejus exhortatione, que tunc de Avenariis priorissa erat, in curiam domne Hildeburgis abbatisse Andegavis venit dimidietam unius ventionis dimittere, quam olim Burgundie fecerat et sibi in vita sua retinuerat; que tamen, post excessum ejus, sanctimonialibus debebat remanere, sicut superius dictum est hac in pelle. Cumque ibi prefatus Hamo de querelis suis diu locutus est, judicium sibi fieri petivit si Huberto domino suo vel cuilibet alii rem sepedictam donare vel concedere posset. Unde quidam viri, qui gratia supradicte rei ibi convenerant, judicaverunt quod nemini, nisi sanctimonialibus, vendere vel dimittere poterat. Audito itaque judicio Hamo a sapientissimis viris judicato, omnia quecunque Avenariis in vita sua possidebat ecclesie ejusdem loci et sanctimonialibus ibidem Deo famulantibus in perpetuum possidendum concessit. Ex concessione autem habuit ipse Hamo VI libras Cenomannensium, et filius ejus Hugo II solidos et dimidium, et Babinus de Estallis II solidos et dimidium. Ut vero firma et illibata hec concessio in perpetuum perduraret, dimissis omnibus querelis suis, cum quodam cultello super altare dominicum, in presentia Hildeburgis abbatisse, IV° kalendas Julii, posuit et sanctimonialibus possidendum absolute concessit. Talia testantur qui taliter

enumerantur : Radulfus de Greio, qui judicium retulit, Pipinus de Turonis, qui tunc Andegavis erat prepositus, Hugo vicarius, Petrus de Monte Seiberti, Johannes monachus, Guitto de Super Pontem, Mainot Bachelot, Garinus Losdun, Fulco filius Oberti, Rainerius canonicus, Barnardus de Saponariis ejusdem ecclesie canonicus, Adam canonicus, Barbotus vicarius, Aubaudus pistor, Hugo filius Hamonis supradicti capellani, Gaudinus frater ejus canonicus regularis, Babinus de Estallis, Popardus de Avenariis prepositus sanctimonialium, Radulfus sacristarius et alii complures. De sanctimonialibus affuerunt : Burgundia, Eusebia, Avena, Beatrix, Theophania priorissa, Abelina, Juliana. *R.* 1, *C.* 18.

CCCLXXXIV. DE DOMO ET HORTIS QUOS EMIT ISOBIA PRIORISSA.

Notum sit omnibus quod domna Isobia, dum Avenariis preesset, in eadem villa a Joscelino et matre ejus Isabella emit quandam domum et ortum qui domui adjacebat, unde Hamo capellanus dominus eis erat. Ab ipso vero Hamone predicta Isobia emit quodcumque ab eis pro domu et horto habebat, pro quibus donavit ei palefridum liernum. Hoc fecit cum ea et annuit ipse Hamo, et Gaudinus filius ejus vidit. Viderunt et isti : Joffridus presbiter, Babinus et Fromundus tunc famuli dominarum, Joffridus de Orgeio, Herbertus filius Quintini, Robertus filius Furni, Bonus Homo filius Alelmi, Aufredus, Lambertus Parvus. *R.* 1, *C.* 91.

CCCLXXXV. COMMUTATIO FACTA INTER DICTAM ISOBIAM ET HAMONEM CAPELLANUM.

Notum sit omnibus ecclesiastica bona augmentare et conservare cupientibus quod domna Isobia, dum Avenariis preesset, quandam cum Hamone capellano commutationem de vinea Christiani Surdi fecit, pro quodam quarterio terræ cimiterio proximo et pro alia terre particula quam ipse Hamo super ripam Meduanæ habebat, juxta terram illam quam predictus Hamo, pro servitio suo alterius terre, dominabus dedit. Pro hac vero supradicta commutatione domna Isobia XXX et V solidos, preter vineam, Hamoni donavit. Hoc vidit et annuit Guarinus de S. Bertivino, tunc ejusdem terre dominus, et Hubertus ejus filius et hi alii : Senioratus, Vivianus de Gaitis et Talebotus filius ejus, Stephanus Boisardus, Joffridus Lanfez; de hominibus

S. Marie : Joffridus de Orgeio, Babinus et Fromundus tunc famuli domus, tres filii Alberici Bodini, Hugo carpentarius. *R*. 4, *C*. 92.

CCCLXXXVI. DE VIA AD OPUS BURGENSIUM EMPTA.

Hoc etiam sciendum est quod sanctimoniales unam viam de terra Hamonis capellani, ad opus burgensium suorum, ab ipso Hamone emerunt, eique XIII solidos dederunt, istis videntibus : Garino de S. Bertivino, Roberto Crispo, Guitonomardo presbitero, Tebaudo preposito. *R*. 5, *C*. 10.

CCCLXXXVII. CALUMNIA NEPOTUM HAMONIS DE TERRA AVENARIARUM.

In nomine sancte et individue trinitatis. Notum fieri volumus omnibus, tam presentibus quam futuris, quod Gaufridus qui vocatur Drud et Hamo, nepos Hamonis Crassi, concesserunt Deo et S. Marie et sanctimonialibus ibidem in ecclesia Andegavensi degentibus et Deo servientibus terram quam calumpniabant, scilicet terram de Aveneriis, quam ipse sanctimoniales emerant a Hamone Crasso XXXII libras, in perpetuum solute et quiete et in communi capitulo, cunctis dominabus videntibus et audientibus. Postea vero super altare S. Marie posuerunt donum et ibi reliquerunt calumpniam suam. Et ut firma esset hec concessio in perpetuum, habuerunt predicti viri, quasi de caritate, VII (libras) Cenomannensium. Hujus rei testes sunt qui viderunt et audierunt hanc concessionem quando facta est, in die octavarum sancti Laurentii : Radulfus sacristarius, Mauritius capellanus Radulfi de Gred, Garinus de Losduno, Barbotus vicarius, Halenou, Adelelmus, Billun, Philippus de Spinasceio, Boselinus dapifer, Gaufridus Almari, Ascelinus cellerarius, Ranulfus marescallus, Maldoit et alii plures de servientibus S. Marie; de dominabus vero : Hildeburgis abbatissa, Virzelina secrestaria, Isilia celleraria, Eusebia, Amelina de Cholet, Eremburgis priorissa, Agnes neptis Orieldis, Juliana, Placentia. *R*. 2, *C*. 54.

CCCLXXXVIII. LITTERÆ COMMENDATITIÆ PRIORIS TEMPLI JEROSOLIMITANI PENES GAUFRIDUM COMITEM.

Gaufrido illustrissimo Andegavensium comiti, G... dominici ac sanctissimi Templi quod est in Jerusalem prior cum ceteris canonicis ibidem secum Deo famulantibus, quicquid in presenti et in futuro felicius. Quoniam credimus vobis non esse incognitum, quante dig-

nitatis semper, a quibus vel qualiter fundatum templum Dei fuerit, queve aut quanta inibi fuerint facta miracula, scribere noluimus. Ipsius enim dignitatem et mysterii profunditatem scribere libri potius esset quam epistole. Icirco, comes venerabilis, vestre nobilitati presentium latorem, concanonicum nostrum, dirigimus, vestram flagitantes liberalitatem quatenus, in quibus vestri indiguerit, auxilio et consilio sibi impendatis solatium et manum porrigatis misericordie. Nos vero in eodem templo, in quo omnipotens Deus omnibus invocantibus eum quicquid justo expetierint desiderio se daturum repromisit, et de quo dominus noster Ihesus Christus vendentes in illoque ementes ejecit dicens illis : *domus mea, domus orationis est;* eumdem deprecamur dominum quatinus (vos) omnium bonorum que agimus vel acturi sumus participem faciat. *R.* 6, *C.* 59.

CCCLXXXIX. CARTA EMMÆ ABBATISSÆ, DE CONTROVERSIA CUM FRATRIBUS HOSPITALIS JEROSOLIMITANI AGITATA.

Quoniam tam nobilium quam ignobilium facta, tam per succedentia tempora quam per labentia temporum curricula, cito a memoria laberentur nisi litteris commendarentur, ego Emma, Dei gratia ecclesie S. Marie Andegavensis abbatissa, sororumque mearum conventus, tam presenti etati quam omnium successure posteritati, presenti scripto significare curavimus quod controversia que inter ecclesiam nostram de Avenariis et fratres Hospitalis Jerosolimitani, super decimis terrarum quas in predicta parrochia adquisierant, diu exorta vertebatur, usque ad tempus nostrum indurata permanserit. Dicebant enim fratres Hospitalis quod sacrosancte ecclesie Romane summi pontifices, de omnibus terris quas propriis sumptibus colerent, (decimas) eis privilegio indulsissent, nec alicui ecclesiastice secularive persone eos super his conturbare fas esset; nos vero hoc dicebamus quod, antequam ipsi terras illas haberent, decimas de cultis locis ecclesia nostra in pace possedisset. Tandem vero tam ipsi quam nos, consilio bonorum virorum acquiescentes, concessimus quod omnium terrarum quas in procinctu parrochie ad laborandum fratres acquisierant et illorum trium arpentorum quorum Gallaudus unum, Rainerius unum, Tecenda unum ab ipsis fratribus tenebant, decimas in pace fratres in perpetuum tenerent, obtinerent; et propter hoc fratres singulis annis ecclesie de Avenariis duo sextaria siliginis et unum sextarium avene, et in Assumptione B. Marie libram

incensi recompensarent. Ex parte Hospitalis isti viderunt et audierunt : frater Jacobus sacerdos et magister rerum Hospitalis in Cenomannia, Johannes diaconus frater Hospitalis in Andegavia, et frater Guillermus de Hossei, frater Hamelinus de Erneia. Ex parte nostra isti interfuerunt : magister Guido de Orgeio capellanus predicte ecclesie, Talebotus sacrista B. Marie, Guillermus Berat, Matheus frater magistri Guidonis, Maillis decana ecclesie B. Marie, Milesendis de Chemillei, Margarita et Albina et plures alii et alie. Actum fuit hoc et in capitulo B. Marie recitatum, anno ab incarnatione domini MCLXIX°. Et ut hoc firmum et ratum permaneret, sigilli nostri attestatione et sigilli capituli nostri impressione presens scriptum signari decrevimus. *R*. 6, *C*. 26.

CCCXC. CENSUS DE AVENERIIS.

Isti homines Avenierenses reddunt census sanctimonialibus S. Marie Caritatis : Robertus filius Fornacis, XII denarios, Focaudus VIII den., Radulfus Canga Asinum VII den., Eremburgis uxor Danoali II den. et obolum, Garnerius de Roseio IV den., Quentinus de Rebleio XX den., Gaufridus de Orgeio VIII den., Jobertus IV den., Radulfus filius Gauterii IV den., Renerius de Monte Griferii VI den., Joscelinus XII den., Formundus Marboe III den., Haimes VIII den., Bonus Homo VIII den., Odo Hoel VIII den., Radulfus filius Gaudini IV den., Matheus III den., Guillermus de Broleio X den., Gervasius filius Danielis VIII den., Radulfus Rufus I den., Thebergia et Johannes IV den., Hersendis V den., Quentinus III den. et obolum, Hugo carpentarius VI den., Fromundus et Robertus XII den., Fulcoius de Monte Radulfi III den. et obolum, Popardus molendinarius XII den., Petrus XII den., Gervasius Bote Bovem XIII den., Eremburgis IV den., Gaufridus XII den., Vivianus Bos XV den., Radulfus et Fulgerius IX den., Hubertus Fauvete VIII den., Garnerius VI den., Lambertus III obolos, Teobaudus Bene Natus XII den., Garnerius de Fonte IV (den.), Richerus VI den., Giraldus Corvus XII den., Hamo XVII den. et obolum, Raginaldus Rufus II den., Meinardus sutorus VII den., Orguesnandis XII den., Lambertus Rufus VI den., Haudois X den., Guillermus pistor VI den. *R*. 2, *C*. 48.

DE CURIA HAMONIS.

CCCXCI. DE CURIA HAMONIS, CUM SERVIS ET INTEGRITATE SUA, QUAM DEDIT AREMBURGIS VIDUA THETUINI STRABONIS.

Nobilis igitur Aremburgis, relicta vidua Thetuini Strabonis, quando se ipsam et filiam suam Hildegardem in monasterio S. Marie Deo in sancto habitu devovit, tradidit ad ipsum cenobium terram suam que dicitur Curia Hamonis, cum servis et ancillis et tota integritate sua, per auctoritatem domni Huberti Andegavensium episcopi, de cujus erat beneficio, et neptis illius Emme atque Radulfi vicecomitis Cenomannensium, mariti ejus, filiorumque eorum (1). Hec sunt nomina collibertorum : Hubertus filius Fromundi, Barnardus filius illius, Hildemannus sororesque ejus Letildis, Doda, Thetildis et Richildis, et Tethaldis filius Rainulfi. Post mortem vero Aremburgis, surrexit calumpnia in colibertos istos, eo quod matres illorum essent de feuo Nihardi. Per deprecationem autem domne Bertarde abbatisse sive Hyldegardis sanctimonialis, filie Aremburgis, impetravit Matheus miles donationem ipsorum a seniore suo Nihardo, presente Goffrido comite atque Fulcone comite Vindocinensium. Igitur post favorem dominorum suorum, renovavit donum ipsius terre de Curia Hamonis et predictorum collibertorum super sacrum altare sancte genitricis Dei Marie, auctorizante Christiana uxore ejus, filia supradicte Aremburgis. Stans autem Matheus ante sanctum altare, vocavit privignum suum Tethuinum dixitque ei : « fac donum istius rei, tali tenore ut destruant Christus et ejus genitrix te et omnes qui calumpniam immittere voluerint. » Pro hac auctoritate dedit ei abbatissa Bertarda omnisque cetus sanctimonialium beneficium orationum sive elemosinarum in secula seculorum; et concesserunt sanctimoniales ut obitus eorum in martirologio scripbantur. Hii testes istius doni fuerunt : Primardus archipresbiter, Radulfus presbiter, Algerius presbiter, Robertus presbiter, Robertus Malus Mischinus, Joscelinus Salmurensis, Joscelinus Bodel, Euvradus Crispus, Droco de Boscat, Lambertus, Joscelinus vicarius; hi famuli S. Marie : Stabilis vicarius, Otgerius

(1) Item VII arpennos pratorum sub Rubro Monte, de feuo Nihardi; item VIII modios vini ad Castrum Ledi; infantes Hildemani et infantes Rainulfi et infantes Fromundi et Garnerium Hidradum. *R.* 3, *C.* 51.

de Lation, Galterius Treluan, Josbertus, Robertus, Garnerius coccus, Firminus frater ejus. *R.* 1, *C.* 38; *R.* 3, *C.* 51.

CCCXCII. DE REBUS DATIS A MATHEO DE MONTE AUREO ET GERVASIO DE CASTRO LIT.

Matheus de Monte Aureo dedit S. Marie et ejusdem loci abbatisse, cum filia sua, consuetudines omnes quas habebat in Curia Hamonis, concessu Gervasii de Castello Lit, et campum terre pertinens, ad combros faciendos, et duos arpentos pratorum et pasnagium porcorum in suis silvis, dante et concedente Matheo filio suo. Et domnus Gervasius dedit vendas quas habebat in eadem terra et pasnagium in suis silvis de propriis porcis S. Marie et silvam ad facienda opera; teste Fulcoio Rufo, Drogone de Curtiranno, Gauterio filio Mathei, Hugone de Silmuro, Guiscelino, Achardo de Mota, Thebaldo filio Hubaldi, Gaufrido de Ameniaco, Fulchardo Juvene, Tetberto, Lethardo, Fulcoino vicario, Fulcoio, Roberto de Acra Silva, Drogone de Silmuro, Garino de Bello, Barnardo Tedardo, Beateo, Hamerico. *R.* 1, *C.* 53 *et* 78; *R.* 4, *C.* 77.

CCCXCIII. DE REMISSIONE CALUMNIÆ GUISCELINI MILITIS IN CURIA HAMONIS.

Quodam tempore, quidam miles, Guiscelinus nomine, de progenie Eremburgis Grosse descendens, fecit calumpniam in Curia Hamonis. Propter quam calumpniam extinguendam, venit abbatissa Richildis coram domno Gervasio; et quanvis diu absque ejus calumpnia eandem terram tenuissent sanctimoniales, tamen CCC solidos dederunt ei: et ipse S. Marie eandem terram concessit absque ullo retinaculo, in presentia domni Gervasii et Ade et Gervasii canonici S. Martini. Hujus concessionis sunt testes: Gervasius de Castro Ledi et Gervasius frater ejus canonicus S. Martini, Adam frater eorum, Helisabeth mater eorum, Marbodus archidiaconus, Hugo de S. Laudo, Simon capellanus, Gauterius capellanus, Burdequinus, Drogo de Curia Tiranni, Hugo de Saumur, Goslinus frater ejus, Robertus de Acri Silva, Hubertus filius ejus, Herbertus Dunensis, Hugo filius ejus, Teguinus Brito, Guillermus de Mangiaco, Alcherius Francensis, Rainaldus de Antiquis molendinis, Tebaudus filius Hubaudi, Guillermus de Curcilio, Hernulfus Tireu et filius ejus, Otrannus frater ejus, Tebertus homo S. Marie, Teovinus Cenomannensis, Fulcoius Helpe-

ricus, Guibertus miles, Hamelinus miles, Nihardus Mala Musca et filii ejus Fulcoius et Droco, Radulfus Toet, Hamelinus dapifer, Raginaldus cocus, Raherius de Buloria, Burdoillus filius Herberti majoris, Seenfredus de Ludo, Adam filius Sevine, Ridolus de Curia Hamonis, Hernulfus frater ejus, Fulcoius et Herneisus vernulus S. Marie. *R.* 3, *C.* 24, 44, 64 et 83; *R.* 4, *C.* 4.

CCCXCIV. DE VINEA QUAM DEDIT AMELINA, CUM CONCESSIONE HELYÆ COMITIS.

Scribendum est, ne oblivione deleatur, hoc quod Amelina, filia Johannis Torti, monialibus sancte Dei genitricis Marie Caritatis, pro remedio anime sue, quandam vineam dedit tali pacto ut in communi beneficio coram omni capitulo ponatur. Hec vinea non est de patrimonio suo; sed Gervasius clericus, pro quodam seculari servitio quod genus humanum pene omne ad interitum trahitur, scilicet fornicari, donavit (ei) et ut nobis dedisset concessit. Concessit etiam comes (Cenomannensis) Helyas, qui totius patrie dominus est et maxime vinee, quia de patrimonio uxoris sue Mahildis fuit, etenim Elisabeth, matris Gervasii patris Mahildis conjugis sue, et Guiscelinus de Curia Dumenchii de cujus feuo movet; testibus his : Goslino de Saumur, Drogone Mala Musca, Aucherius Mala Musca, Hubertus de Acri Silva, Josberto forestario, Bonardo, Fromundo clerico, Gauterio filio Genesii. *R.* 3, *C.* 22.

CCCXCV. DE REBUS QUAS DEDIT TEDUINUS CENOMANNENSIS APUD CORCELLONIAM, JUNCEIAS, MONTEM BERCONIS, VERNOLIAM ET VILLAM NOVAM.

Noverint tam presentes quam futuri quendam Teduinum, Cenomannensem cognominatum, uxoris sue cum assensu, apostolica voce promotum qua dicitur : *operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*; sua necnun tam precedentis sobolis sue quam et sequentis pro salute, sue partem hereditatis, ipso annuente domino cujus pars feuo ipsa pertinebat, Guillermo videlicet de Corcellonia, qua pro concessione rata ut in perpetuum teneretur solidos ei XL dedit, quatinus regni hereditarius efficeretur eterni, monialibus sancte ac perpetue virginis Marie ecclesie deservientibus in loco qui Andegavis nuncupatur, animi alacritate, obtulisse. Sed ut omnibus modus hujus patefieret donationis, nominatim decrevimus pro-

mulgare. Dedit igitur apud Junceias unam terre mansuram cum pratis et arboribus, preterea etiam unum prati arpentum ad Villam Novam, Montis Berconis decime medietatem, Verñolie similiter, Corcellonie qualem tunc partem ipse possidebat. Hec autem omnia absque ulla suorum contradictione parentum ita libere et quiete, sicut ea tenebat, prefatis dedit monialibus tali pacto ut sua conjux, Hildeburgis nominata, si ad ordinem sua in vita vellet ire monialem, pro hoc solummodo, nisi aliquid sua secum ferret sponte, reciperetur; sin vero usque ad sue finem vite conversationis tempus protelaret; eadem quoque corpus ejus convenientia ipsius ad obitum honeste traderent sepulture. Hujus rei testes : Johannes de Curcellis qui hoc, rogatu prefati Teduini, donum libentissime annuit quoniam suprascripti consanguineus erat Guillermi, Hugo de Gesna, nepos ipsius Teduini, qui et ipse similiter annuit, Burdequinus, Gaufridus de Amenia, Guillermus de Manciaco, Matheus de Monte Aureo, Goslinus filius Ursonis, Herveus de Nongento, Balduinus sutor, Rainaldus famulus, Hugo de Bosloria, Rioldus sutor, Ingebaldus de Leduno, Gauterius monachus. *R.* 1, *C.* 75; *R.* 3, *C.* 96; *R.* 5, *C.* 52.

CCCXCVI. DE PORCIS MONIALIUM PASCENDIS IN LUCIS JOHANNIS DE ALEIA.

Sciendum est quod dumnus Johannes de Aleia, tempore quo domnus Boamundus in terram istam viam Dei monere venit, pro suorum peccatorum necnon et omnium antecessorum suorum adipiscenda remissione, sancte Dei genetrici Marie et sanctimonialibus ibidem servientibus omnium suorum lucorum, de omnibus earum porcis, pasnagium perhenniter habiturum dedit. Hoc viderunt et audierunt subscripti testes : Galterius Cornutus, Goffridus Burzesius, Goffridus de Pleisseiz, Radulfus Gulafrius, Goffridus Canutus, Ebrardus de Maieto. Ut vero sequaces hoc haberent in memoriam, cum baculo quem manu tenebat, Theburgim, tunc abbatissam, inde revestivit et eum super altare postea posuit. *R.* 1, *C.* 100.

CCCXCVII. DE DECIMA CHEHENNARUM ET DE ALIIS REBUS QUAS DEDIT GUILLERMUS DE CURCILIONE.

Conditor universalis ac redemptor noster dominus, in antiquis patrum observationibus patrem et matrem diligenter honorare et eis obedire precipiens, ne ipse solveret legem qui venerat adimplere,

matrem suam secundum carnem Mariam honorare et ei servire voluit, dicente evangelista : *et erat subditus illis et eam in cruce, jam moriturus, auxilii seu solacii causa, evangeliste virgini commendavit*. Guillermus igitur de Curcilione hujus rei non immemor, de matris sue salute non modice sollicitus, quia virginem virgini commendare nequivit, matrem matri suam domini adoptare pius voluit filius, impetrata matri sue societate dominarum ab abbatissa et capitulo. Cujus rei gratia dedit eis Guillermus atque concessit suam partem decime Chehennarum que sibi pertinebat, id est duodecimam partem altaris atque decime, dimidiam mensuram terre cum arpenno prati et duobus arpennis terre et loco mansionis agricole et medietate excluse et, si ipse fecerit ibi molendinum, decimam ipsius. Huic rei affuerunt : Agathes uxor Guillermi, Hato filius ejus, Hato presbiter, Matheus Borellus, Paganus de Disceio, Guillelmus et Achardus frater ejus, Bernerius clericus, Petrus Gauterii, Goffridus filius ejus, Johannes frater Petri, Peloquinus clericus, Richardus de Villata, Radulfus et Amalricus filius ejus; de parte monacharum : Engelbaudus villanus, Goffredus nepos Ossanne, Richardus mariscallus, Johannes Burdo, Lambertus socer Johanne, Landricus pontonarius, Garnerius filius ejus, Garinus piscator et Elnaudus filius ejus, Ernaldus presbiter, Achardus major et Fulcoius frater ejus, Rainaldus filius Johanne, Riulfus, Guibertus, Mainardus, Thetbaudus pelliparius, Rainardus Quintardus.

Decimam quoque asinorum, matris precibus coactus, concessit loco Caritatis in domo Curie Hamonis, presentibus : Hamone presbitero, Jordane milite, qui cum eo venerant, Garsinde monacha, Hernaldo presbitero et Rainaldo filio Johanne, Ermenerio, Tetbaudo filio ejus. Quod factum est in tempore abbatisse Teburgis. *R*. 1, *C*. 84.

CCCXCVIII. DE COSTUMIS QUAS JOHANNES DE DIÇAY DEDIT APUD LONGAM AQUAM.

Notum sit omnibus quod Johannes de Diçai dedit sanctimonialibus S. Marie censivam quam debebant illi apud Longam Aquam solute, et quiete dedit illis quicquid habebat de illis juxta Longam Aquam; unde sanctimoniales dederunt illi XXX solidos. Hoc vidit et audivit Guillelmus de Corcelon qui concessit, dominus illius feodi, unde habuit X solidos et a personis quandam elemosinariam, istis videntibus : Huberto pretore, Christiano Troter, Pilavenem Berner, Raine-

rius de Botiné, Jobertus Quintar, Raginaldus Messurem, Guillelmus Hamelini, Veron, Durandus Boterel, Robertus Sagete, Harduinus Burge, Luart de Chimeleio que tunc erat priorissa. *R.* 1, *C.* 51.

CCCXCIX. CARTA GAUFRIDI, ANDEGAVORUM COMITIS, DE MOLENDINIS CURIÆ HAMONIS.

Gaufridus Dei gratia Andegavorum comes, conventui S. Marie Caritatis, salutem et dilectionem. Quoniam multociens querimoniam vestram in presencia nostra et baronum nostrorum deposuistis, pro molendinis scilicet de Curia Hamonis qui dicebantur obesse terre vestre, idcirco motus Dei pietate et amore vestri, dono et concedo ecclesie vestre decimam predictorum molendinorum ita juste et integre ita ut quicunque eos habuerint decimum modium vel decimum sextarium vel etiam decimum bussellum, absque ullo scrupulo, vobis reddant : ita tamen quod deinceps sint molendini quieti a querimonia illius dampni quod dicebatur fieri occasione molendinorum. Hujus donationis testes fuerunt : Gauffredus de Cleeriis, Fixe senescaldus, et Goslenus de Turono et Thomas cancellarius et Giraldus notarius, cujus manu hec carta bullata est, anno ab incarnatione domini MCXLII°, Ludovico regnante in Gallia. Ex parte vero capituli, quia huic conventioni assensum prebuit, testes sunt : Amelina tunc dicta abbatissa, Petronilla decana, Agnes sacrista, Osanna celleraria; et ex canonicis : Radulfus sacrista, Adam, Durandus, Paganus; et ex servientibus : Turpinus vicarius, Mainerius dapifer, Vendeles pistor, Robertus, Rainerius. *R.* 4, *C.* 76.

CD. DE PRATO DE DICEIO DATO AD CENSUM GAUFRIDO DE PETRARIA.

Notum sit tam posteris quam presentibus quod Ama, S. Marie Andegavensis abbatissa, assensu totius capituli, fecit pactum cum Gaufrido de Petraria de prato de Diceio, quod pratum prius reddebat II nummos de censiva. Hoc pratum annuit abbatissa Ama et capitulum Gaufrido de Petraria et heredibus suis, ipsis reddentibus per annum B. Marie IV nummos de censu; unde Gaufridus de Petraria dedit sanctimonialibus XL solidos in caritate pro hujusmodi concessione. Huic rei interfuerunt qui audierunt et viderunt : Ama abbatissa que etiam capitulo annuente hoc scriptum sigillo capituli confirmavit et munivit, Hamelina de Mauritania tunc sacristana, Eremborgis, Bernarda tunc decana, Odiva celeraria, Guiborgis Parva subelemosinaria,

Milesendis de Chimilleio, Albina cameraria, Margarita de Castro Gunterii et omnes alie; de hominibus : Hissenbertus tunc siniscallus, Secardus sacrista, Raginaldus Andegavis tunc preses, Talebotus capellanus abbatisse, Gaufridus Buart, Johannes Bocinas, Guillermus clericus siniscalli, Guillermus celerarius, Bernardus Latro, Morinus de Morteriis, Johannes Bocegris, Johannes de Valle Blaim, Garinus de Ponfel, Gedefredus filius Gaufridi de Petraria et plures alii. *R*. 5, *C*. 22.

CDI. DE REBUS VENDITIS EUDONI PRÆPOSITO DE CURIA HAMONIS.

Ad repellendas malignantium cavillationes et impiorum objectiones, tam futurorum quam presentium memorie hominum per hoc scriptum declarare decrevimus quatinus Orsandis, S. Marie de Caritate abbatissa, et Issembertus ejusdem ecclesie siniscallus, cum assensu omnium sanctimonialium in communi capitulo et cum consilio Gosleni domini regis senescalli et Hugonis senescalli de Fixa, Eudoni suo preposito de Curia Hamonis omnem possessionem Johannis Burdonis quam eis dederat in elemosinam, scilicet domum cum superlectili et omnes vineas, bene et legaliter vendiderunt. Sic namque ipse emit et ille vendiderunt ut de domo cum superlectili et de vineis, quasi de patrimonio suo, omnem voluntatem suam exerceret. Isti ad hoc interfuerunt : Orsandis abbatissa, Hildegardis celleraria, Stephania decana, Oiscia sacrista et plures alie; et Isembertus siniscallus et Laurentius vicarius, Guillermus canonicus, Rainerius sacrista, David Serredent, Christianus prepositus de Espinat, Richardus de Furnillo et cumplures. *R*. 5, *C*. 23.

DE MALO CAMPO.

CDII. CONCESSIO FULCONIS DE BUGNON, DE ECCLESIA MALI CAMPI.

Notum sit tam futuris quam presentibus quod Fulco de Bugnon illud rectum quod Algerius ejus avunculus in ecclesia de Malo campo habere debebat, S. Marie suisque monialibus, pro anima ipsius Algerii et pro sua, in perpetuum concessit : inde XX libras recipiens, talesque conventiones retinens ut filiam suam moniales secum

habeant et eam doctam nonnam efficiant, dando de suo sine pacto quantum sibi placuerit, et nisi de prima voluerit de alia similiter; et aliud quod ejus avunculus et ipse in beneficio S. Marie recipiantur et in Malo Campo, sicut in sua elemosina, ipse recipiatur si Raginaldo de Credone hominium fecerit. Proinde eis et de hoc et de aliis rebus auxiliatorem et dissertorem se promisit. Cujus rei testes sunt : Berengerius Enisam, Oredus de Creet, Guillermus de Vileriis, Goffridus de Folzels, Guido Vallensis, volens et annuens, ejusque mater Hersendis, Garinus de S. Bertivino, Goffridus de Festillé, Hubertus prefectus, Giraldus de Clauso Monte, Garnerius filius Gentesme, Gaufridus filius Galterii, Gaufridus Gamba Avene, Tebaudus prefectus, Garinus filius Hemerici, Hamelinus de Caagland, Maenardus Ativellus, Quentinus, Garnerius de Fonte, Normannus de Montiniaco, Ogerius corvisarius et ejus socius Guillermus, Odelinus molinarius et ejus filius Ernulfus, Goffridus filius Hamonis Crispi, Hamo Berso, Frogerius presbiter, Guintonomardus presbiter, Guillermus filius Harduini scriptor istius scripti. *R*. 1, *C*. 65; *R*. 4, *C*. 75.

CDIII. CONCESSIO RAINALDI CREDONENSIS, DE EADEM ECCLESIA.

Notum fiat omnibus quod Rainaldus de Credone concessit omnem rectitudinem quam habebat in ecclesia de Malo Campo sanctimonialibus S. Marie, recipiens ab eis XX libras. Quam concessionem audierunt : Robertus Lesoi filius, Hamelinus de Nova Villula, Rollandus Clarembaldi nepos, Haimericus Ragotus; canonici B. Marie : Alelmus, Gauterius, Josbertus; Giraldus diaconus, Goffredus subdiaconus, Hugo S. Laudi canonicus, Tetbertus, Rainaldus Calvellus, Joffredus Pictavensis, Rainaldus villanus, Garinus sacristarius. *R*. 1, *C*. 64.

CDIV. DONUM COSTUMARUM MALI CAMPI.

Guido senex dedit sue filie Odeline viduate omnes costumas hominum S. Marie de Malo Campo, exceptis feriis et mercatoriis. Postquam autem suscepit sanctum velamen, Hamo frater ejus annuit ei et dedit omnino, et de feriis et de mercatoriis. *R*. 4, *C*. 95.

CDV. CARTA CAPITULI CENOMANNENSIS, DE AGATHA DE RUILIACO CONSECRANDA IN SANCTIMONIALEM.

Sacris peticionibus effectum non denegare, et divini muneris est

et studii servorum Dei. Quod dum venerabilis abbatissa Theburgis, una cum sibi commissis filiabus, Christi devoto sectaretur affectu, his que ab eis in Christo postulavimus celerem in Christo prebuerunt assensum. Ex nostra siquidem peticione, puellulam quandam nomine Agatham, filiam Guillermi de Ruiliaco, in suo suscepere conventu in sanctimonialem, Deo actore, consecrandam. Quarum videlicet beneficio ne nos ingrati videremur, de VII solidis Cenomannensis monete quos ecclesia de Malo Campo velud annuum censum, pro dimittenda relevatione quam dudum solvere solebat, nobis et nostre debebat ecclesie, II solidos decrevimus in perpetuum relaxandos. De III quoque solidis ejusdem monete qui, pro simili ratione, de ecclesia de Marolio quotannis ecclesie nostre solvebantur, totum relaxavimus quicquid earum partem contingebat. Suscepimus insuper prefatas sanctimoniales in beneficiis et orationibus nostre matris ecclesie, in monasterio earum similem ab eis recipientes fraternitatem, monasterio ipsarum et auxilio affuturi et consilio. Ut autem prefatorum censuum relaxatio inviolabilem obtineret firmitatem, eam in nostro corroboravimus capitulo, presentibus et prestantibus assensum tam ecclesie nostre personis quam reliquis canonicis quos etiam decrevimus adnotandos. Prestitit igitur assensum : Hugo decanus, Guido precentor, archidiaconi; Fulgerius, Gervasius, Gradulfus archipresbiteri; Orricus, Hamelinus Fulcoius, Paganus presbiteri; Arnaldus, Ivo, Paganus diacones; Martinus, Petrus, Guillermus subdiacones; Guido, Ansgerius, Albericus inferiores ordine; Stephanus, Guillermus de Belismo, Guillermus alter, Radulfus, Garnerius, Frogerius et reliqui.

Porro ne quis perverse mentis vel minuere, quod absit, vel adnullare prefata statuta presumeret, ea cyrographo premunienda disposuimus : anathemate percutientes eas omnes personas quas prescripte deliberationi constiterit adversari. *R.* 5, *C.* 80.

CDVI. CONCORDIA INTER MONIALES ET FROGERIUM PRESBITERUM.

Frogerius presbiter concessit in perpetuum loco S. Marie Caritatis et sanctimonialibus Deo inibi famulantibus redecimum quod habebat in Mali Campi parrochia, cum terra et omnibus que ad idem redecimum pertinent; concedente Gauterio presbitero filio suo et nepote suo Huberto, qui etiam se fidejussores dederunt ut minores filios ejusdem Frogerii, qui domi remanserant, sicut et ipsi concesserant

concedere facerent. Hujus vero redecimationis donatio facta fuit VIII° idus Augusti, die videlicet sancti Sixti, presente domno Guillermo S. Florentii abbate cum duobus de monachis suis; teste Hugone de S. Laudo et Gaufrido Bernardoque canonicis. Quam ob rem impetravit eidem Frogerio domna Richildis abbatissa a predicto abbate locum S. Florentii; ita ut, absque aliqua rerum suarum porciuncula, monachus ibidem futurus, ab ipso patre Guillermo honorifice ad monasterium deductus, a monachis fuisset receptus. Preterea concessit jam dicta abbatissa hujus Frogerii filio nomine Gaufrido ceterisque fratribus suis, Frogerii videlicet filiis, necnon et prefato Huberto post ipsos, illam partem quam Frogerius in ecclesia Mali Campi habebat et quidquid aliud eo die de sanctimonialibus tenebat: tali tamen tenore ut Gaufridus iste quamdiu vixerit teneat, nisi forte aliquod pro quo recte perdere debeat commiserit. Hujus igitur concessionis donum Gaufridi atque Huberti manibus Hugo de S. Laudo hac ratione quam prefatus sum, jussu predicte matris, imposuit. Sed illud non est silendum tunc quoque, coram predictis testibus, deliberatum fuisse ut si quis de (supra) scriptis coheredibus tempore suo, sicut alius alii successerit, aliquid commiserit quod judicio curie B. Marie et abbatisse loci emendare noluerit, judicium Cenomannensis pontificis requiratur et, sicut ipse deliberaverit, emendetur. *R.* 4, *C.* 88.

CDVII. DE BORDAGIO TERRÆ DATO AD CENSUM TETBAUDO PRÆPOSITO.

Tetbaudus, prepositus de Avenariis, tenet unum bordagium terre de sanctimonialibus apud Malum Campum, cum prato et censu trium domorum in vita sua: tali pacto ut post mortem suam remaneat terra illa S. Marie cum sua parte messis que in ea fuerit et cum censu supradictarum domorum et prato; nec aliquis heres suus clamet partem in eis rebus, excepta uxore sua que habebit partem messis sibi pertinentem, si post Tebaldum vixerit. In burgo de Avenariis habet Tebaudus in vita sua tantum consuetudines. *R.* 5, *C.* 8 *bis*.

CDVIII. DE TERRIS EMPTIS APUD MALUM CAMPUM.

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod Johannes, filius Gauterii, habebat quandam terram apud Malum Campum, que erat de dominio et de proprietate S. Marie. Quam posuit in ventione; sed, quia erat ex propriis S. Marie, nullus potuit eam emere:

itaque vendidit eam monialibus S. Marie, et inde habuit LX solidos quos tradidit ei Lucia sanctimonialis. Hanc ventionem viderunt isti : Gaufridus filius Raherii, Guiardus de Gabo, Guerriverius nepos Aubaudi, Burchardus filius Berardi. Ex hominibus S. Marie fuerunt : Thebaudus Quintinus de Riblé, Adelelmus, Goffridus de Orgeio, Radulfus de Fonte.

Rogerius pontonarius, habebat quandam terram quam vendidit monialibus S. Marie, in tempore Lucie que erat Avenariis, et inde habuit IV libras Cenomannensis monete. Dimisit et domum suam cum hac conventione propriam et quietam S. Marie, quam postea concesserunt ei sanctimoniales habendam pro V denariis de censu ejusdem. Domine cameram retinuerunt in manu sua. Huic ventioni interfuerunt isti : Arduinus et Guillermus atque Hugo filii ejus, Goslinus de Super Stanno; ex parte S. Marie fuerunt isti : Radulfus de Fonte, Tebaudo de Ribleto, Tebaudus prefectus, Goffridus de Orgiaco, Adelelmus. *R.* 4, *C.* 86.

CDIX. CARTA EPISCOPI CENOMANNENSIS DE CONCORDIA INTER MONIALES ET MONACHOS EBRONII.

Ego Guillermus, Dei gratia Cenomannensis episcopus, universis sancte ecclesie filiis salutem. Quoniam, vetustatis obducta caligine, veritatis imago citius deperit nisi, litteris reformata, lucidior apparuerit, notum fieri curavimus quod cum inter abbatiam de Ebronio et abatiam monacharum de Andegavis, super jure parrochiali ecclesiarum de Malo Campo et de Intramis, contentio verteretur, tandem partes ille, coram nobis constitute, in hanc compositionem convenerunt. Parrochialia hominum et terrarum que continentur intra Brolium et Viam Tritam, que dicitur Via Penurie, usque ad aquam de Iona, omnia inquam parrochialia illa de quibus erat controversia, ad ecclesiam de Intramis debent pertinere. Alia parrochialia, que sunt inter viam memoratam et ecclesiam de Malo Campo, ad eamdem ecclesiam de Malo Campo pertinebunt. Hoc autem, ut fidelius conservetur, sigilli nostri munimine consignari fecimus. Huic facto interfuerunt : Eustachius archidiaconus, Ivo magister scolarum, Esgaretus capellanus, magister Ernaudus, Haimericus Pictaviensis; a parte monachorum : Raginaldus prepositus de Ebronio, Gauterius cellerarius, Guillermus prior de Entramis, Albericus furnarius, Guitellus, Johannes mosnerius et multi alii; a. parte monacharum : Berta prio-

rissa de Avenariis, Julianus presbiter de Malo Campo, Herbertus de S. Cruce, Guido presbiter de S. Laurentio de Andegavis, Boterellus presbiter de Intramis, Gaufridus Homo Dei, Gaufridus de S. Martino, Herbertus de Bor, Guillermus Havart, Guillermus de Chambellé, Robertus clericus et alii multi. *R*. 6, *C*. 60.

CDX. CENSUS HOMINUM DE MALO CAMPO.

Isti homines reddunt census : Odo pistor, IV denarios; Ganterius Fuselerius, IV den.; Raginaldus Rourellus, IV den.; Albegia uxor Morehen, V den.; Andreas, IV den.; Blanchardus, IV den.; Teelinus et filius, X den.; Hernaldus, IV den.; Radulfus de Busseio, IV den.; Garmundus, IV den.; Fulcherius, XI; Guillelmus Fole, IV den.; Odierna, VI den.; Fromundus sacerdos, IV den. *R*. 2, *C*. 49.

CDXI. CENSUS HOMINUM DE FONTE.

Raginaldus Nonardus, XII denarii; Robertus filius Ermenardi, XII den.; Angerius de Porta, VI den.; Tebaldus de Faugeroles, VI den. et obolum; Hubertus filius Roberti, VII den.; Raginaudus de Viloset, XII den.; Herveus Gobe, VI; Calopinus, XII solidi et II denarii. *R*. 2, *C*. 50.

DE SANCTO ANIANO.

CDXII. DE DECIMA PARROCHIÆ S. ANIANI JUXTA CASTRUM GUNTERII.

Illud etiam inter alia volumus memorie commendare quod Paganus de Buareto, pro anima sua, dedit Deo et S. Marie tres partes decime quas habebat in parrochia S. Aniani, vidente Pagano de Liboes et Ogerio sacerdote de Estrelis, concessione Adelardi de Castro Gunterii. Postea, concessione et peticione parrochianorum, Guiburgis de Villona et Gaufridus Bellus concesserunt sacerdoti quartam partem illius decime : tali pacto et tali lege ut parrochiani legitime servirent et sacerdos firmius et melius quereret et esset proprius sanctimonialium ad ponendum et deponendum. Huic conventioni interfuerunt isti : Raginaldus filius Fulcherii, Papinus frater ejus, Ildemandus, Raginaudus, Ernaudus, Gaufridus Gelau Verna, Fromundus presbiter, Erveus presbiter de Castro Gunterii et Harpinus aliique quam plures. *R*. 5, *C*. 41.

DE SANCTO CHRISTOFORO DE MARILLEIO.

CDXIII. DE ECCLESIA BEATI CHRISTOPHORI ET DE ALIIS REBUS DATIS A BERNARDO SUBERANNO.

Illud quoque memorie commendamus quod Bernardus, qui et Subrannus vocatur, dedit ecclesie S. Marie Caritatis, pro filia sua quam ibi sub regulari jugo Christi servitio mancipavit, suam medietatem ecclesie B. Christophori, que in villa Marullio nuncupata sita est, cum terra et decimationibus atque sepulturis, insuper cum omnibus exitibus ad illam medietatem pertinentibus. Dedit etiam dimidiam decimam totius Male Vallis, et de molendino quod cum S. Albini monachis habebat suam partem cum moltura suorum hominum quos, dum in dominio suo erat, ad illud molendinum consuete venire faciebat. Hec omnia et quieta et absque ullius servitii debito, sicut ipse ea de domino suo tenebat cujus licentia atque nutu donavit, jure perpetuo S. Marie suisque moniälibus concessit habenda, annuente uxore sua filiisque ac fratribus suis in capitulo, sub testimonio illustrium virorum quorum nomina in cartula ista conscripta sunt, donationemque mox super altare manu propria posuit. Dedit preterea, sub prepositorum presentia testium, ex parte fratris sui Guillermi, in eadem villa unum bordagium ab omni servitii et consuetudinis exactione liberum; in suo quoque nemore, materiam ad molendinum faciendum et reficiendum et ad omnia necessaria monacharum. Unde ex parte sua testes sunt : Petrus de Arratio, Seguinus de Lusdo, Garinus de Columbariis (cum) Ulrico fratre suo; ex parte S. Marie : in primis quatuor canonici Robertus, Alelmus, Gauterius, Godefridus; Rainaldus de Brachesac, Rainaldus de Fossis, Galterius Rufus, Garinus de Pleiseit, Erneisus de Calvo Monte, Richardus de Aurea Valle. *R.* 5, *C.* 43.

CDXIV. CONCESSIO SUPRADICTÆ ECCLESIÆ DANIELI PRESBITERO.

Eterne memorie tradimus quod, tempore Richildis abbatisse, Daniel presbiter, pro salute corporis et anime sue, cum conventu ecclesie hujus sancte Dei genitricis Marie societatem et fraternitatem habere desiderans, dedit et concessit sanctimonialibus, in capitulo, omnium rerum suarum medietatem post obitum suum; et unoquo-

que anno, quamdiu viveret, eis V solidos daret ut orationum et benefactorum que domino redderent ipse particeps fieret. Quod si ipse aliquid in propria terra earum edificaret, illud totum S. Marie remaneret; cum vero mortuus esset, moniales eum huc afferri facerent ad humandum. Hoc autem beneficium, propter supradictam convenientiam, moniales ei concedentes, donaverunt illi, in vita sua, partem illam quam habebant in ecclesia quam Bernardus Suberanus dedit S. Marie cum filia sua, quamdiu ipse erga eas se honeste haberet, non alia convenientia. Insuper, presbitero supradicto hoc petente quod, si aliqua eum de loco suo expelleret persecutio, moniales ei succurrerent et auxiliarentur, ad comprobandam rei hujus veritatem, notificamus moniales hoc illi in convenientia nunquam posuisse nisi in misericordia; quod et presbiter concessit, audientibus istis : Adelelmo canonico, Gauterio Cornuto, Bernardo canonico, Goffrido Daniele, Theberto cellerario, Frogerio pistore, Minardo coquo, Engelbaldo villano, Morello cellerario, Martino de Leione. *R.* 4, *C.* 76; *R.* 5, *C.* 76.

CDXV. BONUM QUARTÆ PARTIS ALTARIS S. CHRISTOFORI A FROMUNDO TANGENTE BOVEM.

Quoniam memoria hominum brevis et velut aura mobilis et cito mutabilis videatur esse, ne per incuriam aut per negligentiam scripture actio humana deperiret, litterarum monimentis posterorum memorie tradere curavimus quod Fromundus Tangens Bovem dedit Deo et S. Marie Caritatis, pro anima sua et parentum suorum, quartam partem altaris S. Christofori de Marilleio et II solidos Andegavensis monete de censiva et III obolos Cenomannensis monete; et posuit donum super altare S. Marie Caritatis prius confirmatum in capitulo, et revestivit abbatissam cum baculo albo; et Adelina uxor sua et Hugo Albus filius ejus concessit. Sanctimoniales vero dederunt eis CCC solidos pro concessione et Hugoni de Claro monte, qui erat capitalis dominus, XL solidos pro concessione. Hoc concesserunt isti : Grossinus de Bosco Merleio et Gosbertus filius ejus et Robertus Chalopinus, Adelina mater Roberti. Testes hujus rei sunt isti : Odo presbiter ecclesie, Robertus Poleta, Droco, Gocerinus, Garnerius de Columbariis, Paganus et Robertus filius ejus, Fromundus de Galeranda, Hamelinus frater ejus, Mauricius decanus, Fromundus Bevinus; de parte S. Marie in capitulo : Rainerius canonicus, Eudo sacristarius,

Bernardus Angerii prefectus, Barbotus villicus, Adelardus de Brionello, Robertus de Juigniaco, Engelbaudus villanus, Babinus, Johannes de Valeia, Gauterius filius Hervei, Richardus marescallus et alii plures. Pro conversione istius doni reddent sanctimoniales Fromundo de censiva XII denarios Andegavinos, in crastino die Pasche, singulis annis. *R.* 2, *C.* 95.

CDXVI. CARTA EPISCOPI CENOMANNENSIS, DE DONO DECIMÆ ET OBLATIONIS FACTO AB EODEM.

Ego Guido, humilis Cenomannorum episcopus, omnibus, tam futuris quam presentibus, notum fieri volo quod Fromundus Tangens Bovem dedit sanctimonialibus cenobii S. Marie Caritatis quamdam partem decime et oblationis quam habebat in ecclesia S. Christofori de Marolio : ita ut sanctimoniales presentialiter totam oblationem haberent; filius vero ejusdem Fromundi, Hugo nomine, haberet ipsam decimam in vita sua tantummodo. Sed cum idem Hugo ipsam decimam diutius tenere noluisset, cum quibusdam amicis suis in nostram presentiam venit et decimam illam sanctimonialibus quite et pacifice dimisit, concedente atque favente Johanna uxore Raginaldi de Columbariis et filia ejus cognomento Marcisca, que etiam hujus rei donum atque repudium super altare S. Christofori de Marolio cum quodam cutello posuerunt; nichil in ea penitus retinentes preter V solidos Andegavensis monete quos sibi per annos singulos et suis successoribus in Cena Domini, pro servicio ejusdem decime, persolvi statuerunt. Quod si prefata Johanna vel filia ejus Marcisca sanctimoniales fieri voluerint, statutum est ut abbatissa vel sorores ejusdem loci alteram earum suscipiant. Hoc autem concesserunt Gosbertus de Maieto, avunculus ejusdem Johanne, et Hubertus de Claro Monte et Hugo frater ejus, de quorum feodo decima illa erat; videntibus et audientibus istis quorum nomina sub inferuntur : Hugone Cenomannensi decano, Angerio cantore, Gradulfo archidiacono ejusdem regionis, consilio cujus et astipulatione hoc actum est, Hugone archidiacono, Petro archipresbitero; Hildeburgi abbatissa et Beatrice sorore ejus et Superba et Advena; Raginaldo de Meduana, Hamelino de Marolio, magistro Alnulfo S. Mauricii, Guillermo de Caltis, Raaudo vicario, Bernardo Endenchardo, Philippo de Espinatis, Mainerio de Castro Lid; ex parte Johanne : Goslino de Saumur, Giraldo Albino, Alberico de Marolio, Guillermo Putrello, Harpino.

Hoc autem factum est anno ab incarnatione domini MCXXXII°, nostri episcopatus VI°, in presentia mea. Sed ut hec concessio firmior inconvulsaque in perpetuum permaneret, presentes litteras sub cyrografo fieri easque sigilli mei impressione muniri precepi. *R.* 6, *C.* 39.

CDXVII. DIMISSIO CALUMNIÆ BERNARDI SUBERANS, DE MOLENDINO DE BERALDO.

Notum sit omnibus hominibus quod Bernardus Suberans clamavit quamdam querelam solidam et quietam monialibus S. Marie, quam faciebat de molendino, de Beraldo quod injuste presumpserat. Et inde petivit eum Eremburgis filia sua et Fabiana et Barbotus villicus, et ipse et Odelina uxor sua recognoverunt rectitudinem S. Marie, et clamavit illam querelam et alias omnes querimonias solidas et quietas; videntibus et audientibus filiis ejus Auberico, Barato, et Odone fratre ejus. *R.* 2, *C.* 44; *R.* 3, *C.* 46.

CDXVIII. CONCORDIA INTER MONIALES ET LEONUM, DE EODEM MOLENDINO.

Quoniam antecessorum nostrorum, in omni actione sua, bona vestigia sequi ratio exigit, in omnibus, secundum posse ingenii uniuscujusque, eos sequi debemus. Ipsi namque, considerantes gesta suorum sola memoria non posse retineri, placuit, ne oblivioni in perpetuum traderentur et successores sui sine dubio ea scirent, scripto commendare. Nos vero, ne presentia facta amicorum nostrorum inhertia nostra sequacibus nostris ignota sint, eis simili modo quedam notificare scripto volumus. Audiant ergo tam presentes quam futuri (inter) abbatissam S. Marie Caritatis et Leonum quandam contentionem de molendino de Beraldo diu fuisse. Abbatissa itaque et Leonus, consilio amicorum suorum, hanc contentionem de molendino amplius (permanere) nolentes, in capitulo S. Marie cum amicis convenientes, coram conventu talem concordiam inter se fecerunt : ut Leonus, de censu suo, molendinum faceret in quo abbatissa molendinatorem suum semper poneret, et cum Leono suisque (in) fide esset quod partem suam mouture sibi redderet; enimvero sic ut constitutum fuit quod abbatissa medietatem mouture haberet et Leonus alteram; et quod homines terre Leonii, pro medietate mouture sibi concessa, venirent, ipseque unoquoque anno talionem molendini redderet et decimam de Mala Valle defenderet ac servaret illam-

que de Marelio. Hoc autem ita facto et concesso, Leonus Turpino vicario tenendi hoc fidem tradidit et Petronilla uxor ejus insuper, et quod concederent et concedere et facere filiis suis facerent; ipsi vero si de hac concordia aliquo tempore exire vellent, abbatissa partem Leono et suis concessam omnino caperet nisi infra XV dies emendatum esset. His ita concessis et confirmatis, venerunt ante altare S. Marie, super quod ramum palmarum posuerunt Leonus et Petronilla: promittentes hanc concordiam, sicut dictum est, tenere, istis testibus ante altare stantibus : Amelina abbatissa, Petronilla decana, Agnete sacristana, Osanna cellararia, Rustica elemosinaria et omni conventu; et multis aliis, scilicet : Durando canonico, Radulfo sacrista, Adam canonico, Renaudo capellano, Pagano capellano, Menardo diacono, Johanne subdiacono, Garoto pretore, Turpino villico, Menerio dapifero, Garino de Losduno, Grano, Odone de Ambreriis, Vendeles magistro pistore, Odone cellerario; Garino Cuvello pretore de Quarceris, Philippo Chevenel. *R.* 2, *C.* 27.

DE SOLVINIACO.

CDXIX. DE MONASTERIO SOLVINIACI ET DE TERRIS ET DECIMIS EJUSDEM.

Christiane religionis et consuetudinis antique, a scripturis sanctis, cognovimus esse fideles omnes et maxime nobiles, pro remuneratione animarum suarum, beneficia sue matris ecclesie suis beneficiis suisque possessionibus omnibus modis augmentare debere, juxta illud : *centuplum accipies et vitam eternam possidebis.* Istam vero domnus Hugo de Jarvardellio consuetudinem atque auctoritatem considerans, peccatorum suorum compunctione permotus ignoransque diem sui obitus, saluti anime sue rationabiliterque providens, ecclesiam sancte Dei genitricis virginis Marie, cui nomen de Caritate, de quadam parte suarum possessionum feliciter dotavit. Donavit itaque Theburgi, supradicti cenobii abbatisse, et virginibus ibidem Deo omnipotenti servientibus monasterium de Solviniaco et monasterii presbiterium et dominium et sepulturam, secundum possibilitatem morientis sumendam, decimam quoque totius terre sue quam ibi

habebat et burgum et burgi villicationem : scilicet duos solidos et dimidium de forisfacto et, si forisfactum majus fuerit, dimidiam partem. Dedit insuper mansuram terre cum hospitalicio et pratis quantum sufficiet : mansura videlicet Garnerii Faciens Bovem. Hoc donum et revestionem ipsius ecclesie vidit Adelaidis monialis de Camilliaco et Odelina de Valleia, que erant cum abbatissa quando dominus Hugo revestivit eam. *R*. 5, *C*. 94.

Lisiardus de Castello dedit S. Marie totam decimam suam de bordagio terre apud Solviniacum. *R*. 5, *C*. 95.

Ildeus de Grinione dedit monialibus S. Marie decimam suam de agnis, de porcis, de annona et de ceteris.

Hec dona supradicta viderunt et audierunt : Lisiardus de Castello, Orricus filius Herberti, Herbertus de Chevre, Engressus de Jalleia, Ildeus de Grinione, Guillermus Piperatá, Bernaldus Longa Terra, Ivo de Castello, Hugo de Corticis, Garnerius Faciens Bovem, Radulfus de Castello; Gumbertus, Rogerius sacerdos; ex parte abbatisse fuerunt de hominibus ipsius : Fossardus, Adelardus de Plesseicio, Harduinus de Spineto, Stephanus cellarius, Bernardus candelarius, Gaufridus marescallus, Herbertus Cornutus, Rainerius de Ponte qui hanc cartulam composuit. *R*. 5, *C*. 96.

CDXX. CARTA HUGONIS EPISCOPI CENOMANNENSIS, DE REMISSIONE DECIMÆ FACTA A CANONICIS DE BELLO LOCO.

Ego Hugo, humilis Cenomannensium episcopus, omnibus qui litteras istas viderint vel legerint notum fieri volo quod (canonici de Bello Loco, quidquid) in decima de terra que est de feodo Hugonis de Gesma adversus sanctimoniales B. Marie de Caritate reclamabant, penitus dimiserunt : recognoscentes eandem decimam ecclesie B. Marie de Caritate pertinere. Unde presentes litteras inde fieri easque sigillo nostro muniri precepi. Hoc autem factum est sub presentia et testimonio Guillermi decani, Harduini cantoris, Philipphi archidiaconi, Hugonis archidiaconi, Alberici archidiaconi, Hamelini archipresbiteri, Simonis archipresbiteri, Sevini archipresbiteri. Hoc acquisivit Babilonia. *R*. 6, *C*. 25.

DE NANNETIS.

CDXXI. CARTA BUDICI COMITIS NANNETENSIS, DE ECCLESIA SS. CIRICI ET JULITÆ.

Anno incarnationis dominice MXXXVIII°, ego Budicus, civitatis Nannetice comes, et uxor mea Adois, videntes ecclesiam in honore sanctorum Cirici et Julite matris ejus, prope menia urbis nostre antiquitus constitutam, in desolatione penitus derelictam, paganorum vel Normannorum devastatione ac etiam vetustate et longissima detrimentorum continuatione, illam clementer deplanximus : atque ejus miseriis compuncti lacrimabilibus, donando de nostris, eam a fundamento, pro salute nostra ac parentum nostrorum, renovare cepimus. Et ut successoribus nostris memorabilia fiant, per hanc litterarum institutionem, que huic sancto loco, pro veneratione prefatorum martyrum, ac ancillis ibidem a Deo nobis constitutis sub regula S. Benedicti deserviturís tam presentibus quam futuris, de nostro jure hereditario concessimus, cartam inde fieri jussimus : que autem videlicet omnibus eam legentibus narrat quia donavimus Bois Gundranni, qui est inter Orsvaldum et Jugno super aquam Alsentie, cum cultis et incultis et silvis et pratis, ecclesie S. Cyrici restaurande ac ancillis ibidem Deo servientibus depascendis; ut omni tempore sine calumpnia sine ullis redibitionibus quecunque habeant possideant. Et si quis de heredibus nostris fuerit aut quelibet extranea persona que hoc nostrum donum a prefato loco et ab ancillis ibidem Deo servientibus auferre presumpserit, iram Dei in primis offensionemque sanctorum martyrum incurrat, orbatusque proprio lumine penam ultricis flamme sentiat, et in prima resurrectione partem non habeat. Hoc vero scriptum, ut in Dei nomine vigorem obtineat majorem, manu nostra subter firmavimus et majoribus nostre curie affirmare rogavimus. † Budici comitis, † Adois uxoris ejus, † Robaldi comitis, † Judicalis vicarii, † Drovaloi vicecomitis, † Drovaloi Tauri, † Escomar, † Alfredi, † Glavihenni, † Benerii, † Heudonis. Data XVI° kalendas Julii, in urbe Nannetica, in die solempnitatis predictorum martyrum. Guillermus diaconus scripsit. *R.* 5, *C.* 76.

CDXXII. CARTA MATHIÆ COMITIS, DE DONO EJUSDEM ECCLESIÆ.

Omnis res digna memorie, ne in futuro oblivioni tradatur, litterarum institutionibus observetur. Unde ego Mathias, civitatis Nannetice comes, bone memorie litterarum memoria successoribus nostris volui esse memorabile quoniam humilis et veneranda abbatissa monasterii S. Marie Andecave civitatis, nomine Leburgis, adiens (nostram) curiam nos et nostros, magna verbi dulcedine, rogavit ut in urbe locus sibi daretur ubi monacharum regulam construere possit : quod nos libenti animo monstratur fecisse indicio istius cartule. Donavimus enim monasterium Sancti Cyrici, foris murum Nannetis situm, cum omnibus rebus sibi pertinentibus prefato monasterio S. Marie et domne Theburgi (1) abbatisse, pro incolumitate nostra et pro redemptione anime patris mei Budici comitis et matris mee Adois comitisse, qui hoc monasterium viventes edificaverunt et ad regulam monacharum destinaverunt, ut ipsas et omnes subsequentes sibi sub suo regimine, nostro dono legaliter facto, quamdiu seculum duraverit, sine calumpnia ad presidendum et ordinandum habeat, possideat. Quin etiam ex nostra parte, omnibus nostris laudantibus, prefato monasterio sanctorum martyrum et domne Leburgi abbatisse infra muros Nannetis dare curavimus : scilicet ecclesiam S. Marie et ecclesiam S. Vincentii et decimam marcati. Hec vero universa, sicut sunt supra conscripta et in auditu nostre curie recitata, manu humilitatis nostre propria subterfirmavimus atque nostrorum nobilium manibus Nannetensis patrie astipulandum commisimus : ut planiorem per succedentia tempora obtinere valeat vigorem in nomine Ihesu Christi domini nostri. Si quis autem, demoniaco arreptus spiritu, (fuerit) qui ab hodierno die et deinceps hoc testamentum infringere vel quolibet modo contraire temptaverit, dampnatus et anathematus pariter, cum Dathan et Abiron et Juda proditore, ignem eternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, sine fine possideat. Signum Mathie comitis ✝ qui hujus donationis auctoritatem affirmare rogavit; S. ✝ Rodardi vicecomitis; S. ✝ Ascuti; S. ✝ Alfredi; S. ✝ Graifionis; S. ✝ Bernardi; S. ✝ Drovalloi vicecomitis; S. ✝ Simonis; S. ✝ Rodaldi; S. ✝ Jarnogoni; S. ✝ Bernerii; S. ✝ Danielis; S. ✝ Glavihehenni; S. ✝ Uvani; S. ✝ Judicalis comitis. Datum VIII° kalendas

(1) Sic.

Aprilis, in civitate Nannetis, sub Valerio presule. Guillermus scripsit. *R.* 5, *C.* 77.

CDXXIII. CARTA CONANI DUCIS BRITANNORUM, DE RESTITUTIONE EJUSDEM.

Quoniam priorum patrum instituta posteros latere non valerent nec temporis vetustate oblivioni traderentur, ea scripto retineri decreverunt. Unde ego Conanus, Britannorum dux, atque mater mea Ermengardis comitissa scripto retineri jussimus quomodo et quo tempore restituimus (et) restituendo, ut justicia exigebat, dedimus capellaniam monasterii Sancti Cyriaci atque Sancte Julite, sue matris, Udeburgi venerabili abbatisse S. Marie Caritatis Andegavensis ac ejusdem loci sanctimonialibus. Ipsum enim monasterium comes Budicus et Adois uxor illius comitissa in propria sua terra edificaverunt et de propriis suis redditibus locupletaverunt; et ad victum prefatarum monialium, tam ipsi tam eorum filius comes Mathias, dederunt. Sed quia, crescente iniquitate, frigescit caritas multorum, plurimi antecessorum meorum prefatam capellaniam perniciose administrari permiserunt : dantes illam in hominagio uxoratis sacerdotibus et filiis eorum jure hereditario. Mortuo vero Leone quodam, qui hujus sacerdotalis successionis heres extitit eamque terrore mortis territus deseruit, unde providens periculum anime mee imminere, prefatis sanctimonialibus prefatam capellaniam, recognoscens earum antiquam justiciam, pro remedio anime mee et anime patris mei Alani comitis et matris mee Ermengardis, reddidi, aliorumque antecessorum successorumque meorum : ut habeant liberam potestatem eligendi sacerdotem et episcopo presentandi. Quod si quis, diabolico instinctu, hoc violare presumpserit, illum Deus de libro vite deleat, conatusque illius nullum optineat effectum. Hoc actum est Nannetis, idus Martii, anno ab incarnatione domini MCXXVIII°, Luduvico rege Francorum regnante; Conano, Conani comitis filio, Nannetensium comite; Bricio eorumdem presule; istis presentibus et videntibus : Ildeberto Turonensium archiepiscopo, Ulgerio Andegavensium episcopo, Hamelino Redonensium episcopo, Galone Leonensium episcopo, Guidone Cenomannensium episcopo, Conano comite concedente ac matre sua Ermengardi. De clericis : Auveredus Turonensis archidiaconus vidit, Goffridus de Ingreia S. Mauricii Andegavensis decanus, Guibertus ejusdem S. Mauricii canonicus, Petrus Abaelar-

dus Sancti Gidasii abbas, Radulfus sacrista S. Marie Caritatis. *R.* 6, *C.* 29.

CDXXIV. CARTA JARNOGONI, DE MOLENDINIS, EXCLUSA ET PISCATIONE IN ERDADE.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Jarnogonus Danielis filius, reminiscens evangelium illud : *facite elemosinam de mammona iniquitatis ut, cum defeceritis, recipiant vos in eterna tabernacula*; dedi, per consensum et consilium mee mulieris nomine Ansgor, (pro) monasterio sanctorum martyrum Cirici et Julite matris ejus restaurando, prope menia urbis Nannetice constituto, ac ancillis ibidem Deo servientibus depascendis, videlicet medietatem molendinorum et excluse cum medietate piscationis qui sunt sub ipso monasterio, in aqua que vocatur Erdade, nostris propriis rebus, pro redemptione animarum nostrarum vel parentum nostrorum : ut quamdiu seculum duraverit, habeat (et) possideat jure hereditario. Postea vero, pro nostris peccatis redimendis, ego et uxor mea huic monasterio (unam) de filiabus nostris, nomine Eusebiam, obtulimus : ut in vita sua, omnibus hoc nostrum donum falso calumpniare volentibus, veri testamenti carta semper appareat. Si quis autem, quod absit, post obitum nostrum de heredibus nostris surrexerit qui hanc nostram elemosinam destruere et monasterio prefatorum martyrum ac ancillis ibidem Deo constitutis servire auferre temptaverit, destruat eum dominus de hoc seculo et in futuro regnum benedictis paratum auferat; et ipsi sancti martires, quibus nostra concessimus, in die judicii anime sue accusatores existant. Ut autem hec firma stabilitate melius memorabilia in futuro permaneant, hanc inde cartam scribere rogavimus, et nostris manibus propriis subter firmavimus. Signum † Jarnogoni, S. † Ansgor uxoris ejus, S. † Mathie comitis, S. † Judicalis vicarii, S. † Glavihenni, S. † Bernerii, S. † Danielis. Data idus Maii in urbe Nannetica, sub Pudico (1) presule. *R.* 5, *C.* 78.

CDXXV. DE REBUS QUAS DEDERUNT CONSTANCIUS MULNERIUS ET LEJARDIS.

Litterarum memorie noticia posterorum significare volumus quod

(1) Melius *Budico.*

Constancius mulnerius et Lejardis uxor sua dedit Deo et S. Marie Caritatis et S. Cirio omnem possessionem suam, tam in vineis quam in molendinis et in rebus secularibus, in vita sua, et ibidem revestierunt sanctimoniales de duobus quarteriis vinearum : tali lege quod intumularentur in proprio cimiterio S. Ciri. Ipse vero et pater suus Constantius reddiderunt XII denarios de censu S. Ciro de rebus supradictis; et Lejardis facta est sanctimonialis apud S. Cirum cum omnibus suis et benedicta ab Albino sacerdote. Postea vero venit Andegavis : et ibi donum quod Constantius vir ejus fecerat in capitulo S. Marie concessit et, supra altare ponendo, confirmavit. Et illud donum supradictum, factum a Constantio, vidit et audivit Albinus sacerdos, Guillermus archidiaconus, Robelinus Mazo, Odelinus Mazo, Durandus et alii plures. *R.* 2, *C.* 96.

CDXXVI. VENDITIO VINEÆ JUXTA FLUVIUM HERDÆ.

Quoniam que litterarum custodie commendantur melius atque tenacius posteris in memoriam reducuntur, coemptionem que inter moniales S. Marie Caritatis et Johannem Parvum facta est, ne de ipsa inter subsequentes nostros aliqua, quod absit, controversia oriatur, scribimus, et eam sub legitimo scripto cognoscendam legamus. His itaque Johannes, cognomento Parvus, (emit) curtillum vinee, que est a domo Garini filii Aufredi usque ad domum Bruni et a cimiterio usque ad flumen Herde, in qua etiam domus Blandini vicarii sita est. Hanc inquam vineam emit Johannes ab abbatissa venerabili S. Marie, Hildeburgi scilicet, et monialibus ejus; deditque conventui pro ea habenda : in ipsa emptione LX solidos, annuum vero censum in festivitate sanctorum martyrum Cyrici et Julite XII denarios, bidennum etiam ad fenum faciendum, et ad vindemiandas diem unum vineas. Hanc iterum predicta abbatissa ibidem addidit exceptionem quod si ipse vineam illam vendere vellet, ipsis monialibus emere volentibus, levius quam cuilibet alieno daret; et nulli alie monastice congregationi eam dimittere liceret. Singulis autem dominabus que tunc cum abbatissa aderant, et quarum assensu hoc totum factum est, ex denariis suis ad libitum suum dedit; quarum nomina hec sunt : Hisilia tunc cellaria, Adelais tunc prior S. Cirici, Placentia, Vigolendis, Agnes filia Gauterii; de clericis ipsius abbatisse : Radulfus sacrista, magister Guibertus, Hugo tunc capellanus S. Laurentii; de clientibus : Garinus Losdun, Boselinus; de Nannetensibus : Aitoi-

nus, Lambertus filius Josberti et plures alii quorum nomina longum est enumerare.

Cum vero Johannes mortem sibi imminere sentiret, hujus curtilli partem unam cum domo quam in eo fecerat uxori sue Angor, alteram vero partem duobus infantulis cognatis suis, Petrulo et Ranerio, dedit et post mortem suam habere concessit. Qui post mortem ipsius ad abbatissam accedentes, assensum ejus quesierunt et habuerunt ut quiete vineam illam tenerent et in perpetuum possiderent, retenta tamen illa priori conditione. Huic ultime concessioni et revestiture interfuerunt : soror abbatisse Beatrix, Adelais, Odio Habita, Petronilla, Maria, Auburgis; Hugo tunc archipresbiter, Raaudus, Robertus de Jugniaco, Philippus, Rennulfus. Ad cujus rei auctoritatem, quando possessores hac possessione investivit, abbatissa precepit hoc scriptum sub cyrographi munitione fieri. *R*. 3, *C*. 57.

DE PRUGNIACO, CHALEON ET MONASTERIIS.

CDXXVII. NOTITIA DE CONSTRUCTIONE ET DONATIONE ECCLESIÆ PRUGNIACENSIS.

Ad presentium futurorumque noticiam qualiter illa S. Marie ecclesia que in villa Prugniaco dicta sita est, cum burgo circumposito ceterisque appendiciis suis, in S. Marie Caritatis cenobii dominium venerit, longe hujus carte tenacitati commendatum est. Nobilis quedam Deoque amabilis femina, Adenor nomine, jam semel ab illa summa domini curia que Jerusalem nuncupatur, ubi ipse pati, mori, sepeliri ac resurgere dignatus est, regressa; cum denuo divino amore repercussa, ad eundem locum repedare cupiens, coadunatis omnibus que sibi in tanto itinere jam experta fuerat necessaria, labore quem desiderabat arrepto, ipsa suique comites viam carpere jam cepissent, filii ejus, super separatione matris sue dolentes nec ulterius eam se visuros confidentes, obtinuerunt ab ea ut in terra eorum, que et sua erat, de censu illo quem secum deferebat, ecclesiam in cujus sibi placuisset sancti honorem construeret, ubi divinum perhenniter celebraretur officium. Credit itaque sagax mulier illustrium filiorum consilio, edificavitque predictam in sancte Marie virginis

devotione ecclesiam, per hoc se confidens ab incepte vie dimissione dominum placaturam. Quam videlicet ecclesiam ad votum suum constructam et de filiorum suorum terris, prout ab eis impetrare potuit, ditatam, custodiendam filio suo natu medio Gaufrido (1) commendavit ac filie sue, quam jam supradicto Caritatis cenobio regulari sanctimonialium mancipaverat jugo, suo nomine Adenor, post mortem suam concessit. Igitur, matre defuncta, filia locum sicut mater tenuerat habuit et cum fratre Gaiferio, in cujus manu mater locum dimiserat et cui castrum cum toto honore, primogenito fratre Barbotino jam mortuo, remanserat, placitum fecit ut locum illum cum rebus omnibus ad eum pertinentibus loco Caritatis ex toto concederet. At ille, materne devotionis non immemor sororisque sue desiderio satisfacere volens, taliter in presentia domne Richildis abbatisse, ipse et filius ejus cum fratre suo Mande Guerra totam rem, sicut soror eorum poposcerat, in perpetuum quietam concesserunt, donatione ab eodem Gaifero super ipsius aram ecclesie posita : ut quicquid de loci illius exitibus victui monacharum ibi cohabitantium superfuerit, Andecavis ad communem sanctimonialium victum reddatur. Hujus vero donationis testes nominatim conscripbuntur in rotulo : Gaufridus filius ejus, Mandans Guerram frater ejus, Pipinus et Albuinus nepotes, Guillermus et Urvoinus nepotes eorum, Odelinus, Giraldus de S. Philiberto, Robertus sacerdos, Herveus capellanus et Guillermus clericus ejus, Evanus sacerdos, Simon Berne, Bruno cognatus ejus, Jarnegonus bocarius, Goscelinus filius Seguini, Goscelinus et Johannes et Giraldus carpentarii, Paganus serviens; ex altera parte : Gaufridus Martinus, Hugo de S. Laudo, Bernardus canonicus, Godefridus presbiter, Babinus clericus, Guillermus de Lochis, Galterius Rufus. *R.* 1, *C.* 91.

CDXXVIII. DE DONIS JUDIQUELLI VETULI ET NIHELLI FILII EJUS.

Ego Judiquellus una cum uxore mea Adenore, annuentibus filiis meis, pro redemptione animarum nostrarum, do et in perpetuum habere concedo Andegavensi cenobio in honore sancte Dei genitricis Marie fundato, cum Adenore filia mea ibidem cum aliis Christi virginibus Deo dicata, ecclesiam in territorio Prugniacensi, similiter in honore prefate virginis Marie constructam, et totam mansuram

(1) Melius *Gaiferio.*

terre ubi ipsa ecclesia sita est cum medietate suburbii et cum omni pedagio ejusdem suburbii et cum omni prepositura tam ipsius medietatis suburbii quam omnis masure ejusdem terre. Concedo etiam medietatem nundinarum, ab omni bidenno et omni querela liberam. Preterea do et concedo quartam terre Huberti Rufi Capitis Avarei liberam quemadmodum et supradictam, excepto septimo et medietate districti prepositi.

Similiter et Nihellus dedit atque in perpetuum S. Marie habendam concessit aliam medietatem suburbii in quo supradicta ecclesia collocata est, quam ipse de domno Judichello tenebat, eodem modo liberam quomodo et prenominatus Judichellus dederat suam quam supradiximus medietatem. Dedit etiam idem Nihellus et concessit duas partes decime trium masurarum Garini et duas quartas terre Guillermi liberas ab omnibus aliis debitis, excepta decima tota et medietate XXX denariorum. Similiter etiam dedit medietatem maritimi cum censu et omnibus ceteris debitis, excepta tercia parte decimarum. Preterea dedit et concessit medietatem census volucrum et piscium maris; audientibus et videntibus : Laenfant et Paen et Barbotin et Gaifer et Babin et Perenei lum Bastar et Ivano presbitero, de quo ille locus fuit emptus et capella que tunc temporis ibi erat et, sicut diximus supra, S. Marie in sempiternum datus, amen. Signum Judichelli Majoris ✝. S. Nihelli ✝, S. Judichelli Minoris ✝, S. Ascodii ✝, S. Justini ✝. *R.* 5, *C.* 75; *R.* 6, *C.* 24.

CDXXIX. CARTA QUIRIACI EPISCOPI NANNETENSIS, DE CONCESSIONE EJUSDAM ECCLESIÆ.

In nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et spiritus sancti, Quiriacus Dei gratia Nannetensis episcopus, omnibus Christi fidelibus predecessorum statuta canonice acta servare inconvulsa. Cum cuncta que aguntur in diuturna memoria habere non possint nisi scripto commendentur, que egimus in ecclesia in honore sancte Dei genitricis Marie apud Prugniacum fabricata, indicio presentis scripti, tam presentibus quam futuris, decrevimus assignari. Notum itaque fieri volumus (quod), cum nos in episcopatu Nannetensi venerabili episcopo Airardo successerimus, vix aliquam (invenimus) tocius episcopatus Nannetensis ecclesiam laïcarum subjectione vel potestate personarum esse liberam, licet venerabilis predictus episcopus dum vixerit omnem laïcalis persone conditionem, virtute sancti spi-

ritus, in suo episcopatu a Dei ecclesia expulisset. Nos vero sancte nimium condolentes ecclesie, quia tante subjacebat miserie, ad extirpandum ingluviem tante rapacitatis elaborantes, quam plurimos invenimus adversarios. Cum autem, tertio ordinationis nostre anno, hujusmodi sacrilegos persequendo, nostrum perambularemus episcopatum, venientes Prugniacum, invenimus S. Marie Andegavensis sanctimoniales secularium, scilicet Guefferi ejusque fratrum, dono et concessione unam ibi optinentes ecclesiam. Quo comperto, fecimus et sanctimoniales que ibi commorabantur et illos quorum donatione reclamabant arcessiri, innotuimusque eis quod in sanctuario Dei tantam pestem nunquam toleraremus, nec in ecclesia que secularis dono potestatis optineretur divinum permitteremus mysterium. Quod Guefferus scilicet et fratres sui, quantum valebant, nostris infructuose renitentes rationibus, protulerunt adversum nos hujus modi rationem dicentes : « parentes nostri in hoc suo territorio invenerunt quasdam antiquas macerias dirutas, quas indigene referebant antiquitus fuisse ecclesiam in honore S. Marie constructam; ibique creberrima fecisse miracula asserebant. Has quidem maceries, piis de causis, preoptantes ipsi reedificare in cujus honore prius constituta fuerat ecclesia, sequestraverunt in partem de possessionibus suis de predio suo : ad illam, pro salute animarum suarum, restituendam quousque omnino reficerent. Deinde patre nostro prope temporis mortuo et ecclesia de bonis ejus restaurata, nos filii et heredes ejus cum matre nostra, non presumentes subtrahere nec in proprium usum converti quod vir piissimus (ad) instaurationem Dei ecclesie contulerat sed preoptantes augere, de proprietate nostra, ad victualia Deo ibidem servientium attribuimus; ac proinde illam ecclesiam cum omnibus appendiciis suis S. Marie Andegavensis ecclesie, cum sorore nostra Adenora nomine, delegavimus : unde nullam vobis vel Nannetice ecclesie debere subjectionem non dubitamus. » His itaque irrationabilibus auditis defensionibus, vera et canonica ratione comprobando et affirmando, innotuimus illis illam dationem non esse legitimam nec in illa ecclesia, quamdiu laïcalis dono persone obtenta esset, dignum Deo posse celebrari mysterium. Unde ineuntes consilium, tam illi quam sanctimoniales que ibi aderant, supradictam ecclesiam cum omnibus que illi vel parentes sui contulerant in manu nostra et Nannetensis ecclesie potestate reliquerunt. Deinde nobis clementer supplicaverunt ut illam, paratam ad consecrandum, consecraremus et consecratam, si

nostre placeret clementie, retento quolibet servitio, S. Marie Andegavensi suisque monialibus conferremus. Quorum satis oportune precationi, collaudatione quidem et consilio clericorum nostrorum, clementi favore condescendimus; ecclesiamque supradictam cum omnibus ad eam pertinentibus sub nostra et Nannetensis ecclesie defensione recepimus : retinentes in illa compensationem Nannetice ecclesie annualiter, in Assumptione S. Marie unum auri bisantium. Ac proinde, ut verius credatur et firmius habeatur, hoc scriptum fieri jussimus et propria manu subter firmavimus nostrique sigilli impressione signavimus, collaudantibus et confirmantibus clericis nostris quorum signa cum nominibus subtitulari jussimus. Signum Quiriaci Nannetensis episcopi †, S. Guillermi †, S. Radulfi gramatici †, S. Durandi capellani †, S. Huberti canonici †, S. Johannis canonici, S. Simeonis canonici, S. Alvei archidiaconi, S. Garini canonici, S. Gaufridi tesaurarii, S. Aldroni canonici, S. Jarnogonis canonici. Actum Nannetis, anno ab incarnatione domini MLXIII°, presulatus autem Quiriaci pontificis III°; indictione II[a], concurrens III, epacte nulle, circulus lunaris XVII, terminus Pascalis nonas Aprilis, dies Pasche III° idus Aprilis. *R*. 6, *C*. 28.

CDXXX. DE PLURIMIS DONIS EIDEM ECCLESIÆ FACTIS.

Cum Adenor uxor Judiquelli, divina inspirante gratia, de his que secum Jerosolimis deferre diu cogitaverat oratorium Dei genitricis Marie edificare disponeret, quatinus firmum atque omni remota calumpnia quod cupiebat in eternum staret, venit ipsa cum domino suo Judichello ad Evenum capellanum ecclesie B. Petri; qui oratorium juxta ecclesiam habebat ubi, non cotidie propter inopiam loci sed aliquando, missam celebrabat. Et quoniam juris sui erat, petierunt ab eo ut locum illum ad hoc quod facere (volebant) non negaret : remuneratione videlicet tali ut, pro concessione loci illius, (illi) et successoribus suis duas partes decime de terra Gresserie, unde terciam jam habebat, et suum proprium jus rectum et altare S. Petri et oblationem semper habendam annueret. Evenus itaque presbiter dimisit eis omne illud jus quod ipse et antecessores sui in oratorio illo semper habuerant : sic etiam ut in ecclesia que ibi edificanda erat, in Assumptione S. Marie, tres misse celebrarentur priusquam in ecclesia B. Petri una cantaretur. Hoc itaque concessum atque firmatum est videntibus et audientibus duobus archidiaconis ecclesie B. Petri Nan-

netensis Alveo et Guillermo, Seiffredo presbitero, Guerrivo presbitero, ipso Judichello et Adenor, Nihello Leinfanto, Pagano, Guiheneo, Bertranno, Stephano.

Quo facto, concesserunt Judichellus et Adenor uxor sua illi (cum) oratorio et ecclesia que ibi fundata erat in honore S. Marie, ipsam mansuram terre ubi illud oratorium erat, liberam ab omni querela et consuetudine, exceptis XII denariis ad prandium Aschodii. Dederunt etiam medietatem totius burgi quod tunc ibi erat aut futurum erat, et pedagium et vendam totius massure et tocius burgi et omnem preposituram tam sanguinis quam forfaiture et omnem consuetudinem nundinarum : I denarium de vendente bovem et alterum de emente et obolum de vendente porcum et alium de emente, exceptis his que Machicollo mactantur; quoniam si vendatur vivum animal, postquam Machicollo ducetur, reddetur venda procuratori nundinarum ac si in ipsis nundinis venditum esset. Similiter et Juhellus dedit aliam medietatem burgi : ipsam in quo ecclesiam fundaverat, quam ipse de domno Judichello tenebat, liberam ab omni consuetudine sicuti domnus Judichellus dederat suam. Dedit etiam duas partes decime trium massurarum Garini et duas quarterias terre Guillermi liberas ab omnibus debitis et consuetudinibus, excepta quindena et VI denariis in prandio Aschodii. Dedit etiam terciam partem decime marici sui.

Item Paganus, filius Judichelli, dedit S. Marie pratum unum et carrariam et salinam Bertranni Pincebos et aliam salinam et unam borderiam terre liberam ab omnibus consuetudinibus, excepta quindena et VI denariis ad prandium Aschodii. Item Juhellus, filius Juhelli, dedit S. Marie totum terragium de terra Maritimi et complantationem vinearum et omnes consuetudines quas ibi habebat, ita liberas sicut ipse possidebat. Item Johannes Grossa Testa et filia sua Oregon dederunt S. Marie unam salinam et filia sua aliam, ita liberas sicuti eas possidebant. Item Ulgardis avia Odelini, uxor Gerberti, facta monacha, dedit S. Marie unam salinam pro anima sua.

Sed licet crescentibus habitatoribus burgi et ipso burgo in circuitu, predicte ecclesie quidam meliores mansionarii, consentientibus dominabus ipsius loci, suas ad horam non reddebant consuetudines. Volumus tamen omnibus manifestare quoniam nulla domus est in eo burgo que non debeat reddere suas consuetudines predicte ecclesie, si domine loci voluerint exigere, excepta domo Eveni capellani S.

Petri et successorum suorum sacerdotum quamdiu in eadem domo habitaverint. Si vero alium hospitem in domo sua posuerint, ipse omnibus modis consuetudinarius erit et, sicut omnes alii, suas reddet consuetudines : quoniam sicut est, ita dederunt et in perpetuum S. Marie concesserunt Judichellus et Nihellus et alii proceres terre hec omnia que in ista carta scripta sunt cum prefatis consuetudinibus, sicut ipsi eas pacifice et quiete possidebant; et sicut nos breviter tetigimus, in loco supradicto ecclesiam in honore genitricis Dei et virginis Marie edificaverunt et eam Andegavensi cenobio, B. Marie matris domini consecrato, in sempiternum possidere concesserunt, pro suis et parentum suorum animabus et ut in sinu Abrahe, Ysaac et Jacob collocari mereantur per eum qui... (1). *R.* 3, *C.* 20; *R.* 4, *C.* 83.

CDXXXI. CARTA NIHELLI, DE DECIMIS ET TERRAGIO TERRÆ SUÆ.

In nomine domini. Ego Nihellus illud memoriter retinens : *date et dabitur vobis,* pro remedio anime meæ meorumque parentum, ecclesie S. Marie Prugniacensi, predicte Andegavensi ecclesie subdite, concessi et dedi quicquid in terragio maserii Prugniaci, quod juxta mare est, habebatur. Dedi etiam prefate ecclesie decimam totam vinearum terre quam ibi habebam, et fructuum et segetum et omnium; videntibus et audientibus istis : Herveio sacerdote, Eveno sacerdote, Gaufrido Bocello, Odelino de Bonniaco, Pipino Glamarii filio, Garnerio Dorini filio et Eveno fratre ejus, Trehoret, Raginaldo furnerio et Christiano fratre ejus; sanctimonialibus istis : Adonoria, Mabilia, Amelina de Baugeio. *R.* 3, *C.* 21.

CDXXXII. DIMISSIO CALUMNIÆ NIHELLI JUVENIS.

Cum Adenor, filia Judiquelli Vetuli de Prugniaco, Deo videlicet dicata sanctimonialis, monasterium S. Marie Prugniacencis per multos annos, ut pater ejus et mater una cum Niello fratre suo illud ei concesserant, solutum et quietum in vita et post vitam ipsorum cum tenuisset, ceperunt quidam fratrum suorum subclamare et res eidem monasterio pertinentes, tanquam hereditarias, calumpniare : volentes scilicet ad secularem possessionem reducere quod pater et mater eorum, pro remedio animarum suarum, in elemosinam dederant

(1) Cœtera desiderantur.

ecclesie. Eorum itaque perversa suggestione, Niellus nepos eorum, filius supradicti Nielli, partem rerum illarum que predicto monasterio, ex patris ejus beneficio, attingebat super invasit; inde postea ad finem et concordiam cum amita sua Adenore pervenit. In qua confirmatum est ut pars illa que ex Niello patre Nielli descenderat, post decessum Adenoris, quieta in perpetuum et soluta ab omni querela remaneret S. Marie Andegavensi et dominabus ibidem permanentibus. Pars autem alia quam Judiquellus et uxor ejus dederant, licet aliquantulum distracta, in manu tamen Adenoris, sicut dudum fuerat, remansit; sed, ne pars beneficii ad quietationem perducta, posterorum dilaceratur errore, idoneum duximus utramque partem mandare memorie.

Sciant igitur certissime sequaces nostri quod Judiquellus pater Adenoris et Niellus pater Nielli habebant commune ipsum monasterium S. Marie et suburbium quod est circa idem monasterium et prefecturam ejusdem suburbii cum ceteris consuetudinibus, et redditus nundinarum et pedagium: que omnia libera Adenori, sicuti ea ipsi habebant, uterque pariter cum predicto monasterio concessit. Ex proprietate vero sua, dedit Judiquellus filie sue mansuram terre in qua ipsum monasterium situm est, bidenno et omni querela liberam, et quartarium terre Huberti Rufi de Avareio liberum sicuti cetera, excepto septimo, et medietatem districti prepositalis. Similiter autem et Niellus dedit, ex proprietate sua, sorori sue duas partes decime trium mansurarum Garini de Gresseria, et unam bordariam terre Guillermi generi Aremberti liberam omnibus debitis excepta decima que S. Petro tota concessa est : ut cetera que predicta sunt, consuetudinibus omnibus S. Petro pertinentibus, soluta et quieta permanerent. Dedit iterum idem Niellus sorori sue, ad honorem S. Marie, medietatem unius saline liberam et totam partem suam decime maritimi et piscium et volucrum maris, quam etiam cum Judiquello pariter habebat.

Hec itaque, collata in elemosinam predictorum virorum, cum Adenor diutius habuisset et perversitate fratrum nonnullas inde molestias passa fuisset, tandem in predicta concordia cum Niello nepote suo partem illam que ex parte illius fuerat, ut predictum est, adquietavit. Nec tamen id gratis aut manu vacua effecit : dans ei scilicet XXXV libras denariorum et unum caballum et cifum argenteum, et II uncias auri uxori sue Petronille; paciscens etiam se effecturam ut

mater ejusdem Nielli in monasterio S. Marie Andegavensis fieret sanctimonialis. Hec autem concordia firmata est in ipso monasterio S. Marie Prugniacensis, ubi idem Niellus posuit super altare, signum concessionis sue, cultellum qui fuerat Hervei presbiteri ipsius monasterii; presente ipso Herveo et eadem Adenore cum nepti sua altera Adenore, filia Giraldi de S. Philiberto, que ipsum cultellum accepit ab altari ad opus S. Marie Andegavensis cujus et ipsa erat sanctimonialis. Interfuerunt etiam huic cause : Goffridus Mande Guerra et Judiquellus Aufredi filius, qui etiam illa priora dona viderat que Judiquellus Vetulus et Niellus pater Nielli fecerant. Interfuit iterum huic cause Rabellus Perenei filius, Odelinus de Bugno, Albuinus et Pipinus filii Clamaochi, David filius Barbotini, Ivanus presbiter, Jarnaguenus filius Gosleni de Frusceio, Simon filius Bernonis et Pohardus et Johannes frater ejus, Aufredus vicecomes et Jarnaguenus frater ejus, Goffredus filius Judiquelli, Páganus famulus dominarum qui dictus est Peceola, Sarracenus satelles, Thenguidus et Hato filii Ivani presbiteri, Benedictus Calidus Morsellus, Ivanus Dorini filius, Ivanus filius Uncbaldi et Firmatus frater ejus, Christianus filius Furnarie, Haimericus Bucherellus, Johannes Tangens Fastigium, Garinus filius Pincebochi. Fuerunt item cum Niello : Paganus filius Rodaldi, Galterius filius Berenguarii, Rodaldus filius Choalloni, Giraldus Malus Parvulus de Castello quod dicitur Tollens Viam. *R.* 3, *C.* 58.

CDXXXIII. PRÆCEPTUM ALEXANDRI PAPÆ, DE PRUGNIACO MONACHIS LUCIONENSIBUS RESTITUENDO.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatisse et monialibus S. Marie Andegavensis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii nostri abbas et monachi Lucionenses, transmissa nobis conquestione, monstrarunt quod apud Prugniacum prioratum detinetis quem ad se asserunt pertinere. Unde, quoniam non decet religionem vestram vobis quod juris vestri non est illicite usurpare, universitati vestre, per apostolica scripta precipiendo, mandamus quatinus predicto abbati et fratribus prescriptum prioratum, occasione et dilatione postposita, restituatis pacifice possidendum; vel in presentia venerabilium fratrum nostrorum Pictavensis et Nannetensis episcoporum, vel alterius eorum si uterque presens non fuerit, plenam exinde justiciam exibeatis. Nos enim eis-

dem episcopis dedimus in mandatis ut, si neutri horum efficere volueritis, alteram partem in possessionem prelibati prioratus, appellatione remota, inducant. Datum Tusculani, XI° kalendas Maii. *R*. 6, *C*. 55.

CDXXXIV. CARTA GUEFFERI, DE JURE MONIALIUM CONTRA MONACHOS LUCIONENSES.

Quia plerumque accidit quod plurima antecessorum statuta seu diffinitiones, innitente quorumdam industria et pravitate, impediri ac destrui (1), ego Guefferus, Judicaelis Vicarii filius, dignum duxi scripto memorie commendare quomodo ecclesia apud Prugniacum sita antiquitus fuit diruta, postea vero reperta et restaurata, sed et sanctimonialibus ipsam possidentibus attributa; necnon etiam quod egimus adversum Lucionenses monachos illam injuste calumpniantes. Notum itaque sit nostris contemporaneis pariterque futuris supramemoratam ecclesiam, ut indigene commemorabant, in honore sancte Dei genitricis antiquitus constructam, gentili impulsione destructam; sed nostro tempore a parentibus meis, videlicet Judicaeli vicario et Adenora uxore sua, restitutam, et cum quadam filia sua nomine Adenora, quam sanctimonialem devoverant S. Marie Andegavensi, cum omnibus sibi attributis, concessam. Porro hanc ecclesiam (S. Maria) Andegavensis nullo calumpniante, concedente Quiriaco qui tunc temporis Nannetice ecclesie presidebat episcopus, diutissime optinuit: quousque quadam vice cum Benedictus, Nannetensis episcopus, ad quoddam concilium Sanctonas celebrandum proficiscens, cum supradictis monachis hospitatus fuerit, monachi huic ecclesie primum imposuerunt calumpniam. Unde sanctimonialibus in judicium vocatis, cum episcopus a concilio redierit, ego sub cujus tutela et defensione parentes mei supradictam ecclesiam dimiserant, et ipse sanctimoniales die statuto et loco comparuimus. Licet vero hujus calumpnie judicium nullatenus declinaverimus immo quam plurimis Nannetensis ecclesie sinodis et conventibus obtulerimus, monachis quidem insistentibus, episcopus hanc diffiniendi causam terminum utrique parti denuo posuit. At episcopus, considerans se cum suis tantum clericis tante cause juditium non posse sustinere, decrevit quod utrosque Turonim conduceret ibique, judicio archiepiscopi et

(1) Melius : *impediuntur ac destruuntur.*

abbatum ceterarumque personarum quos inveniret, predicte querele finem imponeret. Quod itaque episcopus decrevit monachis, et viva voce et litteris, innotuit. Quo audito, abbas Lucionensis et monachi se Turonim non digressuros, et viva voce et litteris, remandaverunt. Ego vero et sanctimoniales constitutum ab episcopo locum et terminum, licet nobis multum grave fuisset, suscepimus. Si igitur sopiendam monachorum, ut moriar expectantium, querelam reserpere contigerit, omnibus qui de meo genere supererunt et sanctimonialibus, presenti litterarum indicio, ut supradictum est perhibeo fuisse et quacumque probatione laïcalis aut ecclesiastica decreverit justicia precipio affirmare; sanctimonialesque crebro dictam ecclesiam per triginta annos aut eo amplius absque calumpnia optinuisse. Insuper quod monachi proferunt sue querele testimonium, duos scilicet ex ipsis, nomine Raginaldum et Gillebertum, dono parentum meorum in sepedicta ecclesia fuisse, summum esse (falsum) testificor. *R.* 4, *C.* 84.

CDXXXV. JUDICIUM LEGATI ET EPISCOPORUM, DE SUPRADICTA CALUMNIA.

Precepto domni Richardi, Albani pontificis atque Romane ecclesie legati, venerunt in curiam S. Petri Nannetice sedis domnus Raginaldus abbas Lucionensis et Theburgis abbatissa S. Marie Caritatis Andegavensis cenobii. Residentibus itaque judicibus, abbas Lucionensis hoc modo conquestus est : « de Prugniacensi ecclesia, quam antecessores nostri habuerunt et investiti tenuerunt et absque canonico expoliati sunt judicio, canonicum postulamus judicium. » Abbatissa vero his ad hec respondit : « De investitura vestra et de illa expoliatione quam dicitis, quod aliquando facta sit nescimus; sed hoc scimus quoniam illam ecclesiam ab episcopis hujus sedis habemus, et elemosinas quas optimates illius terre nobis dederunt possidemus et huic ecclesie per singulos annos censum, unum videlicet aureum bisancium, reddimus. Et ex his privilegia nostra habemus et sic, per XXX annos et eo amplius, absque legitima reclamatione, quieta possessione tenuimus et tenemus. » Inquisitus autem abbas Lucionensis a quibus personis quibusque temporibus et ante quot annos expoliatus fuisset, cum nec tempus investiture nec expoliationis nec personas nominare sciret, factum est judicium et, coram omnibus qui aderant, promulgatum ex sententia Gelasii pape dicentis : « illud etiam annecti placuit si, quod absit, facultates ecclesie necnon et

dioceses ab aliis quibusque possiderentur, jure sibi vindicent perpetuo quod tricennalis lex conclusit : quoniam ultra XXX annos nulli licet appellare pro eo quod legum tempus excludit. » Cui etiam auctoritati cum reluctari presumerent et eas nequaquam per XXX annos quieta possessione, absque legitima relamatione, tenuisse assiduis clamoribus iterarent, nec tamen alicujus legitime reclamationis tempus vel locum vel personas possent ostendere; ad ultimum diffinitum est ut abbatissa tricennalem possessionem, sub tribus legitimis testibus, comprobaret. Surrexerunt ergo tres legitimi testes, nobiles viri et honeste persone, quorum hec sunt nomina : Laibodus de S. Philiberto et Rodaldus frater ejus et Raginaldus Agniculus et alii quam plures illius terre obtimates, parati tricennalem quietam possessionem sanctimonialium canonice comprobare. Data autem est hec sententia XV° Kalendas Martii, in urbe Nannetica, in capitulo S. Petri; Philippo Francorum rege et Alano Britannorum comite, II^a feria Septuagesimalis ebdomade, presentibus : Marbodo Redonensium episcopo et Justino Rothonensis cenobii abbate et Gauterio abbate S. Sergii et Bricio abbate Vertavensi, et archidiaconis Nannetensibus Rivallono et Gaufrido, atque omni conventu canonicorum S. Petri; et procerum terre : Laibodo de S. Philiberto et Rodaldo fratre suo et Mauricio de Ancinisio et Friollo de Migrone et Giraldo de Begone et Rivallono de Hyhariaco et Herberto de Cantociaco et Rainaldo Agniculo et Gaufrido Bomario et Maino de Derval et Malo Vicino de Enort et Ascodio de S. Petro et Guidone de Daona et aliis plurimis, quos singulos enumerare perlongum est. *R.* 1, *C.* 96; *R.* 3, *C.* 10, 65; *R.* 5, *C.* 55; *R.* 6, *C.* 46.

CDXXXVI. PRÆCEPTUM PASCALIS PAPÆ, DE EODEM JUDICIO.

Pascalis episcopus, servus servorum Dei, dilecte filie Theburge abbatisse monasterii Andegavensis quod dicitur S. Marie de Caritate, salutem et apostolicam benedictionem. Cum[1], fratre nostro Bricio Nannetensi episcopo referente, didicimus et in scriptis vidimus judicium de Prugniacensi ecclesia, quod inter te et Lucionensem abbatem Rainaudum in Nannetensi sede a religiosis viris Marbodo Redonensi episcopo et abbatibus quibusdam seu clericis sapientibus factum est; ex cujus videlicet judicii executione strenuitas tua tricennalem ejusdem Prugniacensis ecclesie possessionem quietam, absque reclamatione legitima, vestro monasterio permansisse tribus legi-

timis testibus approbavit : nos ergo idem judicium legale atque canonicum perpendentes, supradictam Prugniacensem ecclesiam monasterio S. Marie Andegavensis, cui Deo auctore presides, quietam et liberam in perpetuum permanere decrevimus, et presentis pagine auctoritate firmamus; salva nimirum reverentia debita Nannetensi ecclesie, in cujus est parrochia constituta. Datum Laterani idibus Martii. *R*. 5, *C*. 64.

CDXXXVII. ITEM PRÆCEPTUM LUCII PAPÆ.

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatisse et monialibus S. Marie de Caritate apud Andegavim constitute, salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant, effectu prosequenti complere. Eapropter, dilecte in Christo filie, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, sententiam inter vos et Lucionensem abbatem, super ecclesia Prugniacensi, auctoritate pie recordationis Eugenii pape, pro monasterio vestro canonice promulgatam et tam ab eo quam a pie memorie Adriano papa litteris apostolicis roboratam, nos quoque vobis et monasterio vestro eandem sententiam, sicut rationabiliter lata est et in scripto autemptico delegatorum judicum continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli ejus se noverit incursurum. Datum Anagni, VI° idus Novembris. *R*. 5, *C*. 65; *R*. 6, *C*. 53.

CDXXXVIII. CARTA ROBERTI, NANNETENSIS EPISCOPI, DE PRUGNIACO A MONIALIBUS LIBERE POSSIDENDO.

Ego Robertus, Dei gratia Nannetensis episcopus, omnibus hoc scriptum legentibus notum fieri volo abbatiam B. Marie Andegavensis de Caritate quandam domum conventualem, apud Prugniacum sitam, sicut ex scriptis Quiriaci Nannetensis episcopi accepi, per centum annos et, annorum computatione considerata, amplius habuisse. Cognovi etiam ex litteris domini Bricii, viri utique felicis memorie, qui a prefato Quiriaco tercius extitit et a quo ego quartus

fui, quod cum, in ejus presentia, inter abbatem Lucionensem et abbatissam B. Marie super predicti monasterii possessione ventilata esset causa, abbatissam legitimis testibus approbasse se investituram illius monasterii, absque alicujus reclamatione, pacifice et quiete per triginta annos tenuisse; et ipsum, habito multorum sapientium et discretorum virorum consilio, eis sepefati monasterii possessionem adjudicasse. Quod, antiquitate temporum, itaque pro rato haberi debet et a viris prudentibus et discretis sancitum est, sigilli mei auctoritate confirmare dignum duxi. *R.* 5, *C.* 62; *R.* 6, *C.* 48.

CDXXXIX. CARTA BRICII EPISCOPI, DE ECCLESIA S. HYLARII DE CHALEON.

Ego Bricius, Nannetice sedis episcopus, ecclesiam S. Hylarii de Chaleon, quam dominus Benedictus predecessor noster sanctimonialibus S. Marie Andegavensis cenobii dederat, eisdem sanctimonialibus et dono et concedo et quiete possidere in perpetuum, salvo jure et justitia episcopalium reddituum. Et ut apud posteros concessionis nostre major habeatur certitudo, cartam istam, in qua donum nostrum continetur, sigillo auctoritatis nostre muniri precepimus. *R.* 6, *C.* 32.

CDXL. CARTA ROBERTI NANNETENSIS EPISCOPI, DE CONCORDIA INTER PRIORISSAM MONASTERIORUM ET PRESBITERUM DE CHALEON.

Ne quod nostri presentia definitum est concordia iterum repetatur ad litem, ego Robertus Dei gratia Nannetensis episcopus, omnibus hoc scriptum legentibus notum fieri volo quod cum quedam controversia esset inter Agnetem, Monasteriorum priorissam, et Emericum S. Hylarii presbiterum, super decimis de Landis, assensu nostro et abbatisse sue et capituli sui, ad hanc concordiam devenerunt quod Emericus in vita sua integre obtineat duas partes decime de Landis que priorisse erant, et etiam habeat collectorem suum qui decimam tocius parrochie colligat; qui, tacto sacrosancto evangelio, jurabit apud ecclesiam B. Marie Monasteriorum quod legitime custodiat, infra XII nummos, partem priorisse et presbiterii. Priorissa vero habebit ab Emerico singulis annis X solidos censuales die qua decima partita fuerit persolvendos. Si vero Emericus vel morte vel alio modo ecclesiam dimiserit, domus Monasteriorum duas partes decime, tam de Landis quam de alia parrochia, et etiam septimum ad colligen-

dum pacifice possidebit. Huic concordie interfuerunt : Gaufridus archidiaconus, Rolandus decanus, Bernardus de Pornit, Renaudus. Et ut in posterum maneat, auctoritate sigilli mei corroboravi. *R.* 6, *C.* 45.

CDXLI. PRÆCEPTUM LUCII II PAPÆ, DE CAUSA AGITATA INTER MONIALES ET MONACHOS DE NIOLIO TERMINANDA.

Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano Andegavensi et Unfredo Toarcensi archidiaconis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum inter dilectum filium nostrum abbatem de Niolio et dilectam in Christo filiam abbatissam S. Marie Andegavensis, coram venerabili fratre nostro Nannetensi episcopo, questio verteretur, et super quadam terra : eam abbas de donatione Radulfi, domini de Macheco, dicebat se annis pluribus possedisse, et per filium militis violenter, fratribus suis reclamantibus, spoliatum (fuisse); verum abbatissa e contrario proponebat quod, adepta possessione per Bernardum de Macheco, post plures annos quibus in pace tenuerat, sine judicio violenter ejecta fuerat per abbatem; et salva questione proprietatis judicio memorati episcopi, restitutas et post plures inducias, partibus assignatis, abbas ad venerabilem fratrem nostrum H..... Albanensem episcopum, apostolice sedis legatum, abbatissa vero ad nostram audientiam appellavit, et uterque nuncium, licet insufficientem, ad presentiam nostram transmisit. Unde cum apud nos causa finiri non posset, eam, ipsis nuntiis consentientibus, vestre commissimus experientie terminandum. Quocirca discretioni vestre, per apostolica scripta precipiendo, mandamus quatinus partes ante presentiam vestram convocetis et, rationibus hinc inde plenius auditis et cognitis, causam ipsam, appellatione remota, concordia vel judicio decidatis, non obstantibus litteris hinc inde sine communi assensu partium impetratis. Datum Velletri II nonas Junii. *R.* 6, *C.* 54.

CDXLII. CARTA ROBERTI EPISCOPI, DE SEDATIONE PRÆDICTÆ ALTERCATIONIS.

Quoniam temporum prolixitas hominumque labilis fragilitas omnium memorie novercari dinoscuntur, ego Robertus, Dei permissu Nannetensis ecclesie humilis minister, tam presentibus quam futuris per hanc paginam notum fieri volo quod super controversia que

vertebatur inter abbatem de Niolio et abbatissam B. Marie Andegavensis, de quadam terra que vocatur Landa Roinardi, post multas altercationes hinc inde factas, coram judicibus a domino papa delegatis Stephano Andegavensi (et) Unfredo Toarcensi archidiacono, tandem ex utriusque partis consensu, coram nobis et per nos, fuit illa sopita contemptio et hujus modi transactio facta. Domnus abbas Giraldus Niolensis illud juris quod petebat in terra illa in manu mea resignavit, et abbatisse Emma, per manum meam, dimisit. Ipse vero moniales priori de Quinte Lavant tria sextaria siliginis, in octabis Assumptionis B. Marie, in area ejusdem domus annuatim persolvent: sub hac videlicet conditione quod si post hunc terminum XXV dies ante solutionem effluxerint, ex tunc in dupplum predicta sextaria reddent. Si autem per totum annum a solutione cessaverint, predicta terra in jus cedet canonicorum et cum pertinentiis suis ad ecclesiam Niolensem pleno jure redibit. Huic compositioni interfuerunt : Alanus archidiaconus Nannetensis, Gaufridus thessaurarius Nannetensis, Droco precentor, Rolandus Radesii decanus, abbas Cellensis, abbas de Insula Chauvet, Giraldus de Sancto Popino, prior de Sancto Paulo, Vincentius de Quinte Lavant, Johannes de S. Cirico; Hersendis de Sableio, Emma moniales; priorissa de Prugneio, priorissa Nannetensis, Folcherius sacerdos earum, Rivallonus earum prepositus, Richardus de S. Lamberto, Borellus, Savari de Menteron et plures alii. Actum est hoc in claustro meo Nannetis, anno MCLXIII°. Ut autem hec compositio in perpetuum rata et illibata haberetur, ad peticionem utriusque partis, eam sigilli mei munimine confirmavi. *R.* 6, *C.* 33.

CDXLIII. CARTA RADULFI, DOMINI MACHICOLLI, DE VALLE STULTITIÆ BENEDICTI.

Quoniam quicquid dignum est memoria oportet ut scripto tradatur, ego Radulfus Machicolli dominus donum quod ecclesie S. Marie Monasteriorum feci patefacere volo sigilloque meo sigillare. Venit enim ad me Johanna priorissa, soror uxoris mee, dixitque michi : « domne, non habemus ubi etiam aliquid facere possimus. » Rogatu cujus et amicicia, in remissione peccatorum meorum, pratum quod Vallis de Stulticia Benedicti vocabatur huic predicte ecclesie donavi; et sit omnibus notum quod donum istud a molendinario monachorum usque ad Vallem Templariorum durat. Et quia nolo ut unquam

caritas mea deleatur, confirmo quod feci hoc donum videntibus : Johanne de Machicollo, qui tunc siniscallus erat, Mauricio Leium, Gauveim, Gaufrido Mengui, Æmerico Carate, Raginaudo Laideit, Radulfo Cortet fratreque suo et matre pluribusque aliis. *R.* 6, *C.* 44.

CDXLIV. CARTA BERNARDI DE MACHECOLLIO DE PRATO MARESCAUTIÆ ET TERRIS APUD PAUX ET MACHECOLLIUM.

Notum sit omnibus, tam futuris quam presentibus, quod ego Bernardus de Machecollio, divine pietatis intuitu et amore Gaufridi Mengui, concessi, ad faciendam filiam suam sanctimonialem, ecclesie Dei et S. Marie Andegavensis, pratum de Marescautia et unam sextariam terre in saltibus de Paux et aliam in territorio Machecolli, in terra videlicet Radulfi Corsodif, eo concedente et fratribus Gaufridi Mengui concedentibus, scilicet Guillermo et Guerrivo : salvo tamen meo et ipsius Radulfi jure in perpetuum habendum, videlicet duabus partibus decime, et terragio salvo in terra Radulfi, et in terra mea tota decima salva et terragio; quas sextarias supradictas Gaufridus Mengui sibi acquisierat. Ne quis concessionem meam infirmare valeat, litteris annotare feci et sigillo meo corroboravi. Hujus rei testes sunt : ego Bernardus Machecolli dominus, Rollandus Radiensis decanus, Radulfus de Corsot, Guillermus Mengui et frater ejus Guerriz, Raginaldus Serpant, Raginaldus Ledet, Guillermus Menart, Aalar Cornilles, Raginaldus Cornillel, Philippus abbas Calme, Agnes priorissa de Monasteriis Prugné et alii multi. Hec carta facta (est) et recitata ante me in capitulo S. Marie de Calma, secundo die Natalis Domini, anno ab incarnatione domini MCVIII° IIII° (1). *R.* 6, *C.* 25.

(1) Melius *MCLXXXIV*.

APPENDIX ROTULIS.

CDXLV. CARTA FULCONIS, ANDEGAVIÆ ET CENOMANNIÆ COMITIS, DE TREDECIM PAUPERIBUS SCHOLARIBUS IN MONASTERIO B. MARIÆ SUSTENTANDIS.

Christi fidelibus universis presentem cartulam inspecturis et audituris, Fulco Dei gratia Andegavie et Cenomannie comes, salutem in vero salutari. Universorum finem presidens, considerans et attendens, quia propriis meis meritis obtinere non possum, a pauperibus spiritu regnum celorum, quod ipsorum est, eosque in illa celesti curia habere desiderans advocatos, utpote cujus cives sunt, eorum precibus merear saltem opitulatione salvari. Et quia elemosina extinguit peccatum, ego ad usum et provisionem tredecim pauperum puerorum seu clericorum scolarium in monasterio B. Marie de Caritate Andegavis, de Andegavia tamen et Cenomania oriundorum et in legitimo matrimonio procreatorum, in scolis sustentandis, qui etiam in auxilium, consilium et deffensionem dicti monasterii se debeant exponere et jura ipsius monasterii studeant fideliter observare : videlicet duodecim eorumdem clericorum sexteria siliginis ad mensuram Andegavensem et undecim libras cum decem septem solidis Turonensibus annui et perpetui redditus depputo, ordino et assigno eisdem reddendos et solvendos ex nunc super prioratu de Sepia, a dicto monasterio dependenti, atque etiam super perceptionibus et rebus ipsius immobilibus universis, per manus cujuslibet priorisse que pro tempore fuerit, in futurum in quolibet festo Nativitatis B. Marie virginis : videlicet cuilibet ipsorum duodecim puerorum, quamdiu vixerint, quinque sexteria dicti siliginis et viginti solidos Turonenses tribus obolis minus, ac unum boessellum leguminum perpetuo de cetero annuatim. Tridecimo vero puero seu clerico, qui Pauper Hildegardis Comitisse dicetur, pro anime ejus remedio et salute, in predicto monasterio septem micas albas, ut uni dicti monasterii moniali, et septem marmorines depputo et assigno, per manus cujuslibet abbatisse que pro tempore fuerit, reddendas et solvendas dicto

pauperi clerico et suis successoribus qualibet ebdomade dominica in posterum omnibus temporibus duratura, et unum ferculum ut uni ipsius monasterii monialis, in qualibet receptione cujuslibet monialis, est fieri consuetum; atque triginta solidos Turonenses annui et perpetui redditus a dicta abbatissa, que pro tempore fuerit, reddendos in quolibet festo Nativitatis Dominice in posterum annuatim, cum aliis pictanciis inibi consuetis. Et sciendum est quod abbatissa dicti monasterii, que pro tempore fuerit, ad cujus tamen collationem, electionem et omnimodam dispositionem et ordinationem atque institutionem dictorum puerorum seu clericorum omnium predictorum dictarum elemosinarum omnino in solidum pertinebit et pertinet perpetuo pleno jure eadem elemosina seu earumdem aliqua, in beneficium seu loco beneficii eisdem vel alicui alii, cujuscumque conditionis atque status existant, conferre, tribuere, vel assignare preter quam dictis pueris sic electis, ut est dictum, non poterit quomodolibet nec debebit. Et ita tamen quod ipsi sic electi ut eorum alter aliquid beneficium ecclesiasticum curatum vel sine cura quantumcumque modicum, de quo sui status indigencie subveniri valeat vel sustentari, cum dicta elemosina obtinere non poterit; ymo statim cum illud assecutus fuerit vacet et vacabit elemosina, quoad ipsam abbatissa, que pro tempore fuerit, elemosinam hujus modi sic vacantem alii pauperi clerico statim conferre poterit et debebit. Et si forte a quacumque ipsarum abbatissarum que pro tempore fuerint contrarium presumptum fuerit scienter vel ignoranter, volo et precipio non tenere, sed fore irritum et inane. In cujus rei testimonium presentem cartulam sigilli nostri fecimus munimine roborari, anno gratie MXLVI° (1). *Ex Regestro Primo Collationum, fol.* 112.

(1) Melius *MCXVI* vel *MCXXVI*.

CDXLVI. COMPOSITIO CUM CANONICIS S. PETRI ANDEGAVENSIS, DE CONSTRUCTIONE ECCLESIÆ S. JACOBI.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Rainaldus, Dei permissione Andegavensis episcopus, præsentibus et futuris in perpetuum. Officii nobis a Deo, super meritum nostrum, injuncti, ratio exigit ut unitatem pacis in subditos nostros conservare et discordantes aliquibus de causis in fraternam pacem revocare studeamus. Nostris siquidem temporibus, contigit gravissimam litem et contentionem exoriri inter canonicos S. Petri Andegavensis et sanctimoniales S. Mariæ Charitatis, hac de causa quod illæ sanctimoniales cœperant exstruere ecclesiam in honore S. Jacobi trans pontem Meduanæ, contra interdictum et prohibitionem ipsorum canonicorum, in quorum parochia abbatiam B. Mariæ, sicut et abbatiam S. Nicolai, constat esse fundatam; ob cujus etiam rei recognitionem jam dictæ sanctimoniales, in festivitate Assumptionis B. Mariæ, centum candelas et V solidos supradictis canonicis annuatim persolvebant. Nos vero inter utramque partem pacis bonum, lite ablata, reformare cupientes, hanc concordiam, Deo auxiliante et canonico communicato cum prudentibus viris consilio, inter eos composuimus : ut sanctimoniales, pro centum candelis et V solidis, IV libras denariorum in Nativitate B. Mariæ singulis annis canonicis sæpe nominatis persolvant. Hanc quoque dignitatem atque dominium canonici S. Petri in abbatia S. Mariæ, pro jure parochiali quod in ea habent, obtineant ut quotiescumque processio eorum, causa obsequii alicujus funeris, ad ecclesiam sanctimonialium convenerit, officium inibi exequiale plenarie, ut in sua ecclesia, super omnes alias processiones quæ affuerint celebrabit, excepta tantummodo B. Mauritii processione. Et in festivitate S. Petri, canonici ipsius de suis concanonicis aliquos ad abbatiam sanctimonialium destinabunt, qui de thesauro ecclesiæ, sicut de sua ecclesia, ornamenta sibi necessaria ad libitum suum accipient, peracta festivitate, integro numero ibidem restituenda. Per hanc itaque concordiam, hujusmodi dignitate a canonicis S. Petri in abbatia sanctimonialium retenta, concesserunt ipsis sanctimonialibus dictam S. Jacobi ecclesiam, quam cœperant ædificare.

Actum est hoc in ecclesia B. Petri, ubi nobiscum affuerunt : Guillelmus Musca, cardinalis archidiaconus, Guillelmus de Salmuro, archidiaconus, Stephanus de Continiaco, archidiaconus et præcentor, Gaufridus Babio, archischolasticus, Guibertus et Bernerius Xantonensis, canonici. Ex parte beatæ Mariæ : Teburgis abbatissa, et cum ea Hildeburgis, Mabilia, Emma grammatica, Amelina et Verzelina sanctimoniales. De laicis : Guido de Supra Pontem, Halenotus de Area, Marquerius Amauguini, Raaudus, Maino Bacheloti, Girardus Rufus et plures alii. Ex parte B. Petri : Guillelmus Xantonicus, decanus, Henricus de Daumeriaco, Odo de Cleris, magister Eudo, Michael [Carum] Tempus, Girardus filius Houdrici, Rainaldus Burgevini, canonici; Abbo [de] Monte Johannis, abbas ipsius ecclesiæ, Albertus de Meral, Azelinus frater ejus, Guillelmus Eschartel, Paganus Die, Babinus campsor, Salomon Carcafol et multi alii; anno ab incarnatione Domini MCXVIII°. — *Ex duobus transcriptis.*

CDXLVII. DE PLATEA IN CIMITERIO S. LAURENTII, CONCESSA WILLELMO CELERARIO.

Quoniam labiles et transitorias presencium et futurorum, ex rebus transactis, memorias æssæ perpendimus, placuit literis acnotare quicquid in longum vellemus reservare. Tam igitur presentibus quam futuris hoc scripto notificamus quod Emma, S. Marie Caritatis abbatissa, quamdam plateam, in cimiterio S. Laurentii, Willelmo celerario donavit, quam prius Philippus Chevenel possederat : ea tamen conditione ut æcclesiæ S. Mariæ annuatim XII denarios census persolveret. Ne autem aliqua predictæ æcclesiæ consurrexisset cum conventu contemtio, capitulum B. Marie iniit, et ab eodem capitulo diligenter impetivit ut domum in eadem platea factam, vendendo vel quolibet alio modo, in usus necessarios expendere liceret, vel post obitum suum uxori suæ vel heredi suo vel cuilibet legaret. Ut autem hoc firmius teneretur, predictæ ecclesiæ conventus, tam sigillo capituli quam sigillo Emme abbatissæ, confirmavit. Huic concessioni interfuerunt iste : Emma abbatissa, Matildis decana, Amelina sacristana, Albina cameraria, Agatha cæleraria, Legardis armeraria, domna Villana, Milesendis de Camilleio ; ex parte cele-

rarii isti : magister Guido de Orgeto, Talebot sacrista, Zacharias capellanus, Gauterius S. Lazari capellanus, Willelmus clericus, Fulcherius Sartriner, Johannes Saugis; Roberto de Vallibus existente dapifero B. Marie, qui etiam huic rei interfuit, et plures alii. — *Ex Originali.*

CDXLVIII. CARTULA SUPER PRATIS DE TIREMONTE.

Utile et necessarium judicatur litteris commendare quod perenni memoriæ dignum est affigere. Eapropter ego Emma, B. Mariæ Caritatis, in Andegavensi suburbio, humilis abbatissa, per presentis scripti noticiam cunctis lecturis vel audituris notum fieri dignum duxi me, cum assensu totius capituli nostri, dedisse et concessisse Letardo cambitori et hæredibus suis, ad faciendum quicquid voluerint, prata quæ sunt super Tiremontem : ita scilicet quod pro unoquoque arpento solvant annuatim IV denarios census. Ipse vero Letardus dedit nobis C solidos, quos expendimus in caritate bonæ memoriæ Hildeardis comitissæ, fundatricis nostræ. Ad hoc donum quod fecimus Letardo hi presentes fuerunt. De sanctimonialibus : Oicia sacrista, Milisendis, Corinthia, Amelina de Mauritania, Gusburgis, Quinio, Legiardis de Camilliaco. De clericis : magister Guido, Engenulfus, Gauterius de S. Lazaro, Talebotus capellanus noster, Sequardus sacrista et Liseius clericus ejus, Petrus clericus Letardi. De laïcis : Isembertus senescallus noster, Rainaldus Andegavinus villicus noster, Matheus Letardi, Gaufridus Letardi, Burrellus Meschinus, Odo Fergandi, Petrus Garini, Rainaldus de Bella Pola, Guillelmus Catus, Stephanus de Bello Loco. Actum est in capitulo B. Mariæ, in vigilia Annunciationis ipsius Dei genitricis, anno ab incarnatione Domini MCLXVI°. — *Ex originali.*

CDXLIX. NOTITIA DE ECCLESIA ENGELBAUDERIÆ.

Ne forte, quod absit, oblivio noxia, semper imminens, memoriæ nostræ aciem obtundat, quæ præsentes agitamus posteris nostris transmittere per apicum lineamenta satagamus.

Notum ergo sit omnibus quorum nosse intererit qualiter convenit inter nos, canonicos Sancti Mauricii, et sanctimoniales

Sanctæ Mariæ, de ecclesia de Engelbauderia quæ est in Metallica. Ecclesia siquidem illa erat juris nostri, quam cum cœteris possessionibus suis Raginaldus, venerabilis episcopus, ecclesiæ nostræ contulerat, sed a jure ecclesiæ nostræ jam longo tempore alienata erat.

Reclamantibus tamen et calumniantibus canonicis nostris, cœterum tamen hanc concordiam cum sanctimonialibus firmavimus quod, singulis annis, solvent nobis annuum censum in festo beati Mauricii, scilicet quinque solidos ; et sic ecclesiam illam quiete possidebunt. Actum Andegavis, in superiori camera episcopi, anno Domini M° C° IV°, indictione XIIª, epacta XXIIª, VII° idus decembris, in octavis sancti Andreæ : Philippo rege Francorum, Fulcone Juniore comite Andegavorum, Raginaldo episcopo Andegavæ sedis. Quod viderunt et audierunt isti præsentes : Raginaldus episcopus, Richardus decanus, Stephanus cantor, Guillelmus archidiaconus , Albericus Gedeon , Guillelmus Musca , Radulfus capellanus ; de parte sanctimonialium : Tetburgis abbatissa, Orieldis, Airuisia, Adelais de Camilliaco, Gauterius Cornutus, Giraldus presbiter de Ingelbauderia, Tetbertus, Rainaldus Fossardus. — *Ex transcripto.*

CDL. JUDICIUM DE CALUMNIA MOLENDINI BRISESARTE (1).

Erat Brisesarte sclusa, molinum, piscaria,
Que possederamus longa temporum per spacia,
Et in diebus Rigildis et Thetburgis postmodum,
Et perveniebat multum nobis in die commodum.
Dum Theburgis tamen nostri ferret gubernacula,
Surrexerunt sicophante, ponentes obstacula ;
Et quod nostrum tenebamus, bona quietudine,
Hoc maligno pretemptabant auferre molimine.
Cumque fecissent Lamberti filii calumpniam,
Qui ejusdem rei partem clamabant dimidiam
Ex materno sibi jure, constituto termino

(1) Vide supra, pag. 168, N° CCLXVII.

Affuimus hinc et illinc coram feui domino.
Is Joffredus vocabatur Haslet, cujus curia
Judicavit ut si nobis foret hec audatia
Ut possemus hec probare, per Dei judicia,
Nos per anni tenuisse dieique spacium,
In vita Lamberti, patris hoc calumpniantium,
Nec calumpniantis quicquam tenenti Plauxitium,
Domine vel servienti, nostrum foret proprium.
Quod concessimus, secundum dicta judicantium :
Nam Lamberti Gilduinus major natu filius,
In ancillas summi regis contumax et impius,
Nil pavescens ut incurrat iram sancte Virginis,
Dexteram Martini nostri sigillavit hominis;
Et tam diu fuit manus lineo sub carcere
Donec Gilduinus eam traxit, nolens parcere.
Inde ventum est ad aque ferventis examina,
Qua reorum occultata deteguntur crimina.
Hic Martinum Gilduino nostrum presentavimus,
Et reliquias ad sanctas hunc offerre fecimus;
Cumque properaret illi sacramentum reddere,
Quod in curia Joffredi jubebatur facere,
Sicuti fuit judicatum renuit accipere.
Unde grates Deo nostro cepimus exsolvere,
Atque gloriosam ejus matrem benedicere,
Que suis dignata fuit ancillis succurrere.
Legem tamen offerentes, nunquam nos removimus
Donec aquam calefactam expandi conspeximus.
Tunc Joffridus Haslet dixit, coram tota curia
Que collecta in eadem fuerat ecclesia :
« Quia iste non est ausus hanc legem recipere,
« Quam sententia nostrorum concordavit facere,
« Ex hoc patet quod ejusdem rei sit culpabilis,
« Et quod ad calumpniandum ultra non sit habilis ;
« Igitur hinc in futurum expugnata teneant
« Moniales, et eisdem clamatores careant. »
Horum placuit inscribere [clamatorum] nomina,
Quia eos nominare non est gravis sarcina :
Gilduinus major natu suusque fraterculus,

Et Mauritius post eos, vocatus Caudarius.
Nec tacebo qui fuerunt hujus cause judices,
Ut tu, lector, nescienti leviter notifices.
Affuit Hugo Guulfus, unus e judicibus,
Et Erneisus Buxellus, [advocatus] facundus,
Et Letbertus de Morenna cum Helia pariter,
Stephanus [quoque] David affuit similiter.
Abbatissa Caritatis, Thetburgis ex nomine,
Hanc portare faciebat legem, misso homine;
Et suarum monacharum stipata solamine,
Decertabat exorando pura natum Virgine.
Promptuariique custos affuit Eusebia,
Et Odelina de Valle, Guichensis Avenia.
Godehildis quoque nata Lusdi vicecomitis,
Camiliacensis Petri soror Adelaïdis,
Et Hersendis et Gosberta magistra Plaxicii,
Quas abbatissa conduxit ad legem judicii.
Convenerunt sacerdotes undique finitimi,
Qui tenentur in hac esse causa perlegitimi.
Sed in primis nominabo Joffredum de Ingria,
Quo decano illucescit illa tota patria,
Et post illum collocabo Josbertum presbiterum,
Et Rogerium capela in eadem alterum.
Jabardulii sacerdos hoc vidit Remigius,
Et Robertus de Morenna, domnus et Ernulius
Qui tunc erat Briesarte sacerdos egregius,
Danielque de Chirreio. Et ego Hilarius
Quidquid vidi, quod audivi, retinere studui
Et per scripta successuris commendare volui.
Properemus laïcorum nomina percurrere,
Ut ad finem hujus rei valeamus tendere.
Ergo Hugo nominandus est de Jabardulio,
Et Gauterius post illum de Ductu Salvagio,
Guido Glamahocus atque Rainaldus Buxulus,
. . . .
Et Burgundus de Selona, Hato de Salandria;
Atque plures in eadem commorantes patria :
Haimericus Charmallardus, Thetbertus prepositus,

Et Rainardus Fossardus, Engelbaudus Rusticus,
De Charleio Paganus, Martinus Bomarius,
Guillermus Rufus et Menna, noviter prepositus,
Gosfridus Osanne nepos et Andree filius,
Adelart de Brionello Rufusque Gauterius,
Almaguinus Mango necnon et Tebaudus Obolus,
Fromundus Burdinus atque tunc coqus Ernaudus.
Post hos nitet Adelardus, villicus Plauxicii,
Et Lambertus frater ejus, juvenes peroptimi,
Menardus, Lebertus Fullo Robertusque Burbulus,
Robertus Tres Valet atque Iseline Glaius,
Robertus sutor, Josbertus ex Vallino genitus,
Rainaldus Grosse natus, Landrici Ernulius.

CDLI. DONUM OLIVERII DE ANDIGNEIO, PRO SORORE SUA.

Oliverius de Andigneio dedit Deo et Beatæ Mariæ quæ de Caritate nuncupatur, ut ejus soror, monialis effecta, divino nuncuparetur obsequio, X solidos annuatim solvendos, quorum pars una est ad Petram Visam, alia ad Landam, tertia ad Montem Tricot. Et de illis X solidis debet Sanctus Sergius per annum II solidos et VIII denarios. — *Ex transcripto.*

CDLII. CONVENIENTIA INTER PRIORISSAM AVENARIARUM ET GARINUM CLERICUM, DE BONO CAMPO.

Pateat universis filiis sanctæ matris ecclesiæ quod ego Garinus clericus, de Bono Campo, do Deo, et S. Mariæ de Avenariis, et domui, omnia quæ habeo Bono Campo, et homines et census, in elemosina; excepto cellario et horto et mineta terræ, quæ tantummodo retinui quamdiu vixero, et post mortem [meam] domui Avenariarum remanebunt.

Pro hac autem elemosina quam fecit Garinus, Hersendis de Sablolio, tunc priorissa, concessit et instituit annuatim XX solidos Cenomanenses reddi et dari Garino et Petro filio suo, X solidos in Natali Domini et X solidos in Nativitate sancti Johannis. Hi XX solidi annuatim reddentur Garino, vel filio ejus, donec

prima præbenda [vel] prima elemosina Elemosinæ Comitissæ Hodeardis vacaverit. Vacante autem illa elemosina, dabitur Garino prædicto, et Petro filio suo, si vixerit post mortem patris. Hæc donatio facta fuit in capitulo B. Mariæ, et sigillo confirmata; videntibus istis : Ama abbatissa, Richardo siniscallo, Herberto canonico, Taleboto sacrista, Hamelina sacristana, Aenor decana, Mathea armariola, Ada cameraria et pluribus aliis. — *Ex transcripto.*

CDLIII. CARTA CONANI, BRITANNIÆ COMITIS, DE RESTITUTIONE PRESBITERATUS ECCLESIÆ S. CYRICI NANNETENSIS (1).

Presentium posterorumque memoriæ tradimus retinendum quod ego Conanus, Alani comitis filius, Britanniæ comes, reddidi Ildeburgi venerabili abbatissæ S. Mariæ Caritatis Andecavensis monasterii, presbitæratum de ecclesia sanctorum Cyrici et Julitæ, matris ejus, quam comes Budicus et Adoïs comitissa, uxor ejus, a fundamentis in propria sua terra ædificaverant et de propriis suis redditibus locupletaverant eamque prefato monasterio, tam ipsi quam filius eorum comes Mathias, dederant. Sed quia, crescente iniquitate, frigescit multorum caritas, plurimi antecessorum meorum prefatum presbiteratum perniliose administraverant, dantes illum in hominagio uxoratis sacerdotibus, et filiis eorum, jure hereditario. Mortuo vero Leone quodam, qui hujus sacerdotalis successionis heres extitit, eamque terrore mortis territus deseruit, ego, previdens periculum animæ meæ, reddidi prefatis sanctimonialibus prefatum presbiteratum, recognoscens earum antiquam justiciam, pro remedio animæ patris mei Alani comitis et matris meæ Hermengardis aliorumque antecessorum successorumque meorum : ut habeant liberam potestatem eligendi sacerdotem et episcopo presentandi. Quod si quis, diabolico instinctu, hoc violare presumpserit, illum de libro vitæ Deus deleat conatusque illius oblineat nullum effectum.

Actum Nannetis, idus Martii, anno ab incarnatione Domini MCXXVIII°, Ludovico Francorum rege, Conano, Alani comitis

(1) Vide supra, pag. 259, N° CDXVIII.

filio, Nannetensium comite, Britio eorumdem præsule; videntibus istis : Ildeberto Turonensium archiepiscopo, Ulgerio Andecavensium episcopo, Hamelino Redonensium episcopo, Galone Leonensium episcopo, Guidone Cenomannensium episcopo, Conano comite qui hanc concessionem fecit, Hermengardis comitissa, mater sua, quæ concessit. De clericis : Auveredus Turonensis archidiaconus vidit, Goffridus de Ingreia S. Mauricii Andegavensis decanus, Guibertus ejusdem S. Mauricii canonicus, Petrus Abælardus S. Gildasii abbas, Radulfus sacrites S. Mariæ Caritatis.

+ }
+ } *(signa comitis et comitissæ.)*

+ signum et sigillum Hildeberti archiepiscopi. — *Ex originali.*

INDEX CAPITULORUM

TABLE ANALYTIQUE

DU

CARTULAIRE

Chaque article est précédé de sa date, presque toujours approximative.

Le N° en chiffres arabes placé à la fin de chacun d'eux, correspond au N° en chiffres romains qui se trouve en tête de chaque pièce du Cartulaire.

Plusieurs subdivisions ou chapitres de celui-ci n'ayant pas leurs pièces imprimées dans l'ordre chronologique, il a été possible, grâce à l'examen minutieux des chartes, d'améliorer, par quelques transpositions, leur classement dans la présente table, comme aussi d'y indiquer la place de plusieurs pièces faisant partie d'autres chapitres.

Pour ceux dont l'intitulé est un nom de lieu, l'ordre alphabétique n'existe pas dans cette table comme dans le Cartulaire, à cause du peu de concordance qu'il y a entre le nom latin et le nom français, par exemple : Seiches *au lieu de* Cepia, Epinard *au lieu de* Spinacium, Bonchamp *au lieu de* Malus Campus.

CHARTES DES COMTES D'ANJOU.

(*Pages* 1 *à* 12, *n*os 1 *à* 9).

14 juillet 1028. — Charte de Foulque Nerra, comte d'Anjou, de sa femme Hildegarde et de leur fils Geoffroi Martel, relatant la reconstruction de la basilique de Sainte-Marie de la Charité; au-dessus de la crypte où avait eu lieu le miracle de l'Eulogie (pain bénit) changée en serpent, et la consécration par l'évêque Hubert, de ladite église et de son monastère, dans lequel viennent d'être établies des religieuses.

Après avoir réglé la célébration du culte divin et fixé les limites de la paroisse, le comte et la comtesse donnent à la nouvelle abbaye deux grands domaines : l'un situé près du Lion-d'Angers, sur l'Oudon, nommé l'Alleu-Quentin et *Similiacum*, l'autre à Chauvon, sur la Mayenne; plus à Fosses, au bord de la Loire, un excellent vivier, trente arpents de prés et un serf; à Angers, le droit de pêche au-dessous du monastère, plusieurs serfs et serves, pour les divers besoins de l'abbaye, etc., etc.

Par charte spéciale, la comtesse ajoute à ces dons plusieurs objets acquis par elle : un moulin à Morannes, un demi à Brissarthe, un autre demi à Charray-sur-Mayenne; des terres à Angers, Chanzé, Précigné et Travaillé; des prés en Alloyau et des dîmes en divers lieux.

Hildegarde énumère aussi des donations faites, tant par Gui le Trésorier, de terres à Forges, et par le Sgr Rainier, de terres et serfs à *Trodreia*, que par d'autres personnes, d'un moulin, de vignes, de terres et de cens, dont la situation n'est pas indiquée. N° 1.

Vers 1028. — Charte du même comte, contenant donation aux religieuses établies par sa femme dans le monastère du R. (1), outre ce qui est énuméré dans la précédente charte, de terres à l'Aunay et à Montreuil. N° 2.

Vers 1028. — Charte de la comtesse Hildegarde, reproduisant

(1) Pour éviter les répétitions, le nom du *Ronceray* ne sera désigné dans cette table que par la lettre R.

celle de la fin du nº 1, sauf addition de deux lignes en tête, et suppression de quinze lignes à la fin. Nº 3.

Vers 1028. — Charte des mêmes comte et comtesse, ainsi que de leur fils Geoffroi Martel, contenant donation au R. de toutes les pêcheries et de tous les moulins qu'on pourra établir dans les arches du pont de pierre qu'ils viennent de construire sur la Maine, à Angers, sauf l'arche dont ils ont disposé en faveur des chanoines de Saint-Martin. Un des moulins est spéciament affecté à la mouture du grain avec lequel sera fait le pain des aumônes, et un autre à l'usage des chanoines célébrant le culte divin dans l'abbaye et dans sa paroisse. Nº 4.

Fin de juin 1040. — Charte de Geoffroi Martel confirmant, par l'exhortation de sa mère et de la comtesse Agnès, sa femme, tous les dons que son père, mort depuis peu (le 21 juin) a faits au R. : notamment plusieurs franchises, droits et coutumes dans la paroisse de l'abbaye, et à la Cour de Pierre la juridiction des cas dont l'amende est inférieure à 3 livres. Nº 5.

1045. — Charte du même comte, contenant confirmation de tous les biens, revenus et droits donnés par son père et sa mère aux religieuses qu'ils ont établies dans le monastère de Sainte-Marie-de-la-Charité, situé au bord de la Maine, en face de la ville d'Angers. Après les leur avoir garantis à perpétuité, le comte en annonce l'énumération, que le compilateur du cartulaire a omise. Nº 6.

De 1028 à 1062 environ. — Foulque Nerra et la comtesse Hildegarde avaient donné aux religieuses le droit de prendre, dans le bois de Chacé, six charges d'âne par jour, pour leur chauffage; et Geoffroi Martel y avait ajouté le droit de pasnage pour 200 porcs dans cinq de ses forêts. Geoffroi le Barbu, neveu et successeur de celui-ci, confirme les deux donations. Nº 7.

Vers 1062. — Charte de ce dernier comte, par laquelle il restitue aux religieuses le grand clos de vignes de son aïeule Hildegarde. L'ayant acquis de ses deniers, elle l'avait donné en pleine propriété au R., puis, lors de son départ pour Jérusalem, où elle mourut (le 1er avril 1046), elle pria l'abbesse Bertrade d'en accorder l'usufruit à sa fille Ermengarde, mère dudit Geoffroi le Barbu, laquelle était déjà veuve. Celle-ci ayant, par

désobéissance, offensé son frère Geoffroi Martel, il lui enlève le susdit clos, et, malgré les réclamations de l'abbaye, il le donne successivement à celles qui furent plutôt ses concubines que ses femmes (Agnès, Grécie, Adèle de Blois, Grécie derechef et Adèle la Teutonique) (1). Ayant racheté de cette dernière (2), outre le château de Saumur et autres objets, le susdit clos, Geoffroi le restitue au R. pour le salut de son âme et de celle de ses parents, surtout pour l'absolution des fautes de sa mère et de l'injustice de son oncle : à condition que les vignes seront très-bien cultivées et que leur produit sera consommé uniquement par les religieuses. N° 8.

1129. — *Charte du comte Foulque le Roux, depuis roi de Jérusalem.* Voir n° 445.

Vers 1140. — *Lettre des prieur et chanoines du Temple de Jérusalem à Geoffroi-le-Bel, comte d'Anjou.* Voir n° 388.

13 avril 1159. — Charte de Henri II, roi d'Angleterre, duc de Normandie et d'Aquitaine, comte d'Anjou, contenant reconnaissance par Hubert de Champagne (3), qu'il n'a aucun droit sur les fours et moulins des religieuses (à Seiches), sur leurs ventes et dîmes, ni sur ce qu'elles font transporter par terre ou par eau. N° 9.

PRIVILÉGES DES PAPES.

Pages 12 *à* 16; *n°s* 10 - 14.

7 septembre 1119. — Récit détaillé de la consécration, par le pape Calixte II, du grand autel de l'église du R., par suite de l'allongement de la nef; et indulgences accordées aux fidèles qui assisteront à l'anniversaire de cette dédicace. Tiburge était alors abbesse du R., et Rainaud III (de Martigné-Briant), évêque d'Angers. N° 10.

(1) Ces noms sont donnés par le n° 64, lequel, sous forme de récit ou notice, reproduit, avec d'intéressants détails, la charte de Geoffroi-le-Barbu.

(2) Il résulte d'une charte du Livre Noir de Saint-Florent, près Saumur, fol. 97 et 98, que ce rachat eut lieu en 1062.

(3) Voir n° 132.

24 septembre 1144. — Bulle de Lucius II, adressée à l'archevêque de Tours ainsi qu'aux évêques d'Angers, du Mans et de Nantes, par laquelle, afin de mettre un terme aux spoliations dont souffrent les religieuses, il les prend sous la protection du Saint-Siége, recommandant aux susdits prélats de leur donner aide et conseil dès qu'ils en seront requis. N° 11.

22 juillet 1147. — Bulle d'Eugène III, adressée aux susdits prélats, dans le même but que la précédente. N° 12.

22 juillet 1147. — Bulle du même pape, recommandant aux susdits prélats de protéger les religieuses du R. contre les injures qu'elles éprouvent de la part : 1° des moines d'Evron, pour la dîme de Poligné ; 2° des moines de Saint-Nicolas d'Angers, pour la p^sse de Saint-Jacques dudit lieu; 3° du curé de Contigné, pour la dîme de Gâtines ; 4° de Nivard de Rochefort, pour la forêt du Lattay ; 5° de D..., chev^r, pour incendie de maisons; et 6° de G. Dumet, pour sa prétention de bâtir une seconde église à Avenières. N° 13.

1er février 1157. — Bulle d'Adrien IV, adressée aux susdits archevêque et évêques, et reproduisant les dispositions contenues dans la première bulle d'Eugène III. N° 14.

ÉLECTIONS D'ABBESSES.

Pages 16-19; *n^os* 15-17.

1028. — Charte de vingt-six religieuses du couvent de Sainte-Marie d'Angers, notifiant que, par la volonté du comte Foulque Nerra, de sa femme et de son fils, elles ont unanimement choisi pour abbesse Leoburge, qui est douée de toutes les vertus nécessaires pour ces fonctions. N° 15.

23 juin 1073. — Charte de trente-trois religieuses du R., contenant qu'après avoir élu Richilde pour leur abbesse, avec l'approbation de comte Foulque Réchin, elles l'ont fait consacrer par Eusèbe, évêque d'Angers. N° 16.

Seconde moitié de 1122? — Charte des religieuses du même monastère, par laquelle, avec le gré du comte Foulque le Roux et le concours des abbés de Saint-Aubin, Saint-Nicolas et Saint-

Serge d'Angers, ainsi que du remplaçant de l'archidiacre d'Outre-Maine, elles ont élu pour abbesse Mabilie, vierge consacrée à Dieu dès son enfance, née d'une famille illustre et ornée de toutes les vertus désirables, en remplacement de Tiburge, démissionnaire à cause de maladie et de vieillesse. N° 17.

AUMONERIE (1).

Pages 19-22; *n*os 18 *à* 24.

Vers 1028. — Foulque Nerra et Hildegarde donnent au R. en pleine propriété et pour la nourriture des pauvres, des jardins situés au bord de la Maine, près de Saint-Nicolas. N° 18.

Vers 1030. — Donation par les même comte et comtesse à l'aumônerie du R., de toutes coutumes exigibles sur ses biens situés aux environs d'Angers, sauf des 3 s. de cens qu'elle doit à cause de sa terre de Forges. N° 19.

Avant 1110. — Cession d'un terrain, par l'aumônière Humberge, à la confrérie de Saint-Benoit, pour y construire une aumônerie, à condition que, celle-ci cessant d'exister, le terrain, avec ses constructions, appartiendra derechef à l'aumônerie fondée par la comtesse Hildegarde. N° 20.

Avant 1110. — Acquisition par ladite aumônière de vingt-trois arpents sept quartiers de terre et de cinq arpents de pré, à treize vendeurs, avec indication des prix. Pour la confirmation de quatre arpents de terre achetés à leur oncle, Mathieu eut une chemise, et Hugolin une paire de braies. N° 21.

Vers 1115. — Tiburge étant abbesse, l'aumônière Anne donne à planter en vignes des terres de son office, qui coûtaient beaucoup à cultiver et produisaient peu. Vingt-et-un individus prirent d'elle vingt-sept arpents et trois quartiers, à raison de trois setiers de seigle de vinage et de 4 d. de cens par arpent; plus la redevance ordinaire, s'ils se servent du pressoir des reli-

(1) Voir à *Forges*, qui dépendait de l'Aumônerie du R.; et aussi à Seiches.

Pour l'office de la Cellérerie, voir à *Fosses*.

gieuses. Les preneurs ne pourront vendre ces vignes qu'à l'abbaye. N° 22.

Vers 1115. — *Acensement par la susdite aumônière de terrains et maisons.* Voir n° 86.

Vers 1115. — Sous la même abbesse, Geoffroi le Beau et sa femme étant, à cause de leur maison, en procès avec les religieuses, celles-ci leur en accordent l'usufruit : à condition qu'après leur mort, elle appartiendra à l'aumônerie avec une vigne et une terre près de Châtenay. N° 23.

Après 1120. — Milesende de Saumur, aumônière, avait reçu la terre aux Veneurs en gage, pour la somme de 40 s. Peu de temps après, en la chambre de l'abbesse Tiburge, elle lui est vendue par l'engagiste, Dreux le Veneur, à raison de 70 s. Le suzerain Jean de Blazon et son fils Thibaut la lui confirment, moyennant 5 s., payés à celui-ci et à son père; plus un cens annuel de 18 deniers. N° 24.

SACRISTIE.

Pages 22-27; *n°s* 25-31.

Vers 1100. — Entr'autres coutumes, la sacristie doit annuellement 47 sous 6 deniers, dont 5 sous à l'abbesse pour acheter du poivre. N° 25.

Vers 1110. — Au lit de mort, Claire, sœur de l'abbesse Tiburge, ordonne à son mari, Thibaud fils d'Eude, de donner au R., pour l'autel de Sainte-Marie, trois arpents et demi de pré, dont le revenu ne sera jamais détourné de cette destination. Claire fut inhumée sous le portique du cloître. N° 26.

23 décembre 1129. — Geoffroi des Cartes vend au secrétain Raoul trois quartiers de vignes, chargés de 6 deniers de cens, et il lui engage un autre quartier. Les prix de vente et de confirmation se montent à 7 livres 7 sous 6 deniers. N° 27.

Avant 1140. — Geoffroi du Louet et Sourice, sa femme, donnent au R. un arpent de vigne, pour l'entretien d'une lampe devant l'autel de Sainte-Marie de la Charité. Eux morts, Ermengarde, leur fille, et son mari Payen, contestent ce legs. Soumis

à l'arbitrage de l'évêque Ulger, il est maintenu et assigné sur une maison que possédait, sur le pont d'Angers, Payen Néron, fils d'Ermengarde. N° 28.

1145. — L'abbesse Ameline et le couvent cèdent à la sacristie un arpent de vignes, pour lequel il leur est donné dix-neuf muids de vin rouge. Peu de temps après, les religieuses malades s'étant plaintes de ne pas avoir de luminaire pendant la nuit, le sacriste cède cette vigne au couvent, afin d'avoir de l'huile pour lesdites religieuses. N° 29.

1160. — Un procès s'élève entre deux chapelains et la sacristie du R. au sujet des offrandes faites aux messes des morts et à Pâques. Porté en la cour de Henri II, roi d'Angleterre et comte d'Anjou, duquel l'abbaye dépendait, ce prince mande les parties devant lui, à Chinon, et il soumet l'affaire au jugement de son sénéchal, que plusieurs prélats et barons assistent. Les offrandes faites personnellement aux chapelains leur sont maintenues, et toutes les autres sont adjugées à l'abbaye, c'est-à-dire à la sacristie. Il est en outre ordonné qu'après la mort des deux chapelains, Engenold et Zacharie, et celle des quatre chanoines du R., les religieuses auront le droit de régler le service de leur église, d'en choisir le personnel et d'en fixer les émoluments, pourvu que ce service soit honorable et profitable. N° 31.

Vers 1180. — Charte d'Emma, abbesse, et des religieuses du R., concernant le luminaire de l'église de la Trinité, à Angers. La trouvant mal éclairée, Gille de Frammand obtient un cierge d'une demi livre, qui sera déposé sur le rateau de l'autel, non sur l'autel lui-même ; en outre, pendant le Carême et aux fêtes de Neuf-Leçons, deux cierges de même poids seront allumés sur ledit râteau. Pour payer cette dépense, Gille, de concert avec ses enfants, donne les ventes à percevoir dans son fief des Bordeaux, avec 17 sous 6 deniers de cens. Les religieuses conviennent aussi avec le sacriste Talbot que le corps du Seigneur sera accompagné d'un cierge, long d'un pied et demi, quand on le portera aux malades. N° 30.

SERFS ET COLLIBERTS.

Pages 27-34, nos 32 à 41.

8 décembre 1040-1045. — Charte de la comtesse Hildegarde, contenant qu'elle a acquis de Marran, surnommé *Novias Transis*, à raison d'un cheval estimé 100 sous, une serve ayant un fils et deux filles. Elle les possédera sa vie durant, et après sa mort ils deviendront tous la propriété de l'abbaye. N° 32.

Commencement de 1046. — Avant d'entreprendre le voyage de Jérusalem, où elle mourut, selon son désir, et fut inhumée près du sépulcre du Sauveur, la vénérable comtesse Hildegarde donna au R. tous ses serfs, au nombre de 13, les présentant à l'autel en tenant le premier par la main, savoir : Goscelin, Girbuid, Isembard, Froger, Oberge, Sevald, Rohod, Simon, Constant le Roux, Obranne son frère, Richilde, Milesende et Dode. N° 33.

Milieu et fin du XIe siècle. — Pièces qui contiennent d'intéressants détails sur les circonstances à la faveur desquelles Constant le Roux, serf, a enrichi et affranchi lui et sa famille. N° 34.

Vers 1063. — Cession par les religieuses à Guérin Doubleau, d'un terrain pour y bâtir une maison, moyennant 5 s. de cens et à condition que, dans l'année, il épousera une des serves du R. S'il meurt avant que ces conditions soient réalisées, l'abbaye reprendra son terrain et aura la moitié des matériaux y déposés ; elle les aura tous, dans le cas où Doubleau se serait associé avec l'ancien possesseur du terrain. Quatre cautions et la maison susdite serviront de garantie pour l'exécution du traité. N° 41.

Vers 1040. — Don par Emma, veuve de Gui le Trésorier, et par son fils Aubri, à l'abbaye du R., de six colliberts, quatre hommes et deux femmes ; mais une de celles-ci, nommée Hildegarde, pour moitié seulement.

4 mars 1047. — Charte du comte Geoffroi Martel par laquelle, de concert avec sa femme Agnès et à leur retour de la Pouille, *Apulia*, étant dans l'abbaye de Saint-Aubin d'Angers, il affran-

chit un collibert, Robert, fils de Froger, ainsi que tous ses enfants nés et à naître. Il tenait ce collibert du fief de Saint-Sauveur, dont la chapelle est située sur le mur de la cité d'Angers. N° 35.

De 1061 à 1075 environ. — Achat par les religieuses à un nommé Paulin de trois colliberts, deux frères et leur sœur. Longtemps après, un second achat est rendu nécessaire par l'opposition faite à cette vente par les trois frères de Paulin.

Tous les quatre sont d'accord pour confirmer à Teudon le Tanneur, un demi arpent de vignes à lui vendu par leur mère Adenor. N° 36.

Vers 1063. — Don par Thibaud, seigneur de Jarzé, par sa femme Adenor et leur fils Geoffroi, à l'abbaye du R. de deux colliberts avec toute leur postérité. N° 37.

